
7
12 a
27
7
2 E
4



THEATRVM CHRONOLOGICVM SACRI CARTVSIENSIS ORDINIS LECTORI EXHIBENS.


ORDINIS EIVSDEM

Primordia, & Consuetudines, Priores Magnæ Cartusiæ, Ord. Gen. Cardinalium Purpuras, Episcoporum Infulas, Scriptorum Athenæum, Piorum Fastos, Singularum denique per Orbem Cartusiarum Erectiones, Ordinis antiquitate digestas.

D. CAROLO IOSEPHO MOROTIO B. Mariæ Consolatricis, REF. S. Bernardi, Augustæ Taurinorum Abbate, Regiæ Celsitudinis Victoris Amedei II. Allobrogum Ducis, Subalpinorum Principis, Cyprriorum Regis.

THEOLOGO.

Nec non in Archiepiscopatu Taurinensi Examinatore Synodali.



In gratiam religiosissimi eiusdem Ordinis Auctore.



TAVRINI M. DC. LXXXI.

Apud IOANNEM SINIBALDVM, Impressorem S. R. C.
Sumptibus Iosephi Vernoni. *Superiorum Permissu.*



EM.^mo ET REV.^mo PRINCIPI
PALVTIO CARD. DE ALTERIIS
S. R. E. CAMERARIO

Sac. Congregationis de Propaganda Fide Præfecto
Carolus Ioseph Morotius
Abbas.


FELICITATEM.



ALTERIA sydera Chronologici huius Theatri in vestibulo prælucere operæ pretium erat Em. Princeps, vt Sacer Cartusiensis Ordo septem Stellarum auspicante horoscopo initiatus, rerum suis ab alumnis per quinq; Ætatum decursum præclarè gestarum commẽtaria, felicissimo totidem pene Astrorum gentilitio in tuo stemmate coruscantium auspicio, in lucem prodire, posterisque commendari gratularetur. Deberem quidem fœtus diuturnis laboribus editi nobilitatem experiri, eodem, Aquilæ ad instar, Phœbi radijs exposito. Attamen Alterijs Syderibus nihil deesse, quod soli inuideant, fama euulgante, compertum. Enimuerò ex quo longæua nobilitate, grauissimisq; Romano sub Cælo gestis Prouincijs, nec non, & Ecclesiasticis iampridem Purpuris effulgentes, Pontificijs tandem insignibus adornata, Vatica-

no in vertice coruscarunt, Solem in ipsis Orbis Catholicus conspexit, coluitque ob miram prorsus Apostolico in fastigio moderationem, æquitatem integerrimam, feruentissimum Religionis amplianda studium, & summam denique in Christianam Rempublicam vtilitatem vbique gentium radiantem. Et ne tua ipsius præconia iniuriosa obliuione prætercam: nonne Em. Princeps tuæ & in Purpura Solem se contemplari contestantur, Pastoralis Sollicitudinis Trossuli, & Rauennates pijssimi, te Antistite, greges? amplissima munificentiæ, Diuorum Augustini, Dominici, nec non & Montis Carmeli, alijque, te Protectore, florentissimi in Dei Ecclesia Claustrales Cœtus? Regiæ magnificentia, ædificia ad nostræ posterarumque Ætatum miraculum sumptuosissimè constructa? eximia prudentia, status Ecclesiasticus nunquam tranquillior, quam te administro? & maxima tamdem existimationis Sacer Purpuratorum Patrum Senatus, quos inter tantis nominibus emines? Vnum est in quo eadem ipsa tua sydera maiori à lumine discrepare fatendum. Emicare nimirum fulgoribus summa temperatis humanitate, ne vllam exprobrent intuentium obtutui audaciam, seù aciei palpitantis imbecillitatem redarguant. His maiestatis radijs meam aspicias elucubrationem rogo, & longa beneficiorum serie iam tibi deuinctum, amplioribus in dies prosequi gratijs haud dedigneris exposco, quò muneris huius tenuitatem humanitatis tuæ magnitudine subleues. Sic tibi vitæ mortisque arbiter faueat Deus, & Aulæ Ecclesiasticæ in Orbe tandiu effulgere sinat, donec Nestoreis emensis Annis, illa inter Sydera adnumeret, quæ in perpetuas æternitates effulgebunt. Taurini Idibus Octobris, An. 1681. Vale.

RE-



REV.mo P. INNOCENTIO LE-MASSON

MAGNÆ CARTVSIÆ MODERATORI.

Totiusque Sacri Cartusiensis Ordinis Præposito Generali.



RDINVM Monasticorum supremos inter Cœnobiarcas tu mihi potissimùm celebrandus occurris, Reuerendissime Pater, cum Religiosissimo à Cætu, sacra cui iura prascribit, tum excelsis ab animi dotibus, quibus ad regimen instructus, ad clauum sedes. Et Sanctissimum *quidem Antesignanum* Brunonem, *eiusque primos initianda huius viuendi norma collegas, candicanti septem syderum lumine, Diuo Hugoni Cælitus præmonstratos, alij admirentur. Posteros ego suspicio eorumdem exemplo ad heroicam adeo eximia perfectionis contentionem excitatos, vt iure meritò septem illa sydera dici queant, quæ in dextera Dei coruscare, Apocalypsis primo, Ioannes vidit. Prædilecti nimirum filij lucis sunt, quorum vnumquemque è Saculi nocte translatum, eductumque in solitudinem, blanda illa sui amoris tessera Deus alloquitur,* Ecce in manibus meis descripsi te. *Lumina illa antelucana, à quibus se collaudari diuinitas iactat, præclaro illo apud Iob Elogio.* Cum me laudarent simul astra matutina, *Cartusienses nonne exprimere tuos agnoscis, qui caducarum rerum fulgore contempto, & vnius Æternitatis desiderio flagrantes, ad mane illud vltimum anhelant, quod nescit occasum? Stella manentes in Ordine suo contra Sisaram fortissimè decertarunt. At generosiora syderum agmina tui educunt filij, qui ab auita Ordinis austeritate non recedendo, præpotentes humani generis hostes gloriosissimè frangunt, expugnant, euertunt.*

† 3 *Radian-*

Radiantes eorumdem acies nitidissimus ipse Coriphaeus moderaris, illis vt gradu excelsior, ita virtutum iubare clarior. Monastica viuendi norma lumina cum ipsi sint, quorum conuersatio, quemadmodum in Ep. Clementis Papae IV. habetur, in sui simplicitate non deficit, sed quasi lux splendens, vsque ad diem perfectum crescit, *tu illis omnibus* Ex Cartusiae sublimi specula, velut ex Orientalis iugi vertice Lucifer matutinus irradias. *Non enim haec Francisci Petrarchae verba lib. 15. Senilium Ep. verò octaua de Ioanne Birellio scripta, minus de te repetenda, quàm de Praedecessorum tuorum praestantissimo censeo. Sed encomiastes reijcis, cumque omnia infra te ipsum ponere, te ipsum infra omnia profitearis, Monachos etiam tuos mauis scribenda gerere, quàm gestis scribendis vacare. Ingratum habes, & exteros de Rebus Cartusiensibus Commentaria contexere. Sed memorare Opificem summum Caeli luminaria condidisse, vt claritate diffusa, noctem fugarent, diemque optatum caliganti redderent Orbi. Reminiscere lucem nostram coram hominibus elucescere eumdem iubere, quò bonorum ex inspectione operum ad glorificandum Patrem Caelestem excitentur. AEqui igitur, bonique consule Institutionis notis omnibus absolutissimae Heroes recenseri, eorumdemque charismata praeli luce donari. Patere saltem Bernardi Filium Magistrum aemulari suum, & stylo in tuorum laudes effuso, excolere aliquo beneuolentiae signo arctam illam germanitatem, quam idem Bernardus Cartusienses, ac Cistercienses inter instituit. Decet Praesulem tanta pollentem sapientia, in Sapientis effata concedere, & delectari:* Scribantur haec in generatione altera, vt populus, qui creabitur laudet Dominum, *sicut, & domesticos Scriptores, ab exteris praeoccupatos, huiuscemodi scribendi pondere subleuari*, vt laudet te alienus, & non os tuum.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.



VNDVM nescire, & à Mundo nesciri profitentur, Amice Lector, Ordines Regulares, qui calcato sæculo, debitam gestorum magnitudini gloriam inanissimis ab eiusdem encomijs venari dedignantur. Silere fortia æque student, ac facere, & pati. Clarissimis proindè ab Archimandritis regi, Orbem Asceterijs, Cælum Diuis implere satagunt. Viros excolere curant, quos excelsæ animi dotes ad Episcopatuum Infulas, ad Sacri Senatus Purpuras, & ad Vaticani Tiaram maximo diuini obsequij cùm incremento claustrali euocent à secessu. At referri in Commentaria, celebrariue litteris heroica eorumdem gesta, paruipendunt. Quot Heroes pia huiusmodi incuria abscondit? Quot pietatis, eruditionisque prodigia obliuionis inuolui tenebris patitur? Quot de Mundo, Tartaroque strenuè reportata conticescit Trophea, quæ desidibus ac ignauis annunciata robur cierent, & infensissimos ad conterendos hostes excitarent? Consultiùs profectò Orbi prospexissent, propriæ si humilitatis studio seposito, tot virtutum exemplis, typographiæ beneficio, euulgandis, vacassent.

Quare vnam ego Religionem professus, vt cunctis debeam, animum adieci depromendis nonnullarum vitæ à Mundo sequestris Institutionum primordijs, contexendis Generalium earumdem Superiorum Elenchis, ingenio vel dignitate aliqua præcellentibus recensendis, Cœnobiorumque Originibus in lucem educendis, & iuxta Sapientis effatum laudans viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua, homines diuites in virtute, in quibus multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à seculo, elucubro Theatrum Chronologicum eorum Ordinum, Congrega-

gregationumque Claustralium, quarum historia sacræ ab eruditionis professoribus auidiùs desideratur, Congregationum imprimis Italicarum, quæ scilicet in Italiæ græmio enatæ, extrà illius limites, nullis, seù paucis deductis colonijs, haud excessere.

Amplissimæ adornandæ elucubrationi dum pro viribus incumbo, Chronologiam Cartusiensis Cętus præmitto, cuius nedum Cœnobia turbis procul mundanis consurgunt, sed & sancta Cœnobitarum conuersatio Scriptores latet, tumulum ibidem nacta, vbi & Theatrum. Lacunas hiantes, mendasque expungendas si passim offendes, tua vtere tunc benignitate erga Auctorem, hoc ipsum opus auctiùs, & castigatiùs, secundis curis aliquando habiturus, cum scilicet abdicatis Congregationis muneribus, Mineruæ addictiùs vacare licebit; aliasque absoluere vigilias, quæ iamdudum limam expectant.



SACRI

SACRI CARTVSIENSIS ORDINIS

Erga Auctorem huius Operis Pium grati animi Monumentum, Sedente Cap. Generali decretum.



RATER Innocentius Prior Cartusiæ, & Generalis totius Ordinis Cartusiensis cæteriq; Diffinitores Capituli Generalis, Reuerendissimo Patri Domno Carolo Iosepho Morotio Abbati Ordinis Sancti Bernardi Salutem in Domino. Licet omnium Christianorum munus sit, & Officium proximorum, bono inuigilare, & pro cuiuscumque salute non minori affectu, quàm pro sua propria zelari, nobis tamen quos ab huius sæculi curis, & sollicitudinibus Deus voluit esse securos maior quadam necessitas incumbere videtur, & debitum, vt hoc saltem Sancti nostri otij negotiosi humile obsequium ijs liberiori affectu deferamus, quos propensiori animo erga nos, nostrumq; Ordinem ferri dignoscimus, quorum non postremum vos tenere locum à venerabili Patre Domno Petro Antonio de Loche Priori Cartusiæ Taurinensis, & ex laboribus in quibus tam gloriosè in honorem dicti nostri Ordinis vos exercetis, satis superque accepimus. Exigentibus ergo meritis vestris, & laboribus vos in album singularium amicorum nostrorum inscribimus. Concedentes vobis plenam omnium bonorum nostrorum Spiritualium, quæ cum Dei adiutorio in Ordine nostro fiunt participationem, & Anniuersarium perpetuum scribendum in Kalendarijs domorum post obitum vestrum, quem Deus vobis felicem concedat post longam vitam in honorem, & vtilitatem Sanctæ Ecclesiæ, & Ordinis Vestri consumptum. Datum Cartusiæ sedente nostro Capitulo Generali die septima Maij 1681.

EX PETRI IOFFREDI NICÆNO-TAVRINENSIS.

Victoris Amedei II. Allobrogum Ducis, Subalpinorum Principis, Cypriorum Regis
Eleemosynarij, Bibliothecarij, Historiographi, atque Institutoris
Miscellaneorum Epigrammatum libro sexto

EPIGRAM. 119. IN LAVDEM HVIVS OPERIS.

Illustris magnum quicquid Cartusia fecit
Passa eadem toto quicquid in Orbe fuit
Intulerit fuso, superis quot, sanguine, palmas,
Impigra quot, fidei, laurea serta, pugil.
Pontificum fastis addat quot munere claros,
In Regnis numeret quot populosa domos.
Profuerit quantum scribendo, prosit & Orbi,
A scriptis discit, Carole, quisque tuis.
Ergo suos iubeat quantumuis Bruno silere,
Gesta tuo poterit non minus ore loqui.

D. OCTA-

D. OCTAVIANVS CACHERANVS.

Congreg. Reformatæ S. Bernardi Ord. Cisterciensis Abbas Generalis.

CVM opus ab Adm. R. P. D. Carolo Iosepho Morotio elaboratum, cui titulus Theatrum Chronologicum Sacri Cartusiensis Ordinis duo nostræ Congregationis Theologi, à nobis specialiter deputati, diligenter reuiserint, ac examinauerint, nihilque in eo aut fidei, aut bonis moribus dissonum compererint; facultatem facimus, vt publici iuris fiat, seruatis seruandis. In quorum fidem, &c. Dat. in Monast. S. Bernardi de Vrbe die 7. Ian. 1681.

D. Octauianus Cacheranus Abbas Gen. præfatus.

D. Matthæus à S. Benedicto
Prior Pinerolij Segretarius.

EX commissione Reuerendissimi Patris Magistri Inquisitoris Generalis Taurini, ego infrascriptus attentè, & accuratè perlegi opus, cui titulus. Theatrum Chronologicum Sacri Cartusiensis Ordinis, Auctore Reuerendissimo Patre Abbate D. Carolo Iosepho Morotio, & nihil in eo inueni contrarium bonis moribus, Ecclesiastica disciplina, aut Catholicæ fidei, vnde iudico ipsum typis dignum. Taurini die 18. Octobris 1681.

F. Clemens à S. Cæcilia Carmelita S. Th. Mag. & Sanctæ Inquisitionis Consultor.

Attenta attestatione præfata, Imprim.

F. *Michael Ludouicus de Theuenardis Ord. Prædicator. Sac. Theol. Mag. Inquisitor Generalis Taurini, &c.*


Permittitur Imprimi.
BVSCHETTVS Magnus Sabaudiæ Cancellarius.

PRO-

PROTESTATIO AVCTORIS

VM Sanctiſs. D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij 1625. decretum ediderit, idemque confirmarit die 5. Iulij 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitatis, ſeu martirij fama celebres è vita migrauerint, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercesſionibus à Deo accepta continentes ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſs. die 5. Iunij 1641. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes auctorem. Huic decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi obſeruantia, ac reuerentia, qua par eſt, inſiſtendo, profiteor, me haud alio ſenſu quicquid in hac Hiſtoria refero, accipere, & accipi ab vllo velle; quam, quo ea ſolent, quæ humana duntaxat auctoritate, non autem Diuina, Catholicæ, aut S. Sedis Apoſtolicæ nituntur: ijs tantummodo exceptis, quos eadem, Sancta Sedes Sanctorum Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit

THEA:


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google



THEATRI CHRONOLOGICI SACRI CARTVSIENSIS ORDINIS

PARS PRIMA *ORIGO LEGES, ATQVE PRÆSTANTIA.*



PRimordia Cartusiensis Institutionis ab ipsis retro incunabulis deducturo, operæ pretium est Conuersionem S. Brunonis eiusdem Auctoris præmittere, qui Coloniæ Vbiorum natus, Theologus consummatissimus, & vir Sanctissimus, e Canonico ad S. Cunibertum ad Theologiam Remis profitendam euocatus, cùm legendo, scribendo, ac disputando clarissimus haberetur, auræ sæcularis declinandæ ergo Gratianopolim secessit, & latebras expetijt asperrimos intra montes, Cartusiam indigenæ vocant, a quibus nouercali naturæ illiberalitate cuncta humanę vitę solaria exulant, iuga niuium hyemem nunquam exuunt, a feris inaccessa, inuia quoque hominibus censebantur.

§. II. In horridam hanc solitudinem impulit diuinæ dispositionis vis, quæ virum suis consilijs exequendis aptissimum in benedictionibus dulcedinis præueniens, ad caduca abdicanda, & cęlestia ardentius capessenda internis vocibus sensim excitabat. Vocauerat Deo ad cor loquenti morem gerere, sed non ea, qua par erat, celeritate promissa reddebat, quin immo in obtemperando eas nexuit moras, quas ipsemet describit in Epistola ad Raymundum Viridem Ecclesiæ Remensis Præpositum, & postea Archiepiscopum, eodem secum voto obstrictum, sed diuturnioris negligentiæ reum. *Reminiscitur quippe dilectio tua quod cum ego, & tu, & Fulcius monoculus quadam die simul fuissemus in hortulo adiacenti domui Adæ, vbi tunc hospitabar, de falsis oblectationibus, & perituri mundi huius diuitijs, nec non de perennis gloriæ gaudijs aliquandiu, tractaremus, vnde diuino amore feruentes promisimus, ac vouimus Spiritui Sancto in proximo fugitiua sæculi relinquere, & æterna captare, nec non monachicum habitum recipere, quod, & in vicino perfectum esset, nisi tunc Fulcius Romam abijsset, ad huius reditum peragenda distulimus, quo moram faciente, alijsque causis interuenientibus diuinus amor elanguit, refriguit animus, feruorque euanuit.* Quare potentiori stimulo vellicandus fuit, & ad quantocius explenda quæ Sanctè iurauerat, vexatione impellendus. Occasio in promptu fuit. Manasses Hugonis Capeti francorum Regis ex Haduuide Comitissa Auia pronepos iura dabat Ecclesię Remensi, seu verius ad eius regimen intrusus, Ecclesiasticum quodcumque ius pessundabat. Cleri neglector, militum studiosior, Sacrariorum dilapidator, infulam simoniacè venatam turpi mercimonio fœdabat. Huius ergo mores prorsus improbos Bruno ad summum Pontificem detulit, cuius mandata cum Manasses contemneret, nec ad causam dicendam ante Concilium Lugdunense, die indicta vellet se sistere, improbatores suæ nequitiæ multifariam etiam afflixit. Et Brunonem quidem protegendum suscepit Hugo Præsul Diensis, sedisque Apostolicæ in præfato Lugdunensi Con-

nam in Epiſtola ad Gregorium VII. inquit. *Manaſſem autem amicum noſtrum in Chriſto, qui in Claromontano Concilio Remenſis Eccleſiæ malè adquiſitam Præpoſituram in manu noſtra dimiſit commendamus gratiæ Sanctitatis veſtræ; ſicut Catholicæ fidei ſincerum defenſorem, & Dominum Brunonem Remenſis Eccleſiæ in omni honeſtate Magiſtrum. Digni ſunt enim ambo, á vobis, & in his quæ Dei ſunt veſtra auctoritate confirmari quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*. Verum Manaſſis furor vſque adeo in eundem Brunonem deſeuijt, vt grauiſſimé habitum, ſuis excedere finibus coegerit, vti ex Actis eiuſdem Manaſſis apud Galliam Chriſtianam T. 1. Guiberto de Nouigento in Comment. Sirmondo é Soc. Ieſu, & P. Labbeo Tomo 10. Concil. Generalium ad Annum 1077. liquidò conſtat.

§. III. Remis abeuntem rectà Gratianopolim conceſſiſſe indicat Guibertus de Nouigento. Alij ſentiunt á Manaſſe vexatum, Lutetiam, Rege inuitante, profectum, ad facultates liberales glorioſius ibi edocendas, inlectamque propterea receſſui in Eremum remoram potentiorem, dum nominis fama ampliori in Theatro increbeſcente, votiuus monaſtices amor in eius pectore deferbeſceret. Sed tàdem alterius Doctoris Collegæ ſui ferali ſpectaculo animitus concuſſus, diuinæ obſequutus eſt voluntati. Certarc in ipſo Doctore videbantur pietas, & doctrina, & tamen fatis concedens, & conſuetis Eccleſiæ ritibus terræ reddendus, modo prorſus contremiſcendo, ab vltrice Cæleſtis Nemeſis ira ſepultum ſe dixit in Inferno. Iuſta chorus perſoluebat circa feretrum, cum ad verba ex Iob deſumpta, *Reſponde mihi quantas habes iniquitates, & peccata*, ipſo capite elato, altaque voce aſtantes omnes exterruit, ingemiſcens, ſe iuſto Dei iudicio accuſatum. Inferijs in craſtinum proiatis, ad eamdem percontationem. *Reſponde mihi*, ſe æquo Dei examine iudicatum aſſeruit. Demum die tertia ad mortualia peragenda expectata, vt *Reſponde mihi* iam tertiò repetitum, ſe, condigna Dei animaduerſione, flammis torquendum æternis, denunciauit. Efficaciori incitamento haud opus fuit. Mox Bruno ad ſocios conuerſus: quid non humanæ, inquit, gloriæ vinculis exoluimur? Cur ſæculi proditoris non proijciamus affectum? Diuinæ gratiæ vel ſerò reſpondeamus, quæ in nos atroces perditi huius Collegæ pœnas decernet, ſi diutius inter irradiantes ſupernæ eius vocationis illapſus perſtiterimus cœcutire. Dixit, & fortiſſimos commilitones Landuinum, duos Stephanos Burgenſem, & Dienſem, Sancti Rufi Canonicos, Hugonem cognominatum Capellanum, quod ſolus ex eis ſacerdotis fungeretur officio, Andream, & Guarinum Laicos aſperrimæ ad pœnitentiæ caſtra Gratianopolim ſecum eduxit.

§. IV. Horrendum hoc funus viſum eſt nonnullis reijciendum inter Apologos, ob æqualium, immo ſcriptorum qui ducentis retro poſt Annis floruere continuum de eo ſilentium, & conſequutam proinde é Breuiario Romano expunctionem: At Vindices reſpondent, ſacræ Rituum Congregationis mentem non eſſe robur addere, vel infirmitatem veritati narrationum, quas é SS. vigilijs eliminat, cum varijs de cauſis ad aliquid ſilendum inducatur, & ſi ambiguitas aliqua occurrat, conſueuerit alijs eam diſceptandam ſinere; ne in publica laude Diuina quidquam enunciandum præſcribat, quod extra controuerſiæ aleam omnino non ſit. Cæterum perditi Doctoris inferias innititraditioni ſcriptæ, & non ſcriptæ. Non ſcriptæ quidem, ob conſtantem quæ de eis floruit opinionem per quinque ſeculorum decurſum, adeo vt vnus tantum Papirius Maſſonius inter figmenta eas ablegare inceperit Anno 1578. quo Annales Francorum Pariſijs impreſſit. Traditionem non ſcriptam potiſſimum eſſe fundamentum relationum antiquarum, cuius ſi auctoritas infirmetur, non tantum Brunonis geſtis, ſed vniuerſę propemodum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ maxima inferatur labes. Traditionem cum Launoijo admittere, eam tamen quæ vera eſt traditio, ac reſpuere huius funeris famam, vtpotè erroris inueterati propagationem diuturnam, petitionem aiunt

prin-

principij grande nimis in arguendo peccatum. Telum desumptum à silentio auctorum eiusdem ætatis nec non primi, & secundi seculi post Brunonis æuum hebes inquiunt, quemadmodum, & argumenta quæque auctoritati negatiuæ innixa, quæ inter dialecticos vti puerilia, & ludicra exploduntur. Præterea id gratis dici volunt, cum Cæsarius Heisterbacensis, qui orbis redempti Anno 1200. clarebat, aperte dicat in Francia fuisse Clericum quemdam nobilem, ac diuitem, qui cum mortuus esset, & in feretro positus, multitudine populi circumsedente, tam ex Clericis, quam ex laicis ipse se erexit, cunctis audientibus In hæc verba prorumpens. *Iustus iudex iudicauit, iudicatum condemnauit, condemnatum tradidit in manus impiorum*, quibus dictis se reclinans, iterum non obdormiuit, sed de requie transiuit ad laborem, de delicijs ad miseriam. In medium item producunt codicem M. S. fundationis Cartusiæ maioris, Fasciculum temporum quod antiquissimum aliqui perhibent, & excusum licet à Vuernero Roleuinch A. 1476. inchoatum tamen á primis huius Institutionis Patribus, & successiué per alios continuatum Monachos, donec Vuernerus vltimam ei manum imposuit. Sed hæc attigisse sufficiat. Lector adeat, si vacat, Andream Saussai in Epistola Didascalica, Bartoldum Nihusium in præloquio ad eandem Saussai Ep. Polycarpum de la Riuier in Angelica, in primis Theophilum Raynaudum è Soc Iesu in Brunone stylita mystico, in Antemurali Auenionensi, itemque in Hercule Commodiano, in quo dum Io. Launoyum Theologum Parisiensem Herculi comparat, disertæ Apologiæ claua prosternere adnititur editam ab eo defensionem correctionis Breuiarij, cum ablegatione inter nugas aniles Doctoris in feretro rediuiui, & Brunonis ob conceptum nouissimorum horrorem elongantis se, quò fugiens maneret in solitudine. Interea faciliorem aliam expendamus quæstionem, quo videlicet tempore idem Bruno rupes Gratianopolitanas conscenderit, vbi fuerit necne á defuncto impellente excitatus, Sobolem procreauit, quæ mundo mortua, Cœlo solummodo viuit.

§ V. Ex scriptoribus alij singulare ineunt certamen, alij cæteris cohærentes in agmina diuiduntur. Ioannes Brontonus Abbas Iornacensis in Chron. Rerum Anglicarum ad Ann. 1177. vtrumque refert. Guibertus de Nouigento in Comment. vitæ suæ ad An. 1080. Ioannes de Sancto Victore in Memoriali manuscripto, Monachus item Autissiodorensis, anonymus quidem, sed Ordinis Præmonstratensis in Chron incidisse sentiunt in 1081. Ciacconius In vita Gregorij septimi in 1082. Codex Sancti Remigij Remensis in vita Guigonis quinti Cartusiæ Prioris Franciscus à Puteo vitæ Sancti Brunonis, cap. 12. Sigebertus Gemblacensis in Chronographia ad hunc An., Vuernerus Roleuinch in Fasciculo temporum, Philippus Bergomensis in Supplemento Chron., Magnum Chronicon Belgicum, Polydorus Virgilius, de Inuent. Rerum, Cassanæus in Catalogo Gloriæ Mundi, parte quarta, consideratione 62., aliique propemodum innumeri rerum Monasticarum centuriatores 1084. exsignant, vna cum Nicolao Chorier moderno historiæ Delphinatus compilatore, & G. Suriano Belga in Annotationibus ad Vitam S Brunonis cap. XII §. VI. Aymarus Falco, Locrius in Maria Augusta, Azorius lib. 12 cap 21. An. circiter 1085., Guillelmus Paradinus libro secundo Chronicorum Sabaudiæ Cap. 32. Seuerinus Binius Tomo 3. Conciliorum Generalium in vita Vrbani 2. Gaufridus Prior Vosiensis, Guigo quintus eorumdem Cartusianorum Præfectus Generalis vitæ S. Hugonis §. 10. Chron. ms. S. Martini Turonensis, Petauius Rationarij Temporum libro 8. parte 3. Cap. 10., Ioannes Frasquetus Monachus S. Germani Autissiodorensis, alius à præfato in Chron. Trithemius in Historia Hirsaug. Papirius Massonius lib. 3. Annal. Francorum, Christianus Massæus lib. 16. Chron Mundi, & ex Recentioribus Magnus Card. Baronius Annal. Ecclesiast. Tom. 11. pag. 585. Martinus Carrilius in Memor Chronolog., Iacobus Gualtier Tab. Geograph. Sec. XI. aciem validissimam instruunt, & pro 1086. decer-

rant. In multiplici hac sententiarum varietate, plurimum quidem defero Codici S. Remigij Remensis, Nicolao Chorier, & Francisco a Puteo; veruntamen grauium historicorum more haereo Guigoni scriptori domestico, & æquali S. Hugonis eiusdem propositi promotoris egregij, ad cuius calculum supputatis temporibus inquit Baronius. *Hoc Itidem Anno 1086. Cartusia solitudo cœpta est habitari à S. Hugone Episcopo Gratianopolitano, Sanctoque Brunone auctore Sancti Instituti, eiusque Socijs ex quo loco, & nomen accepere, ut Cartusiani Monachi dicerentur. Quod ad tempus spectat, cum superius dictum sit ex eiusdem S. Hugonis vita, ipsum Anno millesimo octogesimo creatum fuisse Episcopum Gratianopolitanum, post duos verò Annos adijsse Cluniacenses, ibique moratum Annum vnum, inde ad Episcopatum reuersum: in eo transegisse tres Annos: Plane inuenies sexto Anno à sua ordinatione cum socijs, hoc nempe Anno petijsse Cartusiam.* Hinc digressus á crepundiorum tricis, propositi normam, & sanctitatem expendendam aggredior.

§. VI. Monasticæ conuersationis Regulam S. Institutor nullam condidit, sed quæ viuente illo inductæ in ordinem consuetudines, & quæ subinde á Comitijs Generalibus emanarunt sancita pro lege coluntur. Eas consuetudines, & statuta vocant, & pro temporum necessitate adauctas, aut immutatas Guigo inter Priores Generales V. primó compilauit, & statuta Guigonis de suo nomine dixit: Deinde Basillus qui ad clauum sedit octauus, salutaribus aliquot sanctionibus adauxit. Rifferius correxit, ampliauit, tres distinxit in partes selectaque latinitate donauit An. 1259. Ab eo tempore ter renouata seú recollecta sunt, nempe sub Guillelmo Raynaldi An. 1368, Petro à Puteo sedente An. 1510. & typis Basileanis excusa, iterumque Bernardi Carassi auctoritate prælo subiecta prodierunt Lutetiæ 1582. sub hoc titulo. *Noua Collectio Statutorum Ordinis Cartusiensis, ea quæ in antiquis, ac nouis statutis, ac tertia compilatione dispersa, & confusa habebantur simul ordine disposita complectens.* Nouissimam adornat modernus Prior Generalis Innocentius le Masson, quæ procul dubiò cæteris auctior, & castigatior prodibit. Ad præscriptum harum consuetudinum perquam Sanctissimè viuere admirans Petrus Venerab lib. 2. miraculorum cap. 2. aiebat. *Vestes vilissimas, ac super omne religionis propositum abiectissimas, ipsoque visu horrendas assumpserunt. Quantitate enim breues, & angustæ, qualitate ita vt vix aspici possint, hirsutæ, & sordidæ, nullum gloriandi vitium se posse admittere indicant, & noui quidem, quod in sordido habitu Diabolus, quod suum est quærit, & humilitatis quandoque texturam superbia interserit, sed tamen ijs in dictis iusti & Deum quærentes viri in quantum potuerunt, ne Princeps Mundi per superbiam, aut superbia familiam in se, vel in suis sibi locum inuenire posset, summo studio prouiderunt. Cupiditatem insuper quæ radix malorum dicitur, ceu auaritiam quæ idolorum seruitus vocatur, ne nimis venenosa virgulta quolibet tempore producere posset, ita radicitus auulserunt, vt certos terminos iuxta locorum suorum fertilitatem, aut sterilitatem in circuitu cellarum suarum maiores minoresuè præfigerent, extra quos etiamsi totus Mundus offerretur eis nec saltem quantum pes humanus occupat terræ spatium acciperent, & vt non esset eis quandoque necessarium, vel plus terræ quam dictum est possessioni suæ addere, aut numerum iumentorum suorum, vel pecorum augere duodecim tantum Monachos cum decimo tertio Priore, ac octodecim Conuersis, paucisque mercenarijs nullo prorsus superaddito in sui Ordinis Monasterijs esse perpetuó decreuerunt. Ea etiam de causa animalibus, vel pecoribus suis certum, quem transgredi fas non esset terminum instituerunt, Bobus scilicet, Asinis, ouibus, Capris, vel hircis, præter ista ad edomandum iumentum Corporis sui, & ad subijciendam iuxta Apostolum legem membrorum suorum repugnantem legi mentis suæ, duris carnem cilicijs semper exasperant, continuatis pené acerbis ieiunijs corpora affligunt, extenuant, & desiccant. Inde est quod pane furfureo semper vtuntur, & vino ita adaquato, vt meritò magis villum, quam vinum dicatur, ab omni carnium esu tam sani, quam ægri in perpetuum abstinent: Pisces nunquam emunt, sed forte ex charitate datos accipiunt. Die Dominico, & quin-*

ta

ta feria tantum caseum, vel oua ad vescendum admittunt, Tertia feria, ac Sabbato, aut leguminę, aut olere cocto vtuntur. Omni secunda, & quarta, & sexta feria pane solo, & aqua contenti sunt. Semel in die semper comedunt, exceptis octo diebus Natalis Domini, octo diebus Paschae, octo diebus Pentecostes, Epiphania Domini, hoc est repraesentatione eius, Purificatione Sanctae Mariae, Annuntiatione Domini quando Paschali tempore prouenit, Ascensione Domini, Assumptione, ac Natiuitate iam dictae Sacrae Virginis Matris eius, & exceptis diebus festiuis, duodecim Apostolorum, S. Ioannis Baptistae, & illo quod in Calendis Nouembris celebratur, Festo Omnium Sanctorum. Super hac omnia more antiquorum Aegyptiorum Monachorum singulares cellas perpetuò inhabitant, vbi silentio, lectioni, Orationi, atque operi manuum maximè in scribendis libris irrequieti insistunt. In eisdem cellis debitum regularium horarum, hoc est Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Completorium signo Ecclesiae commoniti Deo persoluunt, itamque suum exteriorem, quam interiorem hominem, habitu, voce, vultu, rebus visibilia excedentibus, spretis cunctis alijs intentum, immo affixum esse ostendunt. Ab hoc more excipiunt illos festiuos dies, qui supra scripti sunt, in quibus bis comedunt, & in quibus more Monachorum non per cellas, sed simul habitantium, non solum omnes regulares horas in Ecclesia decantant, sed & in Refectorio, tam post sextam, quam post vesperas, nullo sospite, excepto, communiter edunt. Quibus tantum diebus antiquorum Eremitarum aemulatione, ne ab alijs sacris operibus licet dignitate inferioribus impediantur, salutare omnipotenti Deo pro salute sua ac Mundi Sacrificium offerunt, quod ex vsu iam veteri tracto nomine, quia Deo mittitur missa vocatur. Hactenus Venerabilis Petrus Mauritius.

§. VII. Morum Sanctitatem consequitur prudentissimum Congregationis regimen, cuius rationem exhibent ipsamet statuta. Monachi distinguuntur in Choristas & Laicos, qui rursus bifariam subdiuiduntur, Choristae in Sacerdotio initiatos, & Clericos redditos, eos scilicet qui nobilitate generis, bellicis ciuilibusque titulis incliti, sed illiterati, aut senio grauiori confecti inter Clericos, citra votorum Sacramentum legebantur, sed modo antiquati sunt. Laicorum alij Conuersi, alij Oblati, qui & redditi vocantur. Conuersorum admissio suppar est Ordinis infantiae, non ita Oblatorum, quibus Anno tantum 1232. Gregorius IX. indulsit gaudere quibuscumque Ordinis praerogatiuis, & indultis, Sub Datum Reate III. Nonas Februarij Anno Pontificatus V., quod extat Bull. Rom. T. 1. Greg. IX. Const. III.

§. VIII. Patent ijsdem Statutis & Sanctimoniales, paucae quidem numero, at generis nobilitate, virtutumque praestantia eminentes. Earum exordia vidit alterum á condita Cartusia seculum, Patronamque agnoscunt Beatam Beatricem Virginem Parthenia Lugdunensis, quae modo excisa transijt in rem Lilij S.Spiritus, quo nomine venit Caenob. virorum intra eamdem Vrbem ad Rhodanum. Quinque familijs quot quot sunt concluduntur. Ex ijs duo in Delphinatu consistunt, vna in Sabaudia floret, alteram Artesia complectitur, alteram Flandria. Reliquae in quas olim extendebantur propagines, ab Ordine auulsae sunt, quod arctioris clausurae legibus, à Sacro Sancta Tridentina Synodo indictis, obtemperare detrectarent; & ne quae in praesentiarum supersunt, latius propagentur, graui sancito prospectum est, quod insertum recentiori statutorum Collectioni Cap. 24 §. 52. cauet, ne amodo in Ordine Domus nouae Monialium recipiantur, aut incorporentur, sed tantum cura sufficiat susceptarum.

§. IX. Monachi cum sacra vota emittunt spondent stabilitatem in Ordine, & in Monasterio in quo profitentur. Sedem mutare efflagitantibus diù clauduntur aures, leuitatis insimulantur, domum, ad quam transmigrare extorquent, quadriennio integro stabiliter incolere debent, & pro hospitibus semper habentur, prohibiti negotijs se domesticis ingerere; suffragium in Capitulo ferre, munus aliquod obire puta Vicariatus, Sacristae, seu Procuratoris. Omnes domi superinduunt cilicio Caputium

 assutum

assutum Tunicæ, & Scapulare vtraque ala connexa inter se ligula eiusdem panni, albique coloris infra vtrumque latus. Extra Monasterium vtuntur Galero, & Pallio, Clerici quidem nigri coloris, Conuersi verò grisei.

In Cartusijs amplioribus Claustrum Conuersorum aliud est à Clericorum domicilio. Istud Domus Superior, illud verò Domus inferior appellatur. Vnum à Cellerario, alterum à Priore administratur.

Ius Priorum eligendorum penes Clericos professos est, qui vel suis eum calculis decernunt, vel promotionem cedunt Priori Generali, aut Comitijs ijsdem Generalibus, prout à quolibet ipsorum renunciari maluerint.

§ X. Inter Monasteria Principem locum tenet Gratianopolitanum, à quo Cartusiæ nomen in reliqua Asceteria deriuauit. Maioris Cartusiæ titulo, alijsque æquis suæ præeminentiæ decoratur priuilegijs. Eius alumni amplioribus suffragijs ad ineundam Cœli gloriam post decessum muniuntur. Quem illa sibi moderatorem creat, Cœtui vniuerso Protopriorem designat, qua inuidiosa sane auctoritate modestissimè vtens parcè admodum in suos alumnos suffragia confert, sed merita cæterorum per Ordinem Patrum expendens, admouet clauo supremo Hispanum, Belgam, Italum, Germanumque, prout illustriori quis ex eis morum probitate effulserit. Singulis Annis Comitia Generalia excipit, nec vnquam viarum incommoda, situs asperitas, aut itineris distantia adeo Capitulares onerauit, etiam remotiores, vt alibi consederint. Si aliquando contigit Hæreticos rerum in Delphinatu potiri, aut ipsam Matricem conflagrasse Domum, quod sexies accidit, Patres conscripti stabili in eam obseruantia propè accesserunt, & in vicinioribus Asceterijs de rerum summa egerunt, quin immò acta Cap. An 1580. celebrati produnt Concistorium tunc habuisse Camberiaci in Aula PP. Ordinis Prædicatorum. Cœtus alibi interdum coactos indixere schismata in Dei Ecclesia gliscentia, non enim diuersorum Pontificum studentes partibus in vnum eundemque locum conuenire solebant.

§. XI. In Generalibus hisce Comitijs Monachi subditi Cartusiæ Maioris definiebant olim quidquid è re totius Ordinis foret. Quam consuetudinem sibi iniuriam antiquaturi Patres actualis Monasteriorum regiminis dignitate pollentes An. 1255. delegere Henricum Priorem Portarum, & Risserium Cænobiarcam Vallis S. Mariæ contra Henricum de Groyn à vocalibus Cartusiæ designatum longæui eorum iuris defensorem, ad eiusdem abrogationem impetrandam coram Ioanne Titulo S. Laurentij in Lucina Presbytero Cardinali, Philippo Primate Lugdunensi Electo, Humberto Ord. Prædicatorum Magistro Generali, Fr. Petro Rochelins de Tarentasia, & Fr. Radulpho de Varey eiusdem Ordinis Iudicibus ab Alexandro IV. designatis, qui omnes nouam definiendi excogitarunt rationem, quam imposterum obseruandam auctoritate Apostolica sibi commissa mandarunt, videlicet, quod Prior Generalis, & quinque Priores Primarum Domorum ipsius Ordinis, singulis Annis, ordine Domorum seruato, successiuè mutandis, descendendo scilicet vsque ad vltimum Priorem inclusiuè, Priore Cartusiæ solo nunquam mutato, eligant octo Definitores pro suæ voluntatis arbitrio, siuè de seipsis, siuè de Prioribus reliquis, siuè de Monachis Cartusiæ in eodem Capitulo congregatis, penes quos Definitores hac lege renunciatos sit plenitudo potestatis ordinandi, statuendi, & definiendi quidquid secundum Deum, & Propositum Cartusiense sanciendum duxerint. Ita Bullarium G. Rieschij numero 36. 37. 38.

§ XII. Qui ei Prioris titulo ius dicit, cum omne Ordinis regimen sustineat vt præmisimus, non maiori tamen, quam Aristocratica præest auctoritate. Monasterijs infra tres dietas consistentibus Priorem ipse designat. Nunquam extra suæ residentiæ adiacentias pedem effert, sed Religionem per Visitatores à Capitulo

Ge-

Generali ereatos moderatur. Rectores etiam singularum Domorum rarius vestigia é claustro educentes; temporalia quæque per Conuersos, Cellerarium, aut Procuratorem sæcularem administrant. Omnium dignitas annualis est, & diuturna, euoluto quippe mensis duodecimi spatio semper comitiorum tempus recurrit, in quibus quotquot præsident, Generalis etiam Præpositus, absolutionem petunt, & amotionis, seú confirmationis decretum Reipublicæ necessitas exarat.

§ XIII. Huiuscemodi regularitatis omnibus notis absolutissimæ huicui ratione sub oculis posita, aliud potissimum Cartusiensium decus summis laudibus efferendum, legum scilicet ab initio conditarum constans hactenus vigor. Humanæ fragilitatis conditio haud patitur perfectionis apicem assequutos arduo in vertice diú consistere. Accedentes arcet, stantes deijcit. Fatiscit, labascit sensim ingens virtutum moles, quę solidioribus innixa fundamentis æternitatem iactabat. Nemo repenté fit summus, at longæuo labore summos quandoque repenté deturbari ad ima satis superque comprobat pessundata inter Claustralium quamplurimos disciplina. Longe ab his Cartusienses, quos inter obseruantia viget primordialis, & post elapsa sex circiter ab incunabulis secula, adhuc senium ignorat. Præclara sunt Ecclesiæ Catholicæ sydera quorum sinceritas, vt ait Clem. 4. in Epist ad S Ludouicum Galliarum Regem edita. *In sui simplicitate non deficit, sed quasi lux splendens, vsque ad diem perfectum crescit*. Nicolaus Fabri relatus à Quercetano. Fr. Humbertus de Romanis Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, ille quidem in notis ad librum 1. Miraculorum Petri Venerabilis, hic veró cap 14. de modo prompté cudendi, alijque declamant irrepsisse, & ipsis inter Cartusianos aliquam ædium magnificentiam, vestium luxum, ciborum delicias, & census locupletioris studium. Sed hæc minimé officiunt, quin Cartusianus Ordo hodieque præ cæteris, quod tamen pace omnium dictum volumus, priscum illum rigorem suum retinere videatur: Non quod nihil de eo remiserit, sed quod non ab eo sic deflexerit, vt magnam aliquam ruinam fecisse censendus sit. Remissæ sunt nonnihil paucis tolerabiles abstinentiæ illæ, sed tamen manet perpetuus piscium esus, multa ieiunia, prolixæ vigiliæ, diuturnæ preces, multaque alia carni sané molesta. Cuius Apologiæ Auctor Franciscus à Puteo cap. 14. vitæ S. Brunonis veraciter etiam addidisset psalmodię grauitatem sacram immotam, diram proprietatis luem procul exulare, sicut, & secessum à turbis nunquam conclamatum. Adiunctus pallio vsus Galeri; at motu proprio emanato apud S Petrum Idibus Nouembris Pontificatus Anno 7. insertoque Bullario huius instituti num. 90. id iussit Vrbanus V. qui etiam Pontificia sua manu illud imposuit capiti Prioris Treuirensis.

§ XIV. Obliterata & lex de victima incruenta diebus tantum festiuis offerenda. Quotidie modo sacrificant. Verum id euicit Monachorum pietas. En mvero cum non ignorarent sapiens Augustini effatum: *Ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere*: esurientes tamen viuificum panem, malebant Deum colere frequentiori, quam parciori eius Corporis, & Sanguinis sumptione. Suspirijs expostulatorijs spirituali de ieiunio nimis protracto conquerebantur. Quis det de carnibus eius vt saturemur? Ecur in domo Domini diuturnior mora ad gustandum, quam suauis est Dominus? Ergone filijs Israel ex Ægypto profugis deerit in solitudine, & manna? Ad perfectionis montem anhelantibus panem Angelicum nemo apponet, quo reparatis viribus reliquum conficiant itineris? Quamplures haud voti compotes deficiebant ab instituto, quod facere dum aggreditur quidam Alexander nomine, à Petro Blessensi Epistola 86. arguitur, in cuius antiquioribus scholijs Io. Busæus, alijque in recentioribus eruditissime dißerunt de hoc statuto siué condito, siué obsoleto. Itaque consultius visum est pijs tandem desiderijs satisfacere, data facultate sacræ se mensæ quotidie sistendi, ac tremenda con-

da con-

da conficiendi Mysteria:

§. XV. His, alijsque abrogatis consuetudinibus; quarum antiquationem seu discretio, seu impensior pietatis feruor suadebant, reliqua, austera quamuis, vigent. Ieiunium à carnibus præ cæteris carni exosum audit. At Cartusienses ne illarum esum semel à suis profligatum mensis reuocent vnquam, nec mitiores obaudiunt spiritualis vitæ Magistros, vel fauentes Iuris peritorum sententias an plectuntur, seú pro diplomatibus humanæ imbecillitati indulgentibus Pontificias aures pulsant. Vix sexaginta originis annos enumerabant, cum iam Petrus Cellensis lib. 5. Epist. 12. ad Basilium Protopriorem scribebat. *Quam enim Friuolam, & inconstans est, sine ratione, & authoritate meliorum mutare decreta, & Statuta seniorum: Tám pertinax est, & extra regulam temperantia, qua est mater virtutum, velle temporibus, & moribus hominum negare, qua deceant, & expediant*. Verum nec ille nec successorum quisquam aquieuit innouationis consilijs, quinimmò præclara ne à carnibus abstinentia labefactari imposterum periclitaretur Anno 1254. firmata est strictiori hoc decreto edito ad calcem priuilegiorum Ordinis per laudatum G. Rieschium num. 134. *Nouerint vniuersi præsentem paginam inspecturi: Quod B. (scil. Bernardus de Turre tunc temporis Prior Cartusia) & cæteri Priores vniuersi eiusdem Ordinis ad Generale Capitulum in Cartusia simul congregati, & in ipso Capitulo existentes, præsentibus Venerabilibus Patribus Rob. Dei gratia Tarentasien. Archiepiscopo, & Fr. eadem gratia Episcopo Gratianopolitano, spontanei, & voluntarij non coacti, tám pro se, quam pro suis conuentibus vnanimiter, & concorditer in pleno, & Generali Capitulo esui carnium perpetuó abrenunciarunt: adijcientes quod si quis illorum, siué Prior, siué Monachus contra huiusmodi statutum præsumptione temeraria, quod absit, venire præsumpserit, à Societate, & communione totius Ordinis, & ab ipso Ordine amotum se nouerit penitus, & exclusum. Dat. An millesimo, ducentèsimo, quinquagesimo quarto, die luna post Festum Ascen. Domini.*

§. XVI Nonnunquam Summorum Pontificum, & singulatim Vrbani huius nominis quinti mens fuit Ordinem ab huiusmodi onere absoluere, quippe qui apud semetipsum cogitaret eos durius secum agere, & vitam abijcere, qui vires ferculi ad sustentationem necessarij carentia, eneruarent. Mutauit verò sententiam, cum Io: de Nouauilla Cœnobiarca Auenionensis ad eundem pro auiti rigoris causa ablegatus protulit Iangelinum, exceptis alijs Monacatus annis, in solo Generalitio munere sexagenarium alium præterea Cartusiæ Parisiensis alumnum in hoc proposito centenarium, nec non & octoginta longæuos senes, qui vltra octogesimum à mundo abdicato annum, incolumes in eodem agone durauerant.

Nec desunt etiam nunc sapientes secundum carnem Doctores, qui sententijs consentientibus rescindendo anni 1254. præmisso sancito viam sternant. Attamen constantes in abstinentia Patres eis aures obturant, libentius exaudiendo Arnoldum villanouanum, Gersonem, Dionysium Richelmium, Ioannem Andreæ, & alios, prodesse qui animabus, nec obesse adeo corporibus, vt eorum temporalem perimant vitam, doctis comprobant argumentis. Si quis temerè contraire deprehenditur, cum iam non expungatur à Monachorum cœtu, deijcitur tamen, si quidem Prior fuerit, aut in aliqua quauis dignitate constitutus, aut officio, ex ipso munere, reuocationis spe perpetuò amissa, vocibus item caret, ac præcedentijs inter cæteros; sin autem Monacus subditus, ad supremam vsque diem carceri emancipatur, ad Capit. Generalis placitum duntaxat emittendus. Ita nouæ Collectionis statutorum pagina 2. capite 10. §. 14. Num præter districtionem regularem, præuaricator obnoxius sit culpæ lethali, & quonam dato casu eis vesci liceat, extra quamcumque, vel legis offensam, vel animæ labem consulendi sunt morales Nauarrus, Lessius, Caramuel, Vasquez, Pasqualigus. Nos parcimus disquisitioni super-

peruacæ, præcipuè inter Monachos huiuscemodi obseruantiæ ad æmulationem zelatores, quos inter non defuisse, qui gloriosam mortem oppetierit, ne carnes, à Dommaiio impio, fidei catholicæ desertore oblatas, contra fas gustaret, ad Annum 1572. parte 5. adnotabimus.

§. XVII. Iam verò si quempiam scire delectat, quibus auspicijs ab initialis austeritatis apice Cartusienses nunquam exciderint, discat operæ pretium est ex Dorlando Chron. Cartus. lib. 4. Cap. 1, Hieronymo Plaro de bono status Religiosi lib. 1. Cap. 34. & Marraccio de Fundatoribus Marianis, Ordinem hunc in paucis Matriæ Dei Parenti ad dictum, sacrumque. Enimverò præterquamquòd illius, & S. Io. Baptistæ nominibus suæ institutionis Templa inscribit omnia, seu inaugurata habeat citra quamcunque declarationem, id uidelicet innuentibus Statutis Recentioribus Part. 2. Cap. 18. §. 6. ubi Candidatis hanc, sacra nuncupandi uora, formulam præscribunt. *Promitto stabilitatem, & obedientiam, & conuersionem morum meorum, coram Deo & sanctis eius, & reliquijs istius Eremi, quæ constructa est ad honorem Dei & Beatæ semper Virginis Mariæ, & Beati Io. Baptistæ*. Quæ verba, ut ibi subditur, minimé variantur, licet Ecclesia constructa sit ad honorem alterius sancti, eamdem quotidiana propri, officij recitatione, alijsque deuinctissimæ pietatis argumentis multifariam colit. Causam subdit Dorlandus lib. ubi supra. Siquidem qui primi huic militiæ nomen dederant grauioris conuersationis austeritati impares, signa iam deserebant, nisi S. Petrus, cum eadem Virgine puerpera, eis apparens, in mentem iniecisset, humanam tandem imbecillitatem expugnaturos, si Cælorum Reginæ auspicia, quotidiano eius officij penso, promereri liberet. Eam ideo præsentem adesse, ut dictis fidem adstrueret suis, & patrocinium sponderet præsentissimum. Ex tunc nec Cartusianis Marianæ suppetiæ, nec defecere Cartusiensium in Mariam obsequia.

§. XVIII. Alia item vice, teste eodem Dorlando, lib. V. Cap. IX, cum in nonnullis ordinis Domibus, tam grauis, agente Sathana, vis tentationum incumberet, quod omnis sacra disciplina patribus tædio esset, & horrori, ingens cum luctu, & lacrymis omnium clamor ad Deum factus est, qui volens eos eripere à facie tribulantis, per Angelum sanctum suum piissimum ex eis Monacum affatus est. Propitiabitur uestri mater misericordiæ Virgo Maria, si in horis suis, quas legitis, Salue sancta Parens, inter Primam & Tertiam inserere uolueritis, & Missam singulis diebus in eius gloriam celebrare. Duplici itaque quotidiano obsequio Ordinem se Marianum inter primos profitetur. Nec absque ingenti fruge. Ab eo enim tempore, quo præfatas Diuæ Virginis laudes assumpsit, à summo religiosæ asperitatis vertice nulla eum unquam deiecit nec humanæ fragilitatis conditio, nec temporum vicissitudo, aut tartarei hostis dolus.

§. XIX. Discrepant tamen in modo loquendi Dorlandus, & Petreius Cartusianæ historiæ illustratores egregij. Ille lib. 4. Cap. 1. prodit Apostolorum Principem nutantibus in arrepto Instituto Monachis sic effatum. *Vnum noueritis sacratissimam Dei Matrem Mariam, vos hic ab incommodis omnibus seruaturam, & patronam vestri Ordinis futuram: tantum horas eius, ut nuper in Romana Ecclesia institutum est, decantetis.* Hic vero Elucidationum in Dorlandi Chron. lib. 1. Cap. 1. tradit, *Quatenus horas Canonicas in honorem sacratissimæ Virginis quotidie decantarent, quod deinde etiam Clerus vniuersus, uti ex decretis Claromontensis Concilij constat, imitandum suscepit.* Itaque alter officij Mariani recitationem ex Cartusiensibus, inter Clerum; ex Clero, alter, inter Cartusienses propagatam perperam censet. Dorlandus suo scholiaste solidius loquitur, nimirum teste Petro Diacono In Reg. D. Benedicti Cap. 64. laudes Virgineæ iam in Monte Casino addebantur quotidie officio maiori ex Con-

 stitutione

ftiturione Gregorij II. qui Pontificatum inijt Anno 715. Eius item recitationem in quodam suorum Monasteriorum diuinitus confirmatam, contra Bozonem Monachum improbatorem, notat Petrus Damianus Ep. 32. ad Eremitas Gamugnenses, quam & Vrbanus II. ideo Claromontano in Concilio Ecclesiæ Vniuersali imposuit, ut in lucem gentium educeret, quod educatus inter Cluniacenses didicerat. Quod singulariter Brunonis Ascetas Petrus edocuit est, quod sequitur apud Dorlandum, sic tamen ut horas Canonicas, horæ Virgineæ præueniant, sed Completorium subsequatur, hæc enim Consuetudo extra Cartusienses, & Cistercienses non exijt. Sed ad locum, unde veritatis enucleandæ gratia discessit, oratio reuertatur.

§. XX. Superuacuus iam erit labor, sed quem minime præterire fas sit, sanctissimæ vitæ normæ, eiusque portentoso iam post tot Annorum decursum obseruantiæ roboti debitam encomiorum appendicem attexere. In Chron. Mauriniacensi *supereminentissima Religionis*, Celebrantur Cartusienses, *& incomparabilis authoritatis. Columba mitis & humilis & electa Domini specialis, pulchra per totum* nuncupantur ab Alexandro 4. in Bulla 34. apud G. Rieschium; ab Innocentio autem. V., Bulla 84. quæ est diploma exemptionis Cartusiæ Vallis benedictionis à decimis dicuntur *Candidi Nazarei, vitæ munditia nitidi, feruore charitatis igniti, rigore abstinentiæ pallidi, & austeritate macerati, mundo mortui, Christo viuentes.* Si credimus Petro Cellensi, Epist. 13 lib 1. *Cherubim*, ipsi sunt siue *seraphim immediatè assidentes Agno, & Throno gratiæ accedentes.* S. Bernardus censet eos inter omnes regulares Ecclesiasticos ordines primatum tenere, non ratione temporis, sed rigorositatis, quos item alloquens Vuillelmus Abbas in sermone ad fratres de monte Dei, ait. *Altissima est enim professio vestra, Cælos transit, par Angelis est, Angelicæ similis puritati. Non enim solum vouistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem.*

§ XXI. Verum cum Institutionis præstantiam hæc efferant encomia, singularum etiam virtutum eminentiam Authores celebrant. Eorum solitudinem, ac taciturnitatem, carcerem perpetuum, æternumque silentium vocat Baptista Mantuanus. De quibus etiam Maximilianus Sanderus lib. 2. Comment.3. Exerc. 3. Disp.6. eloquentissimè pangebat.

Pallentem nuper rigidi Brunonis Alumnum
Sic adijt mundum linquere certus Odo
Ede, Pater, quæ Cartusia sit regula vitæ,
Qua nox, quaue dies; quid fugiant, quid agant.
Ede, quibus studijs hic viuitur; ille tacendo
Fugit, & ingemuit. Non potuit melius.

Franciscus Petrarca suorum temporum disertissimus, cum inuisisset Gerardum Fratrem suum in Cartusia maiori Altissimo emancipatum, ad quem etiam extat eiusdem Epist. XIIII. rer. senil. reuersus ad patrios lares, edidit librum de otio Religiosorum, in cuius Epistola Pręliminari ad Ascetas eosdem nuncupata, concinit præclaro hoc Elegio piæ diuinarum laudum modulationi, qua solummodò eis rumpere silentia fas est. *Vidi Angelos in terra, & in terrenis corporibus habitantes, suo tempore habitaturos in cælis. Nunquam mihi breuior lux, nunquam velocior nox fuit, dum deuotum silentium, & Angelicam psalmodiam stupeo.*

Nec mirum deuotis Cartusiensium concentibus Petrarcæ occinere laudes, quorum in diuinis celebrandis officijs canendi modum aures sibi suauissimè demulceantem

mulcentem Saluator noster apud S Birgittam Reuel. Extrauag. Cap IV. approbat, eamdemque methodum suis Virginibus obseruandam præscribat, imperat, *Imitentur*, inquit, *illorum tantum qui Carthusienses vocantur, quorum psalmodia plus redolet suauitatem mentis, humilitatemque, & deuotionem, quam aliquam ostentationem.*

O Angelicos vere secessus á Mundo se abducere, & Deo adstare! O Cœlestem reuerá taciturnitatem, muros silentio viuere, nec linguam soluere, nisi ut sui conditoris in laudes erumpat!

Plaudentium agmen claudit Petrus Mauritius scribens ad Priorem Majoreuicensem lib. 6. Epist. 25. *Instituta Cartusiensia Vniuersarum Religiosorum Institutionibus prætuli.*

§. XXII. Cuius comparationis si ego declinaturus inuidiam sacram Cartusiensium disciplinam cæteris Regularium Institutis præferre abstinuero, prodere cur uerear illustriora ex ipsis Cartusiensium ope eam sibi comparasse cum morum sanctitate nominis celebritatem, qua de præstantia compugnant? Busfeldensis Congregatio, quæ Cœnobiorum amplitudine, doctissimis Lyceis, celeberrimis scriptoribus, pijsque Ascetis Germaniam illustrat, coaluit ne ex multis collapsæ Benedictinæ obseruantiæ Claustris in Cœtum usque adeo præclarum, alio instauratore quam Ioanne Rode, ex Cartusiensi ad S. Albanum secus Treuerim, Abbatiali Sancti Matthiæ Pedo intra eamdem urbem donato, de quo Trithemius lib. 2 Cap. 140. De viris illustribus Ord. S. Benedicti, & Christophorus Brouuerius in Annal. Treu. ad Annum 1439? Institutorem suum si producat Congregatio Can. Reg S. Petri de Monte Corbulo in Hetruria, is apparebit Petrus Regiensis, alijs Mediolanensis, Brunonis aliquando Alumnus, ut alibi uberius trademus ex Gabrielis Pennotti Hist. Tripar. lib. 1. Cap. 54. §. 5. Auctoritati Petri Saurnier lib. de Cap. sac. Ord. S. Spiritus Cap. 7. Arg 5. §. 35. & 46. me referam, ut sacro S. Spiritus Ordini, ab Aula Saxonum, quam Romæ inhabitat, in Saxia nuncupato, duos præferam Præfectos supræmos, Commendatarios vocant, Leonardum nempe Bona fide, & Ioannem Baptistam Ruinum, qui ambo in eam scænam quasi Deus ex machina prodiere.

Quantum conuersatione inter eosdem profecerint Gerardus Magnus Clericorum Bonæ voluntatis per Germaniam Superiorem, & inferiorem larè propagatorum legislator, seú Diuus Laurentius Iustinianus Can. Reg S. Georgij in Alga Auctor, aut Lupus de Olmeto Reformator, & per Hispaniam Italiamque ampliator clarissimæ Hieronymianorum sobolis, quæ etiam, cum ex Eremiticis ad Cænobitica castra immigrare in animum sibi primò induxisset, Pontificio diplomate duos ex Segouiensi dei Paular claustro accersierat Patres, à quibus Præfectis Generalibus Comitijs, apud Lupianam primò habitis, perfectioris militiæ Sanctiores leges hauriret, docent abundè sacræ eorumdem Chronologiæ Elucidatores diserti Ioseph Seguntinus Hist. Hieronymianæ lib. 2. Cap 32. & 33. Thomas à Campis in vita Gerardi magni cap. IV. VI. & VII. Io: Petrus Crescentius in gestis Lupi de Olmeto lib. 3. §. 3. Præsidij Romani lib. 1. pag 438. Bernardus Iustinianus in nuncupatione vitæ Diui Laurentij ad Priorem, & ascetas S. Andreæ de litore Ord. Cart. Quid Ordinem Prædicatorum habitu Cartusiensibus fere adæquat, sicut, & ritibus admodum assimilat? Sané eorumdem Propositum in ipsis rudimentis perscrutanti patebit, Institutorem Dominicum adijsse sub Basilio 8. Generali Præposito Gratianopolis Archicænobium, ibidem obseruatum, quas suis præscriberet consuetudines, suamque sobolem ad sublime adeò vitæ à mundo segregis exemplat conformandi gratia. Familias omnes sacris Deo votis per Germaniam obstrictas Card. Cusanus Sedis Apostolicæ Lega-

Legatus ad observantiam primordialem infra unius Anni 1471. spatium feliciter composuerit: cui amabò potior hujus Spartæ gloria debetur, nisi Dionysio Richelmio, itineris, maximæque Provinciæ in socium adscito? Ita legitur penes Auctoré vitæ ejusdem Dionysii, quæ legitur ad calcem quarti ejus voluminis in lib. sentent. Itemque apud Ioannem Majorem è Soc. Iesu in Speculo Exempl. titulo Consil. Exempl. V.

Quis tandem ibit inficias perinsignes, omnique commendatione majores Carmeli restituti, ac Soc. Iesu Cœtus piæ Cartusiensium beneficientiæ maximoperé debere? Nonne Frater Sebastianus à S. Francisco Discalceatorum eorumdem in Conventu Murinensi Prior in inscriptione libri de Disciplina Monast. ad Præfectum, & Monachos Cartusiæ Bononiensis, immo ipsamet Seraphica testaurarrix cap. 29. ubi de origine Parthenize Hispalensis, luculenter æternitati commendant effusam eorumdem munificentiam in primas Reformationis Colonias? An non, & Nicolaus Orlandinus Ignatii leges profitentium Annalista lib. 4. num. 102. 106 & 107. cum Petro Francisco Chiffletio in præfatione lib. de quadripartito exercitio cellæ promerita grati animi monumenta rependunt amplitudini Cœnobitarum Coloniensium, qua Patres ad prima per Germaniam Societatis fundamenta iacienda aduenientes humanissimé hospitio excepere, opibus, consilio, procurato potentium fauore iuuarunt, typisque, voceque nominis famam ab impostoribus vindicarunt? quam disertè exaggerat sodalitiũ etiam totũ in consortium quorumcumque bonorum spiritualium admissum, datis germanitatis literis ad ipsum Antesignanum Ignatium Anno 1544. Generali Patrum conscriptorum senatu apud summam Cartusiam sedente? En tibi benigne lector fontem, qui è loco voluptatis procedens irrigare vniuersam superficiem terræ Geneseos cap. 2. fertur: Cartusienses nimirum de quorum plenitudine dum omnia propemodum claustralia Instituta ebibunt, fœcundantur terrestris Paradisi Areolæ, quæ speciosissima, suauissimaque virtutum amenitate in Horto Dei, nempe in Ecclesia Catholica vernant.

§. XXIII. Verumtamen sanctiori disciplinæ in reliquas sacris votorum vinculis Deo emancipatas familias seu æmulatione, seu Cartusiensium opera inuectæ, itemque incrementis ex eorumdem charitate in ipsas deriuatis subdere præstat potestaté factam quibusenmque ex earum Symmistis gloriosorem de sæculo, quin immò, & de se ipsis, victoriam adornantibus, antiqua desciendi signa, & sub Brunonis se conscribendi vexillis. Auitæ rigorositatis, à qua nunquam excidere decus singulare prorsus hoc est. Neque enim amplissimum diploma, summæque existimationis palmare argumentum promeruit hic Ordo opinione sanctitatis excitata apud Sanctam sedem arctitudine primordiali, sed fama virtutum per sex, decursum seculorum inclarescente. Immo alias, aliter consuetudo iubebat. Nec migratio ad Cartusienses omnibus indistincté Religionibus patebat, nec Cartusienses adeo arctè suo addicebantur Brunoni, vt alijs in castris facere stipendia nequirent. Abibant ad Cluniacenses, quem transitum Petrus Blessensis improperans Epist. 676. Alexandro Monaco, aiebat. *Ferrem patientius, si ad Cisterciensis Ord: obseruantiam te transferres. Si enim in proposito religionem habes, ibi probatissima religionis schola est, summus ibi modestiæ vsus, morum regularitas, fraternitatis affectio; pax animi, omnium communicatio, mutua obsequela, disciplinæ vigor, amor obedientiæ, vinculum charitatis, carnis seruitus, hospitalitatis exhibitio, legendi libertas, vigiliarum excubiæ, quies meditationis, deuotio psalmodiæ.* Et reuera Monastici hi Ordines, immò Monasticorum Ordinum luminaria magna Cartusiensis, ac Cisterciensis à supremo rerum Moderatore, gemelli veluti foetus, vno, eodemque tempore in lucem Ecclesiæ educti, morum discrepantia nulla florebant. Ambo condendis Monasterijs asperiores solitudines deligere

ligere, pede ab hominum turbis educto, mente hærere syderibus consueuerant. Ciborũ etiã vna eadéque parsimonia & ratione vti in moris habebant, vt proinde Iacobus de Vitriaco Historiæ Occidentalis lib. 18. de Cartusiensibus scriberet. *In modo autem, & vsu ciborum à Cisterciensibus non discrepant*. Summa ergo disciplinæ consonantia, mutuaque in inuicem charitate, quam Diuus Bernardus cum Guigone, Bernardo Portarum, alijsque primus impensè coluit, asperrima & ipsa Bernardi septa facilè Brunonis soboli patebant. Nec passim, inquam, ad nos deficiebant Insignes Cartusiæ Ascetæ, sed ipsa integra Cœnobia, familiatum reclamante nemine, in rem nostram transibant. Nam SS. Brunonis, & Stephani secunda Ordinis propago in Calabria sita, Diui Brunonis incolatu, & tumulo inclita Cisterciensium statutis, primo nondum elapso seculo à iacto fundamentali lapide se subiecit, nec, Surio, vitæ Sancti Brunonis cap. 32. teste, ad suos redijt conditores ante ætatis huic proximæ annum quartum, & decimum. Piorum etiam hominum Conuentus in Diœcesi Traiectensi, quorum nomenclatio *Domina nostra in Iselsteim, Beata Maria in Galilea, alij, in Zoerkelo, & Portus Beatæ Mariæ in Vuarmonda*; cum à regimine, visitatione, & consuetudinibus Cistercij pendere instituissent, & præterea ad normam Cartusiensium perpetuæ clausuræ se subdere; voti compotes facti leguntur in diplomate eorum aggregationis ad Ordinem directo Abbatibus Campensi, & Scholæ Beatæ Mariæ Anno 1417 Tertio Nonas Iulij. In eo siquidem, quod per extensum prælo subiecit Ioannes Lindebornius Dauentriensis Hist. cap. 7, 94. pag. 400. Ioannes Abbas Generalis Cistercij inquit. *Est verum quod pro parte dictorum Priorum & suppositorum eorumdem fuerat coram nobis propositum, quod vt Deo liberius, cui se solemni voto deuouerunt, possent deseruire, vellent more sanctæ plantationis Ordinis Cartusiensis perpetuò includi, Prioribus, & Procuratoribus eorumdem, quorum solicitudini exteriorum incumbit solicitudo duntaxat exceptis, &c. Nobis igitur humiliter, & deuotè supplicare fecerunt, quatenus ad præmissa ipsos licentiare, atque in ipsis, authoritate nostra præmissa, dispensare dignaremur. Nos verò &c. Datum in Sacro Sancto Constantiensi Concilio Anno Domini 1417. quinta die mensis Iulij, sede vacante*. Quid plura? Adeo frequenti transmigratione vtriusque Instituti Asseclæ primæ conuersationi valedicebant, vt cum inconstantiæ æstu iactatis transitus facilitas nimium fauere censeretur, re maturè discussa, emanarint literæ Capituli Generalis in Cistercio sedentis ad Iangelinum Cartusiensium Protopriorem meritissimum, tenoris sequentis. *Ego Frater G. dictus Abbas Cistercij totusque Conuentus Abbatum Capituli Generalis. Notum facimus præsentibus, & futuris: Quod nos, & Fratres Cartusienses hoc fœdere perpetuo sumus inuicem obligati: vt ipsi fratres nostros ab Ordine nostro recedentes sine consensu nostro, in Ordine suo nulla ratione suscipiant: Nec nos Fratres eorum recedentes ab ipsis, nisi ex eorum beneplacito ad habitandum nobiscum recipiemus: vtque stabilitate perpetua hæc rata sit pactio tam nostro, quam illorum sigillo munire curamus. Actum est hoc Anno Incarnat. Domin.* 1195. Infra sequitur *Reuerendo Patri, & Domino I. ita Deo disponente Priori Cartusiæ.* Transumptum extat apud Gregorium Rieschium in fine priuilegiorum huius Ord. num. 135. pag. 48. ad cuius etiam conformitatem loquuntur Institutiones eiusdem Cisterciensis Ordinis pag. 1. cap. 3, Libellus antiquarum definitionum dist. xi, itemque Annales Angeli Manriquez ad Annum præfatum.

§. XXV. Sed præter illustriores Cluniacensium, ac Cisterciensium Ordines, ius erat Cartusianis nomen dandi Camaldulensibus Eremitis, diplomate Eugenij 4. sub Datum Kal. Decembris An. 1435. quod extat Tomo 1. Cherubini Laertij num. 8. ad Dominicanos etiam communi Theologorum Parisiensium, iurisque Doctorum sententia, quam referunt Sylu. V. Religio 4. quæst. 6., Paludanus in 4. dist. 38 quæs. 3. Art. 1. num. 11. S. Antoninus Tertia par. Tit. 16. cap. 4. §. 4., ad Minoritas, teste S. Bonauentura

nauentura, cap. XII. §. XIII. de determinatione quæstionum circa regulam S. Francisci, vbi inquit Religionum nemini interdictum mereri sub Diui Francisci regula, cum tamen semel inter Minoritas adscitus, prohiberetur aliam profiteri. Ordo S. Spiritus in Saxia gaudebat priuilegio modo ad Cartusienses translato admittendi videlicet cuiuscumque Regularis obseruantiæ alumnos, quod innuit supra laudatus Saurnier Dissert. de cap. Sac. Ord. S. Spiritus cap. VI. Arg. V. pag. 35. Birgittanis cum indulsisset Ioannes XXII. accedere ad hunc Ordinem Bulla, quæ in Synopsi approbationum, & priuilegiorum eiusdem Ordinis incipit. *Etsi ex debito Ministerij*, hanc legem postea antiquauit, quod suppares eisdem Cartusianis haberentur, Innocentius 8. literis directis Bracarensi, & Vpsalensi Archiepiscopis. Textus habet. *Quodque nullus Frater ipsius Ordinis sub pœna excommunicationis, ad quemcumque altum Ordinem etiam Cartusiensium, etiam pretextu cuiusuis indulti Apostolici, etiam præsentibus derogantis se transferre possit &c. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Inc. Domini 1488. 18. Kal. Maij Pontif. IV.*

§ XXV. Sed tandem ætate adulta, nec ideo minorata perfectione Cartusiensibus palma defertur. Patet extrauagantis Pij V. quæ Pontificum prædecessorum reuocatis indultis, antiquato consuetudinum iure, Doctorum contentionibus indicto silentio. Cartusiensium fores omnibus pandit, qui Dei obsequio alijs iam militantes in castris sacratiori recessui, rigidiori abstinentiæ, abiectiori humilitati anhelant. Lex est omnes afficiens Monachos, Mendicantes, Canonicos, ac Clericos Regulares. Horum quorumcumque Cœtuum Moderatores Summi subditum pro dimissione instantem præpedire non valent. Immó quæ Religiones suæ viuendi normæ tenaciores, non consueuere, potestatem facere alumnis alteri cuicumque Instituto nomen dandi, patiantur illos suo auelli à sinu fas est, quandocumque malint ad Cartusiam confugere. Tales sunt Clerici Regulares *S.* Pauli, Sancito Gregorij XIII. sub Datum Idibus Septemb. 1577. *In specula*. Carmelitæ Discalceati Const. eiusdem summi Pontificis emanata XXII. Iunij 1580. Incip.. *Pia consideratione* Bullarij Rom. sicut, & præcedens Tom. 2. num. 64. Professi Societatis Iesu Sanctione Gregorij XIIII. Kal. Iulij 1591. *Ecclesiæ*, Augustiniani Nudipedes bullatis literis Vrbani 8. quinto Non. Augusti 1628. *Ex iniuncti*.

§ XXVI. Qui aliqua gaudent exceptione sunt Trinitarij nudis itidem pedibus incedentes, & Capucini, quibus idem Vrbanus facultatem arctauit ad ueniam discedendi peritam a superioribus suis, ac impetratam, Apostolicis literis signatis eadem die nona Augusti Ann. 1624. & 1628. quæ sicut, & præcedentes prostant Tomo 4. & 5. Bullarij Cherubini Laertij. Hieronymianis Congregationis Hispanæ tantum, & Clericis Regul. infirmorum ministris strictius interdicta huiuscemodi commigratio, illis quidem absque Sedis Apostolicæ, Generalis præfecti, aut Comitiorum Generalium placito, ita referentibus Tamburino de iure Abbatum disp. 7. qu. 2. & Io: Petro Crescentio Præsidij Romani part. 3. pag. 64. num. 121., istis veró quamdiú expressa summi Sacrorum Præfecti indulgentia caruerint, hoc enim vinculo eosdem obstrinxit Paulus V. constitutione XX. incipiente. *Romanum decet Pontificem* §.4., cauet enim, *Religiosos eiusdem Congregationis Ministrantium infirmis ad ipsum etiam Cartusianorum Ordinem sine speciali nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis, aut Cardinalium supradictæ Congreg. Episcoporum, & Regularium licentia transire Auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuó prohibemus. Dat. Romæ apud S. Petrum 16. Maij Anno 1606. Pontif. II.*

§. XXVII. Instituta Cartusiensia vniuersarum Religionum institutionibus præferri, iam non est Petri Cluniacensis effatum, sed Pontificis maximi oraculum. Præcellentis fastigium rigorositatis regularia inter germina disceptatum Brunoni duntaxat

tamen adiudicat, ad cuius mores se componere amplissima cæteris indulgentia concedit, cum deinceps suffragari eisdem Cartusiensibus nequeat vsus, qui inualuerat propriis valedicendi Consuetudinibus & alienarum obseruantiæ se deuouendi, quòd hæc facultas sit ab ipso summo Pontifice nominatim, & specialiter impertienda, quemadmodum diserté Rodericus Tom. 3. 99. Reg. q. 52. Art. 19. Azor lib. 12. cap. 14. Sanchez Moral. Tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 29. Lorichius in Thes. Theol. V. Cartus. q. 3: Bartholomæus á S. Fausto Thes. Relig. lib. V. q. 324., & 350. Nauarrus Consil. Regul lib. 3 Consil. 53. licet longè distem à sententia, quam huic adnectit, posse videlicet Cartusienses commeare ad Minores Capucinos tuta conscientia, quandocumque non intercedat scandalum, seu reclamatio superiorum vtriusque Cœtus. Enimverò præterquamquòd huiuscemodi opinionem vsus oppositus infirmat, stant irreuocata, ideoque vigent Sancita Pontificia Clementis VI. ad Id. Decembris, Benedicti tertiidecimi sub nonum eius inaugurationis in summum Pontificem Annum, & Martini V. sub Dat. Nonis Octob. Summi Sacerdotij A. VIII. quæ omnia animaduertunt in Cartusiensem transeuntem ad Mendicantes, inexorato ob id Christi vices in terra gerente, qui libello supplici nominatim subscripserit.


§. XXVIII Pergat iam Petrus Mauritius sæpé laudatus corollarium ex præmissis deducere, quo coronidem primæ huius Theatri parti imponam. Proferat consonam Cartusiensium præstantiæ sententiam. *Magni ergo sunt, amandi sunt, amplectendi sunt*. Cum hæc ille lib 6 Epist. XII. ad Eugenium Summum Orbis Catholici Parentem scribebat, ipsi non alia, quàm pauperum Christi prærogatiua, gloriabantur. Ita passim inscriptiones Epistolarum præferunt, quales sunt Guigonis primi Maioris Cartusiæ Præfecti in præloquio vitæ S. Hugonis ad Innocentium Pontificem maximum: *Cartusiensium pauperum Seruus inutilis Guigo*. Item Guigonis, eiusdem Cœnobij, totiusque Ordinis Moderatoris supremi, huius nominis secundi, ad Bauonem Vuittamiensis propaginis Rectorem, cum illi transmitteret inscriptionem lib de quadripartito exercitio cellæ: *B. Priori Pauperum Christi, qui in Vuittheam commanentes, Ordinem sunt Cartusiensem professi*. Consimilis est & illa Prioris Maioreui ad passim commemoratum ipsum Petrum Cluniacensem inserta lib 6. eius Epistolarum num 23. *Petro &c. Frater Humilis Pauperum Maiorensi Prior*. Sed tandem benignissimo Patri cum placuerit pusillum suum gregem promouere ad Regnum, ipsi sunt, *Paruus Fons, qui creuit in fluuium* (vt ait S. P. Martinus V. Bulla IV. ap. Bull. Rom. Tom. 1.) *& in lucem solemque conuersus in aquas plurimas redundauit. Ordo prælucidus, quia in sui Ortus exordio paruus, & humilis, abiectione habitus, tenuitate substantiæ, humilitatis professione, ac numero professorum, sub fontis similitudine non indigné describitur. Hic enim fons est hortorum irriguus, cæteras irrigans Religiones, & Ordines, ac exemplis salubribus scaturitans. Hic est fons amœnus varietate virtutum, præclarus munditie, puritate, pietate patens, indeficiens Sanctitate, horum meritorum illustratus, ita nomen fontis ampliauit, vt fluuius esse censeatur*. Et infra. *Huius siquidem Ordinis Sacra Religio, á sua institutionis auspicijs quasi deserta, & invia, paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris, & honestatis fructus parturiens, ramos suos; ramos quidem honoris & gratiæ, generationes germinans*, Religionis *sinceritatem, & austeram vitæ continentiam ampliauit. Eapropter exultat iam in multitudine numerosa spectabilis, quæ olim in solitudine dilatebat*. Itaque magni nuncupandi sunt quinquies mille Ascetarum numero; perperam enim Barbosa Iuris Eccl. lib. 1. cap. 11. § 182, p. Crescentius præsidij Romani lib. 1. p. 786. num. 21. minori supputatione bis mille detrahunt. Magni sunt Episcopalibus Infulis, Cardinaliumque Purpuris, quas, meriti præexcellentia detulit vel inuitis. Magni sunt pijs elucubrationibus, quibus turpi otio à Cellis excluso, iugiter incumbunt. Magni sunt tercentum propemodum Coloniarum am-

rum am-

umam plitudine, si centum & septuaginta adhuc florentibus addantur reliquæ, vel ab Hæreticis solo æquatæ, vel Cartusijs illustrioribus accensitæ. Nec iam amandos, aut amplectendos, inquam, sed auspicijs in gratulationem commutatis, amantur, canam, amplectuntur, qui per Orbem Catholicum effusi, etiamnum 74. Cœnobijs sex in Gallijs Prouincias componunt; septem decim, binas per Hispaniarum regna conflant; tredecim, unam in Delphinatu; undetriginta, tres in Italia; in Germania verò dilatantur Prouincijs tribus, famil js vna, supra triginta, quarum alias Vngaria, alias Polonia, alias Bohemia nutrit, & hæc præter Prouinciam Lusitaniæ, quæ uno & altero tantum domicilio constat. Magnos tandem plaudam, diplomatibus ingenti apud rerum Dominos æstimatione impetratis, & recensitis à Rhenato Coppino Monast. lib. 26., Antonio Brauo in Obseruationibus super eisdem edictis Hispali 1632., Augustino Barbosa Iuris Ecclesiast. lib. 1. Cap. 41. §. 182, Gregorio Rieschio in compilatione eorumdem. Inter hæc Ordinem approbauit & sub protectione Apostolica recepit Alexander 3 Anno 1176. quarto Nonas septembris. Ab Ordinarijs exemit Cælestinus 3. sub Dat. 4. Idus Iulij Pont. f. Anno sexto, & Bonifacius VIIII. 17 Cal. Aprilis 1391. Eius Religiosos a solitudine distrahi inhibuit Honorius Bullatis literis quinto idus Februarij A. 1218. Possunt per Patres graues deligendos in Cap. Generali absoluere Monachos suos á quocumque casu, exceptis IV. summo Pontifici reseruatis, sancito Alexandri V emanato A. 1255 IV Nonas Aprilis Defectum item natalium patientes, sed conuersatione laudabiles, promouere ad Ordines sacros, & ad Monasteriorum administrationes Indulto Clementis IV Nonis Iunij, Pontificatus Anno 2, quo morabatur Viterbij. Demum priuilegia omnia, immunitates, exemptiones, gratias, & indulta tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, cæteris quibusvis Ordinibus Monachorum, & Mendicantium, per quoscumque Romanos Pontifices concessa, vel imposterum concedenda illis communicauit Greg. XV. 3. Februarij. 1625. const. 42. *Ad Vberes*.

§. XXVIII. Sed quorsum hæc commemoro? Quid Cartusiensibus præ beatificæ æternitatis flagrantibus votis terrenarum laxitas ædium, locuples opulentia, regnantium fauor, gentium veneratio, famæ præconia? Maiores celebremus, operæ pretium est, cælestibus fastis, ad quos, rerum caducarum posthabito decore, contendunt. Illic floret Regni maiestas, à cuius certa spe maxima eorum pendet amplitudo. Ideó summa cum polleant apud omnes gratia, & existimatione, nulla Orbem occupandi Monasterijs obrepsit unquam libido. Claustra tercentum magna ex parte temporum iniurijs, Hæreticorumque rabie excisa, aut ob inopiam commodioribus adaucta, modica sunt propagatio, antiquorum Monasticorum Ordinum nequaquam comparanda familijs. Ipsosmet eruditorum labores, pliorumque charismata pro viribus cælant, ne inani humanæ gloriæ aucupio, excidant à retributione superna. Ideò Necrologia nuda defunctorum nomina cum inspicientibus præbeant, sanctissimæ rationem vitæ soli Deo notam prætereunt. Corpora ipsa in Cœmeterio post multos à suprema die Annos incorrupta, ne cuipiam innotescant, altiùs effossa humo, abscondunt, & miraculis nonnunquam coruscantia, ab eisdem cessare obedientiæ ui compellunt. Impigè quotquot sunt in claustro degunt. Etiam inter edendum sacræ eruditionis aliquid legunt, orando, & scribendo diem terunt, sed MSS. ad illudendum otio concinnata alij flammis tradunt, alij recondunt in Bibliothecas; pauci sunt, qui, typographiæ beneficio, publicam lucem aspicere patiantur. Vtinam decor filiæ Regis, qui ab intus irradiat, sæculi excitandi ergo, coram hominibus effulgeret. Vtinam omnes pœnitentiæ Athletas in libro vitæ exaratos in hæc Commentaria referre liceret. Absolutam Ordinis historiam

historiam promulgarem, pro qua repetam Petri Mauritij, toties commemorati, querimoniam Lib, De Miraculis Cap. 29. *Multa quidem in illo sacro Ordine miracula contigisse, á pluribus accepi; sed quia ipsius humilitatis virtute, qua semper servi Dei miranda opera sua quanto possunt nisu occultart, vix aliquid ex his prodere alicui voluerunt, rara, immo rarissima, quibus omnimoda fides accommodanda esset, ad me miracula peruenerunt.* Expostulationem hanc cæteris quoque scriptoribus communem lector animaduertat. Cumque in perlustrandis reliquis huius Theatri partibus lacunas explendas, immo vastos hiatus passim offendet, & pro historia ex Archiuiorum regestis depromenda, excurret spicilegium exteris à scriptoribus delibatum: nouerit desiderium latendi inter Cartusienses ab infantia propagatum, elusisse qualemcunque solertiam hauriendi quidquam ex paucis, etiam quæ supersunt, monumentis, & in eosdem Chronologiæ opportunis notitijs ieiunę defectum retorquens, improperet cum Theodorico Loherio vitæ Dionysij RicKelmij Cap. VI. num. 30. *Hoc tua incuria atque negligentia fit Ordo Cartusiensis, qui innumeros habuisti viros doctissimos, pientissimosque, quorum bona pars cum in vita, tum post mortem claruerunt miraculis, reliqui doctrina excellentes posteris sui nominis immortalitatem dederunt, si per te id liceret., hoc est si in medium tu illorum libros dares. Itaque hos tu infra sinus tuos recondis, perinde ac si tibi duntaxat, aut uni Monasterio tantùm, non item posteris, atque cunctis vixerint mortalibus: aut quasi quod ad vniversa pertinet Ecclesia decorem, utilitatemque abscondere pietas sit.* Huiuscemodi testimonio eorumdem sodalitij celebri ex scriptore deprompto, faciliús apud prudentem lectorem culpa vacabo. Verumenimvero incompleta rerum ab eis gestarum commentaria, breuior imprimis piorum syllabus, non dormitantis Homeri minus sedulo labori, sed eorumdem Cartusiensium tribuerut humilitati, apud quos præstat, ut verbis vtar Petri Sutoris, multos sanctos facere, quam multos sanctos patefacere.



THEATRI
CHRONOLOGICI
SACRI CARTVSIENSIS
ORDINIS

PARS SECVNDA
PRIORES MAGNÆ CARTVSIÆ, ORDINIS GENERALES:

I.



Anctus Bruno 1. Ordinis Auctor, primus Ordinem rexit, ea sanctitatis fama & institutor. & Præsul, vt Cartusiæ exordium nouam Epocham Delphinatui pepererit; quandoq; idem, teste Nicolao Chorerin illius Historia, Parte 1. §. 10. publica illius Anni acta, non alio claudantur sub Dat., quam, Anno, quo venit ad nos Eremita. Sanctissimus etiam Hugo Ep. Gratianopolitanus, vir aliòq; in Sanctissimus, gaudebat, eo Magistro, in via Dei proficere, vtpotè, qui nosceret apicem se perfectionis attingere, cum Monastico sub cilicio ad inuectam à Brunone austeram viuendi normam se adamussim componeret. Annum circiter 1090. Romam ab Vrbano 2. euocatus, Pontificia morari in aula, Synodisque indicendis interesse iubetur. Interim Alumni, cautes Gratianopolitanos, eo absente, pertæsi, Vrbem petunt & ipsi, quos Bruno apud se exceptos, institutam vitæ rationem nequaquam abjicerent, monuit, & Lauduino in eorum Cœnobiarcam sibi suffecto, desertas nouo sub Duce, repeterent latebras, adegit. Ipse verò tamdiù grauissimis in Ecclesiæ curis egregiam Sacrorum Regi nauauit operam, quoadusque ab eodem, Galliam versus itineri se committente, in Calabriam proficiscendi, facultatem obtinuit, vbi Squillacensi in Eremo altera Domo constructa, vitam religiosissimé actam, pari clausula absoluit.

II.

1093. ***B. Lauduinus, Etruscus, Lucensis.*** Diui Institutoris sodales inter primus, æquè conuersionis tempore, ac Religiositatis præstantia, alter ab eo recentis Ordinis admouetur ad clauum, suffragatoribus, Pontificijs in ædibus, calculum in illum ferentibus, Vrbano II. approbatore, ipso denique S. Brunone, abdicatum Archimandritę munus, in eumdem libentissimè transferente. Floruit aliis alisque nominibus celebris. Adeò pænitentiæ flagrans amore, vt laudatus Bruno in Epist. *Fratribus suis vnicè dilectis in Christo*, inscripta: & Beatissimi Fratris Lauduini titulo eum attollat, & pergens vitæ rigorem commendare, dicat: *Forsitan erubescet, vt qui in primis in Religione est, in hac parte posterior inueniatur, metuens, ne occasione sui aliquis ex vobis remissior, vel tepidior fiat, quod nullatenus formidandum puto. Ne huius gratiæ expertes sitis, vestras vices in hoc tantum vestræ charitati concedimus, vt liceat vobis reuerenter eum cogere ad ea, quæ saluti suæ commoda sunt.* Adeò Cælitibus acceptus, vt Virgine puerpera, & Apostolorum Principe, sibi apparentibus, didicerit: inducta Officij Virginei

quotidiana in Ordinem recitatione, nulla eum Satanæ vi, ab apprehenso semel perfectissimæ conuersationis fastigio, vnquam deijciendum. Adeò constanti in Petri successores obsequio, vt graues ærumnas, ipsumque mortis discrimen ideó subire, haud veritus sit. Cum enim Brunonem in Calabria commorantem inuisurus, secundò in Italiam descendisset, in regressu à Satellitibus Guiberti Antipapæ comprehensus, contumelijs exagitatus, & in vincula coniectus, Christi vices sibi per nefas asserentis partes semper eiurauit, quoadusque pedore, & laboribus, ea de causa perpessis, fractus, carcere, & corporeo ab ergastulo simul eductus est.

III.

1101. *Petrus, Francus, ex Britania, in Artesia oriundus*. A Contemplationis feruore nuncupatus exstaticus, externis curis, interna cum Deo colloquia sibi præpediri, nequaquam patiens, altero, à delatis sibi maximi Cœnobiarchæ Insignibus, Anno, á Marthæ laboribus, ad Sacra Mariæ otia, volens, lubens redijt, pijssimaque mortalitatis consummatione sublatus, cum Deo æternum in Patria viuet, in quem vixerat mente adeo prius, ipso etiam humanæ in peregrinationis decursu.

IV.

1102. *Ioannes Primus*, cui Etruria incunabula; virturum nitor, Ordinis Primatum; vitæ breuitas, octo regiminis Annos; fatumque supremum, perennem in Cælo gloriam dedere.

V.

1110. *Guigo, qui Guido, & Vido, Valentinensis, é Castro S. Romani*. Obseruantiæ columen, eius rigorem ad vnguem obseruari curauit. Ordinis propagator, Colonias ad viginti erexit. Posterorum eruditor, contexuit de mandato Innocentij II. gesta S. Hugonis nuper inter Cælites ab eodem illati, addiditque alijs temporibus alia prodere ingenij vestigia, & pietatis monumenta, quæ sunt.

2. *Statuta Ordinis* in vnum redacta volumen, & vsquemodo: Statuta Guigonis, ab ipso, nuncupata.

3. *Epistola Diui Hieronymi ab omni scriptorum vitio expurgata. Epistola quoque de supposititijs B. Hieronymi Epistolis*, Ad Fratres Durbonenses, & Lazarum eorumdem Priorem, nouissimè cusa Tom. 1. Analectorum P. Mabilloni.

4. *Variæ, & graues meditationes, De Tranquillitate Animi*, Prælo traditæ Plantiniano A. 1589. in 12. vna cum meditationibus D. Guillelmi Abbatis S. Theodorici; Monachij typis recommissæ 1635. vna cum opusculis de vera sapientia, & vera virtute SS. Eucherij Lugdunensis, & Martini Bracarensis Antistitum, Bruxellis itidem, vna cum ijsdem libellis, 1671., & 1677. Lugduni Tom. 22. Maximæ Bibliothecæ Veterum PP.

5. *De Contemplatione* lib. I. M. S. in Cartusia Maiori, qui tamen idem censetur cum *Scala claustralium*, quæ inter opera Diui Bernardi circumfertur.

6. *De veritate, & pace, itemque*.

7. *De Quatuor Gradibus Spiritualibus*. Verum hæc ei á Bunderio attributa, comprahendi arbitror inter præfata: Siquidem Caput primum meditationum est: De Veritate, & pace, & quomodo per solam veritatem pax habetur.

8. *De Laudibus vitæ Solitariæ, cum Epist. aliquot*, quæ reperiuntur in Biblioth. Coloniensi.

Pater Labbe in supplemento octauo nouæ Biblioth. M.SS. recenset centum meditationes Ioannis Srorboriem de Viridi valle, itemque alias centum, cum totidem meditationibus Guigonis Prioris Cartusiæ, quas ignoro, an ipsa met sint, quas impressas diximus, An. 1589 sicut, & num Io: de Stothoriem fuerit Cartusiensis Ascetas in Vallis viridis, secus Lutetiam, claustro?

Qui etiam Guigo par celeberrimis scriptoribus suis in laudibus occupandis encomiastes habuit Codicem S. Remigij Remensis publici iuris factum á P. Labbe Tom. 1. Biblioth. nouæ; Petrum Mauritium Lib. 1 Epist. 22. & Lib. 2 Epist. 12 Nicolaum Choriet, in Historia Delphinatus Part. 2 Lib. 1. P. Dorlandum in Corona virorum illustrium huius Professionis; Petrum Surotem. de eorumdem vitæ ratione; Vossium, de claris Historicis latinis, Possevinum, Bellarminum, præ cæteris verò Diuum Bernardum, quem silentem, literis vltrò scriptis, preuocauit, & quemadmodum Angelus Manriquez ad Annum Cistercij 1123. cap. 3., & Gaufridus vitæ S. Bernardi L b 3. cap. 1. aiunt: familiam vndique Claram vallem conuenientem, ad. ..issimo salutauit affectu. Rescripsit Melleo Stylo Bernardus Ep. st. 11., cuius titulus: *Inter Patres Reuerendissimis, & inter Amicos Charissimis, Guigo, i Priori Cartusiensi, Cæterisque Sanctis, qui cum eo sunt.* Hinc arcta Sancto eum Sanctis familiaritas, affectuosa amicitia cum toto Ordine. Hinc ad Cartusiam Magnam diuertendi, prima voia exorta, quam eum adijsset, Monachos de nobiliori, cui insederat, equi stramento, minus ædificatos resciens: De quibusnam loquerentur phaleris sciscitatus est. Ipse mente iugiter in Deum rapta, qualia forent, haud inspexerat: Commodatum enim a Monacho Cluniacensi iumentum obequitarat, & erat qualis ille sternere sibi solebat. Obstupuit proinde Guigo, quod sic Dei famulus foris oculos circumcidisset, intus animum occupasset, vt quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset. Tandem Anno à Natiuitate qui. quagesimo circiter quarto, à conuersione trigesimo, & à Prioratu 27. cum ab exordio Cartusiensis Eremi Annus quinquagesimus tertius ageretur, sexto Kal. Aug. sti beatorum ... orum, & piorum actuum finem faciens, Sanctum Domino Spiritum commendauit.

VI.

1132. *Hugo* I. Sex Brunonis à Mundo recedentis Symmistarum quartus, & Capellani titulo à reliquis distinctus, quod is Sacerdotio minimè initiatus, á sacris foret, Cartusiam primo suæ conuersionis tempore inchoatam, effœta iam etate bie mio rexit. Eo ex ... suscessorem enixé deprecatum, lætabundus cum ex..ep..s, septennium ... ,quo toto sese ad æternitatem composuit.

VII.

1139. *S. Anthelmus, Allobrox, ex nobilibus de Chignin.* Ætate quidem ephæbus, perfectione verò grauiores Ordinis Patres adæquans, ex nouitiali stadio in Domo Portarum, ad Eremum Principem transfertur, ibidem Sacramentum stabilitatis suæ enunciaturus. Præclarum Ordinis decus, Ordinis moderationi præfi itur 1139. Regendarum animarum absolutissimum exemplar, Bellicensi pedo augetur 1151. Suorum temporum taumaturgus, & miraculis in dies celebrioribus coruscus, inter huiusce sodalitij Diuos, & Bellicensium Tutelares tandem infertur.

VIII.

1151. *Basilius Burgundus*. Doctrina pollens cælesti, vitæ mundo absconditæ norma, rerum agendarum sedulitate præcellens, excelsiori in sede collocatur Anno Christiano millesimo sesquicentesimo primo, è cuius vertice Ordinis amplitudini, & Sanctimoniæ prospiciens, Cartusiarum Sellionis, Bonæfidei, Scalæ Dei, Seitzensis, Vallis Dei, & de Verne, familijs eumdem adauxit. Disciplinam regularem illustri fouit exemplo, salubetrimis munijt sanctionibus. Comitijs Generalibus normam præscripsit. Sanctum Dominicum, quas suis conderet l ges, conscriberetque titus, edocuit, suamque obijt diem, inter domesticos nescias, an apud exteros celebrior, Anno seruati Orbis 1173.

C 3 IX.

IX.

1173. *Guigo 2. Gallus*. Ardui huius Propositi rudimentis in Cartusia matrice initiatus, cælestem potius quàm humanam agebat vitam, nec immeritò; consono siquidem conuersationi elogio, Angelum se passim appellatum audiebat. Honoris pertæsus, quietis percupidus, magistratum quadriennio gloriosè obitum, Iangelino subrogato commisit, vitæ autem ex acto cursu, terræ corpus reddidit 1188. Qui Generalium Nomenclatores Guigonem hunc vel silentio mulctant, vel cum Hugone confundunt: consulant, operæ pretium est, Diploma confirmationis Ordinis ab Alexandro 3 emanatum An. 1176, & ipsimet Guigoni eodem Anno, quo Generalatu abijt, directum his verbis. *Alexander Seruus Seruorum Dei. Dilectis Filijs Guidoni Priori Cartusiensi, eiusque Fratribus tàm præsentibus, quàm futuris in perpetuum Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum vos per Dei gratiam &c. Dat. Anagniæ An.* 1176. Legitur apud Cherubinum Laertium, Bull Rom. Tom 1.

Exgeneralis Auctor fuit Lib. *De Quadripartito exercitio Cellæ*, quem inscripsit Bouoni Cartusiæ apud Vuitemiam post S. Hugonem Lincolniensium Præsulem, Antistiti qui primò eum lucem aspexisset Diuione 1657. studio Francisci Chiffletij é Soc. Iesu, typis vero Philiberti Cauanee, recusus deinde fuit Lugduni 1677. nobile Auctuarium Bibli. th. Max. Veterum Patrum Tom 4.

X.

1176. *Iangelinus, alijs Angelinus*. Felici omine, Annos quinquaginta octo, quibus rem Cartusiensem sanctissimè temperauit, ab Anno 1176. exorditur. Eo moderatore Ordo accreuit Cœnobiorum duodecim propaginibus. *Floruit* Sancti Propositi illustribus candidatis Fertoldo de Grossis, Clementis Papæ quarti Genitore; Terrico, Friderici Cæsaris filio; Guidone, Rogerij Calabriæ Comitis nato; Humberto Delphino, alijsque. Inijt concordiam cum Guidone Ord: Cisterciensis Abbate Generali, ne ex Cartusianis ad Cistercienses vel Cisterciensium ad Cartusianos quispiam transiret, ante facultatem impetratam ab alterutrius Ordinis Cœnobiarchis supremis. Defunctum ex suis crebris illustrem miraculis iussit ab ijsdem cessare, ne populi circumquaque, pro gratijs implorandis, ad tumulum confluentes, Monachorum quietem perturbarent, eique defunctus illicò obtemperauit, teste præ cæteris S. Antonino Part. 2. Tit. 15 Cap. 22. quæ omnia breui, at succo plena claudens Epigtaphe Octauius Boldonus Episc. Teanensis lib. 2. Fol. 230. scribebat.

Iangelinus Professus Cartusiæ.
Tanta fuit authoritatis, ut defunctum Monachum,
A miraculis cessare dicto compulerit.
Laboris auidus, Honoris impatiens, ostentatione.
procul, & gloria.
præfuit Annis LVIII.

XI

1234. *Martinus*. Annis 9. altiori è sede ius in Ordine dixit, extinctus A. 1242. ad finem vergente. Scientia consodales æquauit omnes, cælestibus præcelluit charismatibus, quę inter humilitatis singularis, charitatis admirabilis, & authoritatis augustalis laudem tulit.

XII

1242. *Hugo 2* promotus Anno 1242., successori habenas resignauit eiusdem Æui tertio, & quinquagesimo Producitur in magna tabula, quæ de mandato Ordinis ære incisa, exhibet huius Obseruantiæ Primates omnes, subiectis unicuique

elogijs condecoratos, & in nouissimo eorumdem elencho adiecto à Sammartanis in Appendice ad Tom. 4. Galliæ Christianæ. Cæterum de hoc Hugone altum silentium apud Surorem, Dorlandum, Pentimallum, nec non & alios antiquiores eorumdem Instauratores: siquidem ij Martini nuper recensiti Præsulatum longiùs protrahunt.

XIII.

1253. *Bernardus. I. de Turre, nobilis Burgundus, è familia Turriana apud Bisuntios.* Normam inuexit celebrandi Comitia Generalia ab Alexandro quarto approbatam. Abstinentiam á carnibus, ipso etiam in mortis discrimine, perpetuò stabiliuit, lege prolata in PP. Consistorio coacto Anno quarto supra quinquagesimum tertiædecimæ post Christum Ætatis. Humillimè præfedit ad Annum 1258. ægré ferens repertos in Claustro honores, qui Claustro se addixerat, ne patriæ ad Archiepiscopatum proueheretur Anno 1226. aut Bellicensem ad sedem 1239.

XIIII.

1258. *Riferius.* Styli venustate in scribendo sua ætate ferè Princeps, nitidissima eloquentia adornauit Consuetudines huiusce Institutionis, quæ in tres partes ab eodem digestæ, *Antiqua statuta* nuncupantur. Mortem oppetijt. 1267.

XV.

1267. *Gerardus.* Placiditate, qua sexennio solium impleuit, finem etiam dierum suorum attigit, desideratus tertio, & septuagesimo, ultra millesimum ducentesimum, restauratæ salutis Anno.

XVI.

1273 *Guilelmus.* I. *Fabri.* Iurauerat in Brunonis disciplinam in Domo Angionis, è qua ad supremi Archimandritæ fastigium Anno 1276. euectus, quinquennium suis præfuit, & in Domino obdormiit.

XVII.

1278. *Boso.* Obitis iam plurium Cartusiarum præfecturis, Principis Monasterij summum Præsulatum inijt 1278 gessitque Annis quinque, & triginta. Reliquit eruditionis monumenta Epist. ad Clem. V. in Herbipolitano Asceterio, et ste Petreio, hactenus cum tineis, blattisue certantes; prouidi, perutilisque regiminis vestigium, Cœnobia trià supra decem à fundamentis molita; magnæ apud summos viros existimationis argumentum, iussionem relati Clem. V. Concilium Viennense, quando id vires paterentur, sua præsentia decorandi; sanctitatis indicia, miracula ante & post funus patrata, quemadmodum & nomen illatum á Canisio in Martyrologium Germanicum, itemque à Saussai in Martyrologium Gallicum ad IV. Nonas Martij.

XVIII.

1313 *Aymo, Delphinas, Augustanus.* Pietati sic animum intendit, vt Diuinæ scientiæ perscrutandis arcanis iugis vacans, Theologos doctis vigilijs locupletare posit, quando M. SS. vindicem à tenebris inueniant. Cartusiæ Maiori ita profuit, vt, Satana agente, in cinerem redacta, visa sit á flammis mutuasse splendorem: adeò magnificam, eius sedulitate, nacta est sartam tectam. Dignitatis apice sic oblectatus est, vt ex eius celsitudine, diù reclamante, & tandem 1330. assentiente inferiorum Præsulum Cœtu, descenderit. Æuum sic propagauit, vt Anno abdicationi consequenti desierit esse mortalis.

XIX.

1330. *Iacobus de Viniaco, Delphinas.* Monasterij Præses, cui Vallis S. Mariæ nomen, Reip moderationem, meritorum exuberantia promeritam, cum Anno 1330 suscepisset, altero ab inauguratione, humilitate impellente, deposuit. Generali veró PP. Conscrip-

Conscriptorum senatu iterum An. 1338. in eum incumbente, camdem assumere de nuo compulsus, infra quadriennium secundò dimisit. Subindè graui, diuturno que morbo afflictus, fatebatur, se corporis languore vexatum, quòd mentis quiete delinitus, curis onerari refugeret. Cæterum vitæ innocentia Angelus è Cælo delapsus vocitabatur, pièque creditus est ad eorumdem Angelorum consortium translatus, cum An. 1343. ex hominum contubernio demigrauit. Enituit sua virtute, eruditorumque monumentis, præcipuè Bzouij T. 14. Annal. Ecclesiasticorum, Canisijin Mart. Germanico, & Saussai in Gallico.

XX.

1331. *Clarus de Fontanis.* Meritis clarior quàm nomine, nonnisi lucem in hunc Ordinem intulit ingenio, probitate, prudentia, & qui ad Vallis Viridis Lutetiæ Artistes iampridem effulserat, Generalatus in vertice collocatus, sublimiori veluti ab axe claritatis radios latiùs effundens, luculenti ad instar solis nedum à domesticis, verùm & à Galliæ Optimatibus suspiciebatur. Tandem cum regimine abdicato, per triennium humilitatis studio magis magisque coruscus inclaruisset, dignus, qui filijs lucis æternùm associaretur, animam emisit in manibus conditoris.

XXI

1338. *Iacobus de Viniaco*, secundò.

XXII.

1341. *Henricus Poleti, Domus Parisiensis Alumnus.* Supremam Præfecturam assequutus, infra sexennium cellulæ quieti restitui deprecatus est, in qua ætates suas expleuit Anno 1346. decimo quinto Kalendas Octobris.

XXIII.

1346 *Ioannes Birellius, Lemouicensis, olim Glanderij Prior.* Virum vita admirabilem, sanctitate eximium, humana ac Diuina scientia affatim præditum sic affatur Petrarca Rerum senilium Lib. 15. Epist. 8. *Ita ego te stupens, & venerabundus alloquor Religiosissime vir, quasi alloquar in te Christum, qui hospes beatificus tuum procul dubiò pectus inhabitat. Anima enim iusti sedes est Dei. Illius est donum, quod inter homines peccatores, quibus Orbis abundat, & Angeli vitam, & Angelicam famam habens per densissimas tenebras seculi nostri, nouum mundo sydus effulgens, & è Cartusia sublimi specula, velut ex Orientalis iugi vertice Lucifer matutinus irradias.* Apud Nicolaum Chorier Historiæ Delphinatus Parte 2. Lib. 10. §. 14 & Lib. 11. § 3. legitur Humberto Delphino in animum iniecisse castitatem sub Diui Dominici disciplina vouendi, eumdemque in arrepto proposito nutantem confirmasse. Penes Hist. verò Genealogicam Domus Sabaudæ T. 3. pag. 223. refertur Amedeo Sabaudiæ Comiti à sacris confessionibus, fœcunditatem etiam cælitus eidem impetrasse. Odericus autem Rinaldus, & Augustinus Oldouinus; ille Ann. Ecclesiasticorum T. 16 hic verò Historiæ Pontificum, & Cardinalium T. 2 Pag. 528. posteritati mandarunt, sublato Clemente sexto, Cardinales conclaue ingressos, dum unà de creando nouo Pontifice vota conferrent, tantoque muneri vir insignis probitate admouendus quæreretur, ad illatam de Ioanne mentionem, in eum propemodum omnes, utpote in Pontificatu summo dignissimum incubuisse, sed à conferendis illicò in eum suffragijs remoratos verbis Talayrandi Card. Petragoricensis, qui caducarum rerum amore reuinctus, veritusque, ne is luxum omnem in Cardinalibus pia austeritate resecaret, huiuscemodi verbis, quæ leguntur apud Dorlandum Lib. 4 Chron. Cap. 22. declamauit; si electus fuerit, eum summus in eo *æquitatis, & iustitiæ rigor vigeat, pro certo ad statum nos reuocabit antiquum, & pulchri obesique caballi, ac sompedes nostri post paucos dies, ad quadrigas, & ad plan-*

stra

stra redigentur, & aratra, non enim personam reuerètur quantumlibet sublimis hominis, sed pro Dei Ecclesia, fremens ut Leo, ab que terrore confidit. Verùm cum Biellius excessisset è viuis, ac miraculorum ingenti gloria inclaresceret, prosequuntur laudatus Rinaldus, Talayrandum culpam suam planxisse acerbè. *Veh nobis Cardinalibus, Veh Ecclesiæ Dei, qui talem pastorem habere contempsimus Ego prob hui, & ideo veh mihi, quia & nobis omnibus obfui, & Ecclesiæ Romanæ malè prospexi*: Et imposterum Cartusianos singulari studio complexum, nobile eis Cœnobium apud Petrachorios condidisse, quod magnis auctum vectigalibus, Cartusiam Vallis Claræ voluit nuncupari. Innocentius sextus Sacro ex eodem Senatu in summum Orbis Catholici Parentem adlectus, pro sanctiori Ecclesiæ moderatione Biellij Epistolis passim usus, Romana eum Purpura donare constituerat, quando promotioni aures præbuisset idem Biellius, qui humilitate sublimis, non foris, sed intus crescere appetens, amplissimam Cardinalatus Dignitatem reiecit. Tandem toto Orbi celeberrimus, Orbi aufertur Anno 1360. die Epiphaniæ Domini sacro. Tradit Dorlandus Lib. 4. cap. 21. laudatum Innocentium: euulgato eius migrationis nuntio, ingemuisse. Heu sanctior Religiosus, & totius mundi præstantior clericus modò defunctus est; cumque & ipse æternitatem è proximo consalutaret, astantibus dixisse: *Vtinam anima mea taliter ante Deum appareret immunis, qualem credo optimi Patris Ioannis animam apparuisse.*

XXIV.

1360. *Helisiarius Grimoaldi de Grissac, Gabalitanus, Rector antea Boni passus*. Primatem supra fidem illustrem præstitit Helisiarius, qui nudis vtplurimùm incedens pedibus, corporis sui, gressu triumphali, calcare cultum didicerat, & breuem somnum non in lectulo, sed humi cubando percipiens, vigilem admodum excubatorem agebat; Qui Patruo, sub nomine Vrbani V., in Pontificem maximum assumpto, nullum à Cognatorum fastigio supercilium contraxit; Qui Romanam ad Purpuram, vnà cum Narbonensi Sacerdotio postulatus, amplissimas Dignitates humilii fuga eiusit; Qui tandem longa oculorum cæcitate probatus, corporea post extincta lumina, lucutentiori virtutis exemplo reliquis prælexit: siquidem in tenebrarum incommodis exanthlandis, patientia ad miraculum emicans, res etiam perituras, occidua vnà cum earumdem, luce suis oculis euanuisse gaudebat, quò Patrem Luminum altiori in mentis fulgore contemplaretur; Qui æternitati oriturus, decessu prodigijs coruseo occubuit. 1367. Qui tandem nobiles virtutum præcones nactus, commendatur a Saussai in sua Diuorum Galliæ nomenclatione; Dorlando, Lib. IV cap. 21. Bzouio, Tom. 14. Anno 1337. n. 18 Bartio, in Annalib. Marianis, die 11. Iunij, & ab Hippolyto Marraccio, in pijssima de Religiosis Marianis Vigilia, ab vtroque ob Deiparæ Virginis insignem cultum, quo toto vitæ decursu effulsit.

XXV.

1367. *Guillelmus Raynaldi, Aruernensis, ad Vallis bonæ Antistes*. Merita clarissimi huius Cœnobiarchæ comprobauit Sacer Purpuratorum PP. Senatus Auenione sedens, cum in interregno Clementis VII. vndecim suffragia contulit ad promotionem ipsius in summum Pontificem. Benedicto duodecimo roseum Galerum offerenti nunquam acquieuit, quòd septuagenario maior non de Purpura, sed de sepulcro sibi cogitandum esse diceret. Abbatis Generalis titulum, quo deinceps nuncupandum Cartusiæ Priorem Vrbano V. placebat, admittere renuit. Pari constantia dispensationem infirmorum ab esu carnium, & quotidianam in Refectorio comestionem nunquam passus est in Ordinem induci; licet inuectum suo tempore vsum Galeri prohibere nequierit, quòd Vrbanus V. motu proprio inserto compi-

lationi Priuilegiorum Ordinis à G. R iesch'c P. 26. num. 90. pro Sanctioris potestatis mp rio ira sanxisset, eo suisinet manibus capiti Prioris Cartusiæ Treuirensis imposito Ipse Ordinem primus per Hispaniæ Regna propagauit; nam Fr. Lugo Martinez ad Ioannem Castellæ Regem directo, Regiam magnificentiam ad construendum Cœnobium S. Mariæ dei Paular, iuxta Segouiam mole ac censu amplissimum Anno 1377., excitauit, quod colligitur ex Epist. eiusdem Ioannis Regis ad ipsummet Guilelmum, quam de verbo ad verbum in Origine præfatæ Cartusiæ inseremus ex vitæ Henrici 3 Hisp. Reg. Lib. 3. Cap. 77. Sed & Maioricensem suis enatam temporibus promouit; etenim Berenguerius Cams, & Nicolaus Robertus Monachi, primi eius incolæ, Guillelmo designante, leguntur, penes Vincentium Mut Tom. II. Hist. Regni Maioric. L b xi. cap. xii. Hispalensis quoque exordium, & incrementa Guillelmo debet, qui B nedicti xiii. gratia vsus, cumulatiùs à Rege Castellæ recepit præstantissimam gemmarum vim, quam Gundisaluus de Mena, præter aureorum triginta millia, in censum eiusdem Domus conflauerat, ipse verò Castellæ Rex ad comparandum exercitum sibi accommodari ab executoribus vltimæ voluntatis exrorferat. Fauit Clementi Antipapæ Quare Vrbanus vi. Diplomate, quod incipit. *Intenti Pastoris Sollicitudo*, sub Dat Romæ apud S. Petrum Pont. An. 2., & legitur apud Bartholom Senensem Lib 3 Vitæ B Stephani Maconi, creauit Ioannem Priorem Monasterij S Bartholomæi de Trisulto Visitatorem Generalem ad eos coercendos, qui se p r nefas Pontificem nuncupantis, partibus studerent. Deinde An. 1382 Comitiis Romæ habitis, lex per Ordinem promulgata, qua vniuersi professores huiuscemodi cogerentur Vrbanum vi., abiurato Clemente intruso, pro Pontifice, vt par erat, habere, ac profiteri. Irrita nulliusque firmitatis declarata sunt quæque comitia apud magnam Cartusiam ab An. 1379. habita, Hierarca ipse Guillelmus anathemate perstrictus, authoritate priuatus, & tandem Ioannes non iam Vicarius, sed absolutè Primas, Vocalium suffragijs, robore Pontificio firmatis, renuntiatur. Pontificius Generalis, quem PP. Galli haud verebantur, Cartusiam Florentinam Sedem suam esse designat, quam, post obitum Vrbani, iterum in Generalatu constabilitus transtulit ad Seitzensem S. Ioannis Domum An. 1391. Verùm cum vix illato in hanc ædem pede, ad eius fores mors improuisa pulsasset, nactus est successorem Christophorum Florentinæ alumnum, & Maggianę Cartusiæ per id temporis Priorem; qui extemporaneè Vicarius Generalis consalutatus, pleno subsequentis Anni 1392. Consessu Princeps magister declaratur. Sub hæc Guillelmus senio confectus migrauit ad Dominum.

XXVI.

1402. *Bonifacius Ferrerius, Valentinensis*. Is S. Vincentij Ferrerij Ord Prædicatorum præcipui decoris Frater, in sæculo Iuris vtriusque Lector, Valentiæ Magistratu, & legatione ad Regem gloriosè functus, vxore sublata, in Cartusiam Portæ Cœli huius Disciplinæ institutis adhæsit, & quattuor à voris conceptis Anno ad Principem Ordinis sedem conscendit. Eius è calamo excidere præter *Volumen Epistolarum*.

2. *De Ceremonijs quibusdam Ordinis Cartusiani.*

3 *Quare Ordo Cartusianorum non habeat multos Sanctos Canonizatos?*

4 *De approbatione, & confirmatione Ordinis eiusdem à Romana Sede.*

Extant M SS. Bibliothecæ Thuanæ Codice 68., & 3003. sub nomine eiusdem Prioris Maioris Cartusiæ, referentibus Valerio Andrea in Catal. Clar. Hisp Script., & P Labbè in noua Bibl. M. SS. Galliæ pag. 7. qui etiam in Philologica, & Historica dissertatione de Script. Eccles. docet easdem vigilias editas sub nomine Ioannis Gersonis Bonifacio restituendas, quemadmodum & Pater Theophilus Raynaudus Erothema-

thematum Partitione prima.

Martino Aragonum Rege absque liberis elato, Valentini, Aragones, Catalauni, quæ nationes Aragonicis Regibus parent, frequentes de summa rerum Conuentus habebant, nec vnquam fautoribus in partes scissis, in vnam sententiam conspirabant. Concursum vndique ad arma, singulis ex candidatis præpotentem militum delectum cogentibus. Re diu agitata, conuenere, vt per nouem Iudices, quorum terni ex vnoquoque Regno assumerentur, lis dirimeretur. Nuncupati itaque sunt inter alios duo Cartusienses, vnus ex Aragonijs, Franciscus Aranda nomine, è cuius ore, velut è tripode prudentiæ oracula auidiùs in tota Hispania excipiebantur, & à Valentinis, cum S. Vincentio Ferrerio, eius Germanus hic Bonifacius, qui vna cum cæteris, amota ambientium turba, in Ferdinandum Castellæ Regem disceptatum sceptrum contulere. Ita penes Indicem rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum Lib. 3. An. 1412. Marianam, De Rebus Hisp. Lib. 20. Cap. 11. L. Marinęum Siculum, De Rebus Hisp. Lib. 11. L. Vallam, Ferdinand Regis Lib. 11. Hæc tamen biennio iam Exgeneralis præstitit, vt videbimus: Fauit enim Bened. xi i Antipapatui, ea licet mente, qua S. Vincentius Ferrerius eius fauet, cum eum colendum cum antea suasisset, eumdem ab omnibus reijciendum ex suggestu declarauit, vtpotè vaferrimum hominem, & ambitionis æstu agitatum, qui doloso animo Ecclesiasticæ vnionis se amicum dum simularet, Orbem potius pessundari mallet, quam Pontificio ab apice descendere. At quomodocunque Pseudopontificem ipse Bonifacius sequeretur, potior Ordinis pars, vt sub Raynaldo diximus, Christophoro Florentino parebat, quo An. 1390. V. Kal. Septembris extincto, ill'co Beatus Stephanus Maconus in eius locum suffi itur. Sed schisma pacem peperit, Generalatu controuerso inter Bonifacium, & Stephanum æqualis perfectionis Anachoretas, humilitatisque, ac pacis in suo Cœtu fouendæ studiosissimos. Quò enim hæc citior Prouincijs in partes diitractis redderetur An. 1410. ambo absolutionem petiere, Stephanus quidem præsens, Bonifacius verò apud Pontificiam curiam detentus per Epistolam, qua inquit: *Se magnis grauissimisque districtum negotijs apud Pontificem Benedictum esse, ex quibus magnum commodum in Rempublicam totam Christianam emissurum sperabat.* Deinde concludit: *Statuisse eundem Pontificis sententia Cartusiæ Prioratum, ac Generalatum simul deponere, vti per has meas literas depono, abdico, ijsque omnino renuncio in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Cœtus Gen optata vnione congaudens, nullo ex suffragijs discrepante, Ioannem de Griffemonte primam ad sedem prouexit; professusque maximoperè voluntarijs Exgeneralibus se debere, Nestoreos post eisdem auspicatos Annos, æternæ quoque eorum quieti, prospexit, hac sanctione. *Rogantes omnium bonorum retributorem, vt pro istis mercedem quietis perpetuæ ipsis retribuere dignetur. Vt autem erga ipsos aliquid de eo, quod in nobis est faciamus, plenum eum Psalterijs Monachatum, cuilibet ipsorum proprio motu concedimus & confirmamus pro suis animabus post eorum obitum, quem Deus felicem faciat, & beatum per singulas nostri Ordinis personas persoluendum.* Huiusmodi suffragijs, suarumque virtutum adminiculis ad ineundam Cæli gloriam munitus, vltimum edidit spiritum meritis auctior, quàm Annis.

XXVII.

1410. *Ioannes de Griffemonte*, *natione saxo*, inauguratione sua pacem Ordini restituit, qua in generali Ecclesiæ schismate egrè fruebatur. Vitam, & regiminis clauum deposuit postridie Kal. Nouembris 1420.

XXVIII.

1420. *Guillelmus* III. *de Moto*, *Gallus*. Sacramentum huius obseruantiæ solemniter enunciauit in ipsa matrice Ordinis domo, cuius œconomiæ procurationi adm tus,

D 2 , adeo

adeò omnium sibi studia promeruit, vt Griffomontio ad Patrum cineres apposito, Prouinciam, ab eo eum mortalitatis cursu impleram, subire adactus sit, tertius iam ex eiusdem nominis Patribus, quibus supremi magistratus fasces in hoc Sodalitio delati. Virtutum fragrantia, quinimmò, & Miraculorum nitore emicans, desijt esse inter viuos Anno à Deo homine septimo, & trigesimo, vltra millesimum quadringentesimum.

XXIX.

1437. *Franciscus* I. *Maresme, Hispanus, Valentinensis*. Professus domus Portæ Cœli, multæque Religionis, & gratiæ, in Hierarcam adscitus, nedum schismatis reliquias in Ordine extinxit sed, & publicas gratias recepit, quòd pristinos mores reuulisset redintegratis disciplinæ iacturis à Regno in se diuiso inuectis. Tempore Concilij Basileensis decem suffragia ad Pontificatum habuit; sed vir humilitatis tenax, & pacis Ecclesiæ amator Tiaræ, cucullum; Palatio, desertum; priuato publicum commodum prætulit. Præter sacræ potestatis apicem, præ otio ad pedes Domini, flocci factum, puritatis quoque, temperantiæ, orationis, & mansuetudinis maximam sibi laudem comparauit, fatique paruit imperio An. 1463. xi. kal. Februarij, qua die in sacris Galliarum fastis ab Andrea Saussai recensetur.

XXX.

1463 *Ioannes* IV. *de Roesendal, Nouiomagensis*. Belli visus, Vallis bonæ, & Auenionensis, in quæ sacræ militia periculum fecerat, Monasteriorum antea Cœnobiarca, æuo etsi grauis; siquidem octogenarius, par tamen exantlandis totius Ordinis curis, illarum pondus, calculis Generalis Senatus habiti 1463 sibi impositum, suscepit, rexitque ad Annos decem, è mortalitatis statione reuocatus septimo Kal. Augusti 1472.

XXXI.

1472. *Antonius* I. *Dellieux*. Prior Domus Auenionensis, ad gradum omnium nobiliorem vocatus, magnificentiorem Cartusiam nouis structuris effecit, & deuixit 14. Februarij 1481.

XXXII.

1481. *Antonius* II. *de Charno* ex Antistite Domus Apponiacensis, præfecturam excelsiorem vno, & octogesimo Ætatis decimæ quintæ Anno initam tenuit ad 1494. quo suis humeris eam malè sedere ratus, locum successori dedit, abijtque ad superos 1511. Quinto Nonas Maij.

XXXIII.

1494. *Petrus* I. *Ruffi*. Solemni iureiurando Anachoresi Cartusiensi in Asceterio Gratianopolitano se deuouit, ad cuius etiam præsulatus sacra regenda insignia adlectus, æqualem maximę conceptæ de se existimationi Archimandritam gessit. Iuris vtriusque peritia, & sacræ paginæ interpretatione, testimonio Instauratorum Bibl. Sanctæ, Apparatus Sacri, & Athenæi Cartusiani in paucis excelluit. Luculenter, & doctè commentatus est Psalterium Dauidicum, & Cantica Canticorum. Inter literarum studia domus suæ residentiæ commodis etiam consulens, abruptas, & inaccessas ad S. Laurentium semitas aperuit, viamque vniuersæ carnis ingreditur 1503. 27. Augusti.

XXXIV.

1503. *Franciscus* I. *à Puteo, Segusianus*. Breui, ab huius Professionis Solemni vinculo elapso tempore, Principis Magistratus cohonestatus solio, Generalem Antistitem exhibuit omnem supra Posterorum commendationem eximium. Siquidem, eo Auctore, Parens Ordinis claustrum fortuito incendio concrematum, spectabiliori mole consurrexit. Eremus Calabritana, quæ Cisterciensibus ab Anno

1191.

1191 suberat, suos ad conditores postliminiò red'jt. Domorum Ruthenæ, Granatensis, ac Aragonæ, nuncupatæ de Fontibus facta eius sub auspicijs fundamenta. S. Brunonem in Sanctorum numero ads.. ubi cum procurasset, n.tid im etiam rerum ab eo gestarum Commentarium concinnauit, quod suis Diuorum gestis Surius inseruit. Iuris præterea vtriusque Doctor, & in Sacræ paginæ, Sanctorumque PP. expositionibus, egregiè versatus, alios præclaros edidit fœtus, nempe Paraphrasim in Psalterium Dauidicum, emissam è Prælo Tielmanni Keruer Parisijs 1530. & hæc præter nouam Statutorum huius Cœtus collectionem, quam s breuitiæ compilationis nomine voluit apparere, Epistolarumque Volumen. Postremò Annis octodecim rerum domesticarum, non minori sua gloria, quàm earum incremento potitus, ad Patriam contendit Anno 1521.

XXXV.

1521. *Guillelmus IV. Bibaucius Tilletanus, ac Doctor Louaniensis.* Brunoni adhæreret in causa fuit flamma, quæ ipso adolescentes Gandaui erud ente, in Lyceo repentè emicans, quamquam aduersum etiam discurrens sevijt, & postremò ipsum percussura cum accessisset, ita extenuit, vt votum animo conciperet, Cartusienses adeundi si incolumis euaderet. Religiosi secessus amore huius nodi ex flamma extricato inardescens, è puluere literario, ad scientiæ Sanctorum Palestram migrans, Ordini nostro accessit, occumbente reparationis humanæ Ætate decima quinta. & insig is virtutis ac erud tionis ergò, primò ad Prioratum Domus Sanctæ Geltrud s in Holland a, postea Prouinciæ Teutoniæ Censor consalutatus, omnium demum Pater del g.tur Anno 1521.

Varios h buit sermones Capitulares ad Patres, qui multoties typis consig ari, auctiùs quàm antea cusi fuerit Antuerpiæ A. 1654 per Iacobum Meursium in .. Sacr.s quoque coluisse musas indicant aliquot eius Epigrammata in laudem Diui Ioachim Patris Genitricis Dei Mariæ, excusa prælo Guerreiano Venet js A. 1581. in calce vitæ Saluat. N. I Christi editæ à Ludolpho Saxone, & notis illustratç à Io: Dadiaco, vnà cum vita S. Annæ à Petro Dorlando scripta. Arnoldus Raisius in Molano adaucto sacros Belgij fastos eius nomine decorat, sicut opusculorum communi ascribuntur Petrus Vuallius in Syllabo scriptorum Cartusiensium per Belgium, Sanderus, Valerius Andreæ in Bibl Belg. Desideratur eius vita concinnata à P. Leuino Ammonio eius Synchrono. Fata, quæ subijt 1534. lugubri hac elegia Vates Apollini gratissimus deflebat.

D. O. M. S.

Occidis ereptus terris Guillelme Bibauce,
Maxima Cartusiæ flenda ruina Domus.
Heu subitus rerum lapsus! heu parca superba,
Quæ citius Patres sternit vbique pios!
Hic vir erat sperans sincero pectore Christum.
Incumbens Studijs nocte, dieque sacris.
Historias Sanctas, arcanaque scripta legebat,
Pertæsus Mundi, cælica semper amans.
Nec tamen hoc studium, pietas nec obstitit ista,
Ne fieret iuris mors truculenta sui.
Dena sua vita numerabat lustra peracta,
Hoc sua cum tegeret membra caduca leto.
Nam mens, qua tantùm spectauit, ad astra volauit,
Inque tuo recubat Christe benigne sinu.
Vtque suum quondam nobis nomenque decusque,
Sic nunc Angelicis prædicat illa Choris.

D 3 XXXVII.

XXXVI.

1535. *Ioannes. V. Gaillardi*. Quinquennali regimine arduis excelsi muneris partibus satisfecit omnibus & quinto Kal Iulij 1540 spiritum in sinu filiorum suorum ponens, magnum sui desiderium sam liæ, tanto parente orbatæ reliquit.

XXXVII.

1540. *Petrus* III. *Marneffius*. Protopræsidis præstantissimi memoriam haud alio monumento huic Chronologiæ inseram, quàm elogio eidem in Monsterolensi suæ conuersionis secessu apposito, & publici iuris facto ab Arnoldo Rayssio in Genesi Cartusiarum Belgij, vt sequitur.

Petrus Marneffius gente Leydensis, Hollandus. Primum Diui Augustini normam Cysonij sectatus, tandem arrepto vitæ melioris proposito, commutatis, & veste, & moribus, in Cartusia Monsteroli in vitam, regulam, & Sacramenta Ordinis Cartusiensis iurauit: Ac non multo post, Prior Gosnayensis expetitus, ad extremum, primas Ordinis institutus est, seu Generalis trigesimus sextus. (Vide notam in elogio Hugonis II. ad Annum 1242.) *Obijt Anno sesquimillesimo quadragesimo sexto.*

XXXVIII.

1546. *Ioannes VI Valonis*. Octauo promotionis Anno ad Pridie Idus Februarij quod terrenum habebat, terræ reddidit, præcellentis Asceta probitatis, qui eximiæ tantummodo virtutis suffragijs dignitatum sui Cœtus assequutus fastigium, concreditum gregem sibi confotmando, castigatissimis moribus imbuit.

XXXIX.

1553. *Damianus Longonus*. Præclaro genere Mediolani ortus, & in magnificentissimo agri Ticinensis Monasterio publica disciplinæ professione ritè authoratus, postquàm Colonijs adiacentibus Vibi Astensi in Subalpinis, & Bononiensi leges prudentissimè præscripsisset, ad Ordini ius dicendum delectus, infra biennium sublarus est, nempe decimo quinto Kalendatum Martij, Anni sesquimillesimi quinquagesimi quarti,

XL.

1554 *Petrus* IV. *Sarde, Lemouix*. Prior Domus Portus Beatæ Mariæ, & Cadurci sedit vsque ad 26. Iulij 1566. quo è viuis eripitur. Instituit Germanitatem spiritualem cum Societate Iesu tunc enascente, literarum titulo in hæc verba præeunte. *Frater Petrus Humilis Prior Cartusiæ, cæterique Diffinitores Capituli Generalis Ordinis Cartusiensis. Reuerendo in Christo Patri, ac deuotis viris Domini Ignatio Præposito suisque Fratribus nouæ Societ. Iesu & . Aud ta fama odorifera Fratres in Domino dilectissimi de vestra exemplari conuersatione &c.* Producuntur per extensum ab Annalista eiusdem Societatis Nicolao Orlandino Lib. 4. num. 106 ad Ann 1544., quod tamen minus cautè scripsit: quandoq idem tunc temporis sederet Petrus Marneffius Leydensis, initiatus Anno 1540., non autem Petrus Sardus inauguratus Anno relato 1553., sicut & Lib. 15 n. 102. perperam subsequitur, eo dem plurima cum laude inscripsisse eisdem Ignario Præposito, & Societati editionem, *celebris ex sua familia Doctoris Henrici Harphij*: Enimverò Harphius nunquam sub Brunonis, benèquidem sub Minoritarum signis stipendia fecit, licet eius Theologiam domesticis Coloniensibus typis Cartusienses euulgarint.

XXXXI.

1566. *Bernardus Carassus, Vasco, Tarbiensis*. In celebri Vallis viridis secus Lutetiam Claustro hanc vitæ rationem sibi imitandam instituit, in qua post moderationem Monasterij Diœcesis Remensis, Montis Dei attitulatione insignis, ad sollicitudinem totius Ordinis assumptus, illius gubernacula gessit ad Annos duos, & viginti, humo conditus 1586. Sexto Iduum Septembris. Statutorum huius Propositi vltimæ compila-

compilationis Auctor fuit, quam ab Anno 1572. ad 1581. maturè discussam in lucem euulgauit Parisijs 1582., appellauitque ad distinctionem cæterarum nouam Collectionem &c. Cæterùm quandoquidem eius virtutum quamplurima luculenta admodum supersint vestigia, iuuat hic pauca delibare ex Epistola præfixa à Stephano Salazario editæ à se Christi Saluatoris Genealogiæ, vbi iniecto de Cartusianis sermone, inquit: *Chorum hunc ducit admirabilis quidam, & diuinus Senex, nomine Bernardus, cognomine Caraffus, Patria Tarbensis, ætate octuagenarius, ardore pietatis sic incensus, vt cum tot domestica administrationis, & totius Reipubl. Cartusianæ negotijs obruatur, non die, non nocte ab actibus Conuentualibus abest, perinde ac si modo in Anno Probationis, & Ordinis tyrocinio versaretur. Non victu, non vestitu, sed indefesso labore, animi tranquillitate, modestia, iustitia, æquitate, cæterisque Principe dignis virtutibus omnibus prælucet.*

XLII.

1586. *Hieronymus I. Lignanus, Origine Ligur*, Filiatione Mediolanensis Cœnobita; dignitate ad S. Hieronymi secus Bononiam Præsul, biennali etiam imperio Reipublicæ præfedit, è folio nimirum quod conscenderat 1596. delatus ad tumulum 1588. 24. Maij. Laudatur ab Augustino Oldoino in Athenæo Ligustico tanquam Consuetudinum conscriptor, cum tamen ab eius prædecessore Bernardo Caraffo dudum in vnum volumen congestæ, emendatæ, & prælo subditæ, vt diximus, aliam in posterum castigationem, elucidationem, vel Auctuarium nescierint.

XLIII.

1588. *Hieronymus II. Marchant, Auxicensis* in eum Priorem nouissimæ Lugdunensis plantationis collimauit PP. Conuentus 1588. coactus gaudebantque omnes huius vitæ generis sectatores optimo sub Legislatore proficere, cum Anno à suffragijs septimo, præmaturo funere prostratus, summo omnium cum luctu conclamatus est Quinto Kalend. Xbris.

XLIV.

1594. *Ionnes Michael Constantiensis*, Prudentissima gubernatione Regij Parisiensis Conuentus, in quo ab ineunte ætate ad sacra pænitentiæ castra conuolarat, Religionis Primatu dignissimum se comprobauit, in cuius vertice collocatus, nominisfui auspicijs affatim respondit: Supernæ namque gratiæ vbertate, Ioannem; Diuini cultus zelo, Michaelem: & Constantia oriundus, constantiam in tuendis Ordinis iuribus luculenter expressit. Pios inter Archimandritas doctissimus, inter doctos verò pijssimus haustos è Cælo Diuinæ Sapientiæ latices in nonnulla deriuauit opuscula prænotata.

I. *Exercitia Spiritualia triplicis viæ purgatiuæ, illuminatiuæ, & vnitiuæ* Ann. 1598. Lugduni cusa, ære Ioannis Baptistæ Buisson in 12. quæ Gallicis auribus attemperauit D. Ioan. Iacobus Mauritius Parisiensis itidem Alumnus.

II. *Enchiridion aliud Spiritualium exercitiorum* penes eundem impressorem, eademque forma, sed Anno 1599. sicut, & sequens.

III. *Psalterium decachordum*.

IV. *Methodum aptã seruiendi Deo* Patris Alphonsi à Matrito Ordinis Seraphici; quam latina phrasi donauit, in compendium redegit, & in formam continuæ orationis digessit, adeo nitidè, vt hanc eius elucubrationem Italicè redditam reuocauerit ad prælum Franciscus Zuzzi Ferrariæ 1652. in 12., & demum arctiori Stilo perstrictam Mediolani publici iuris fecerit D. Ioannes Angelus Bossius Præpositus Generalis Cong. Cler. Reg. S. Pauli An. 1657. in 24. Æternitati maturus, tempori denascitur in ipso Seculi nostro superioris occasu.

XLV.

XLV.

1600. *Bruno II. de Affringues, Audomarensis*. Famigeratum huius militiæ Heroem Cœnobium Ordinis Parens Ordini alumnum peperit, cuius ille Præsularum eminentiori Diuinorum charismatum præstantia sibi parauit. Quis enim Brunonis soboli Brunonem aptius redderet, quàm Professor Institutori suo nomine, & perfectioris contentione suppar. ? Delatum sibi munus gloriosè obiuit à limine ætatis, quam terimus, ad Annos terdenos, cuius Prouincia cum 1631. volens abijsset, insequenti 1632. corporis quoque iugum excussit ad pridie Kalend. Maij.

XLVI

1631. *Iustus Perot Parisiensis*. Post tyrocinij stadium in Eremo Primate generosè enensum sibi vni vacare meditanti, virum actuosum agere oportuit, & ex Reipublicæ Scriba ad Generalitium eiusdem solium transire, quod occupauit prudentia, benignitate nulli non suspiciendus, quoadusque illucescente 13. Iulij die, Anno 1643., rebus excessit humanis.

XLVII.

1643 *Leo Tixier, Lemouix*. Sexennium muneris excelsioris in culmine exegit, multisque rerum poribus breui expleris, somnio quidem mortis obdormijt Idibus Nouembris 1649., at gloriosi nominis famam haud alia sistet meta, quàm perpetuò duratura Æternitatis Sæcula.

XLVIII.

1649. *Ioannes* VIII *Pegon*, Professus Domus Belne, iampridem Prior Domorum Trecensis, Vallis S. Petri, & Diuionis, Visitator Prou. Picardiæ, & Franciæ, qui semper intimo erga Christum sapore deliburus, inter huius pulueris Heroes per Annos 65. omni virtutum genere, prudentia maximè, & mansuetudine conspicuus effulsit. Deo, & cunctis, qui nouerant eum, supra modum dilectus, Orbem Cartusiensem Annos 27. infatigabiliter sustentauit, ac tandem tot laboribus pro Ord. exantlatis, erectis sursum per duas, & amplius horas oculis, velut alter Moyses, placidissimè mortuus est, iubente Domino, Annum agens quintum supra octogesimum, omnium Monachorum sui Ordinis antiquior.

XLIX.

1675. *Innocentius Lemasson, Nouocomiensis*. Ingenio ac pietati nunquam non expetijt latebras; verùm in ipsa honorum declinatione, honoribus aptissimus deprehensus, Patriæ primum Cartusiæ præficitur, deinde Prouinciæ Picardiæ cum Censoria potestate Lustrator, ac tandem in Generalium Theatrum nouissimus educitur, in quo partem maximę Dignitati agit personam, & pijssimorum Institutorum tenacitate, ingenij fœtibus, moderatione, & animi magnitudine Prædecessores omnes in se vno perennat. Monasterij cæterorum Parentis Parens vt iuremeritò celebretur, illud ligneis obductum tabulis, ideoque sexto incendio, se moderatore, depastum, marmoreum excitauit, adeoque splendidori, solidiorique schemate à temporum, flammarumque iniurijs imposterum vindicauit. Elucubrationibus quoque summam pietatem redolentibus Parisienses ac Lugdunenses impressores latina, & vernacula lingua Anonymus occupat, & Phœbi adinstar, nubibus quamuis obductus, clarioribus non cessat typis emicare, quos recensere non piget, & sunt.

I. *Pia considerationes in singulos dies mensis distincta*.

II *Meditationes Christianæ*.

III *Hist. Sacræ Incarnationis Domini nostri Iesu Christi, adnexa Virginis Deiparæ vita, & excellentijs S Ioseph Patriarchæ eius Sponsi*.

IV. *Dies Religiosa, idest norma Sanctè in Religione expendendi quamcumque diem*.

V. *Meditationes pro Spirituali animæ secessu*.

VI

vi *Sanctorum Dogmata, & Methodus ad assequendam Sanctitatem.*

vii. *Theologia Moralis Practica, per tabulas distincta, partes* iii. Parisijs 1633. in Fol. Magno, ibidemque 1669. in 4. in quarum vltima se praecedentium Auctorem agnoscit, quod iam celare nequaquam poterat, nomine ab amicis iam reuelato, & se absente, earumdem in limine praefixo.

8 *Instructio ad Animam Sanctè in tentationibus, ac in aduersis regendam*, Lutetiae itidem euulgata 1676.

ix *De Scrupulis lib.* ii.


x *Epistolae Spirituales ad Religiosos, ac Saeculares circa praestantiores materias Christianae perfectionis, ac Instituti Claustralis* ibidem 1676.

xi *Quatuor Institutiones Spirituales, quarum prima est; De se in Oratione componendo*, 2. *Idea vitae Religiosae* iii. *De pace animae*. iv *De Humilitate, ac Ariditate ibidem* 1676.

xii. *Directorium Nouitiorum Virtusque Sexus Ordinis Cisterciensis*, Gallico primùm idiomate editum, & deinde conuersum in Latij Sermonem, ac excusum Lugduni 1676. in Octauo.

xiii *Introductio ad vitam Religiosam continens Lectiones* 53. Lugduni 1679.

xiv. *De Spiritu sua vocationis rectè dignoscendo, seque in eo piè dirigendo*. Parisijs 1678. in 4.



THEATRI CHRONOLOGICI SACRI CARTVSIENSIS ORDINIS

PARS TERTIA

INFVLÆ.

I.



Hegienses in Calabria, & Remenses in Gallia S. Brunonem occupandis suis Pastore orbatis Sedibus deligunt. Verùm qui excusso iampridem humanæ gloriæ iugo, in Solitudinem secesserat, Eremum, summi honoris fastigio posthabito, constanter tenuit. Remenses in eum conspirauere Anno 1096, quando iustis Raynaldo de Bellay persolutis, actum de successore legendo; & Brunone omnis probitatis olim in eadem Ecclesia Magistro, suffragia humiliter respuente inauguratus, Manasses Vicedomini, qui quadragesimus octauus amplissimi illius gregis Metropolita censetur. Rhegienses sexennio antea summo calculorum omnium consensu in eumdem collimauerant, quo primo scilicet tempore is è Gallia ab Vrbano II. accersitus, Calabriam versus iter instituit, vbi summus idem Orbis Catholici Parens, Concilio Troiano dudum soluto, morabatur. Initiatus, eo promotioni obnitente, Rangerius natione Gallus, professione Benedictinus, Dignitate S. R. E. Card. Sentit quidem Vghellus Italiæ Sacræ Tomo VIII., vbi de Arnulpho, per cuius decessum Rhegiensis Ecclesia vacabat, Brunonem tunc rectà in Eremum concessisse, condita Domo S. Stephano Sacra. At bona eius venia, versatissimo omnigena in Historia Scriptori neutiquam subuenit, illum Christi Vicario Vrbem repetenti adhæsisse, à quo per consequentes aliquot Annos grauissimis Ecclesiæ curis adhibitus, Landuinum Priorem, & collegas omnes Cartusiæ, eo absente, pertæsos, Romæ excepit, & in proposito confirmatos, desertas ad repetendas latebras adegit. Ad pastorale hoc idem culmen designatum An. 1095. cum Vrbano post Placentinum Concilium, quod Brunone assidente, coegerat, profectionem adornante in Galliam, ipse Aulam declinans, in Calabriam iterum se contulit, apud nonnullos extat Auctores, singulatim in ea illius gestorum enarratione, quam Surius concinnauit ex commentarijs antea editis per Franciscum à Puteo, & Petrum Bloemenuenna. Sed castigandi, & ipsi ex Rhegiensis eiusdem Ecclesiæ Chronologia, in qua habetur, sedisse adhuc laudatum Rangerium, vtpotè qui gubernationem susceperat Anno 1090., sustinuerit vltra Ætatis consequentis An. sextum. Ergo operæ pretium est

sententiarum varietatem elucidare distinctis temporibus, & duplici Brunonis in Calabriam ingressu, hac ratione explanato. Anno 1090. in Italiam à Supremo rerum Sacrarum Præfecto Bruno euocatur; Calabriam, vbi tunc is degebat, ea occasione perlustrat, apta eremiticæ conuersationi regione mirificè captus, Lituum oblatum repudiat, Romam cum eodem summo Pontifice pergit, alijs alijsque grauibus Ecclesiæ curis admouetur; quo tandem ad Claromontanum in Gallia indicendum Concilium, vix se committente, Sanctus Anachoreta, facultate impetrata, Calabriam repetijt, & reliquum vitæ apud Squillacum absoluit. Ita sentit G. Surianus Belga Annot. ad vitam S. Brunonis cap. 19. §. IV.

Cæterùm suis alumnis præclaro exemplo Diuus Institutor illuxit, quo & ipsi edocti, summum gloriæ verticem in generoso contemptu labentis sæculi gloriæ collocarent. Profecerunt, eo ob oculos sibi proposito quamplures, qui amore prædilectæ solitudinis elusere & ipsi promouentium suffragia. Renuit Elziarius Grimoaldi de Grissac Lituo Narbonensi vnàque roseo Galero ab Vrbano V. Patruo sibi oblato, insigniri. Bernardus a Turre claustralem humilitatem præposuit Infulis Bellicensi, & Bituricensi. Guillelmus de Brianzon electus Ebredunensis in Septimania, itemque Franciscus Belli designatus Astensis Præsul in Subalpinis, maluere humili otio ad pedes Domini perfrui, quàm sedere cum Principibus, & solium Gloriæ occupare. Ita referunt Nicolaus Chorier Historiæ Delphinatus Lib. 4 Cap. 20. pag. 119., & monumenta Cartusiæ secus Mediolanum, cuius alumnus erat Franciscus. Alij, alijque nequaquam pauci, larua honori occiduo detracta, prætulere quietem Dignitati, humilitatem celsitudini, claustrum aulis, & semel suscepta in sui abiectione occumbentes, ad eum abiere, qui alta à longè cognoscit, vt deprimat, humilia propius respicit, vt attollat. Horum quoniam literarum monumentis minimè consignata memoria, lubens recensionem omittam, eos tantum educturus in lucem, qui Ecclesiasticas Dignitates, quas propulsare nequierunt, gloriosissimè obiere. Sit igitur primus.

II.

1121. *Pontius de Balmeto, Episcopus Bellicensis*. Ex pago Diœcesis Lugdunensis, cui Balmetum nomen, Norboldo verò eius Domino natus, inter Ecclesiæ Lugdunensis Canonicos generis splendore, ingenij præstantia, probitatis exemplo, ac Pœnitentiarij munere eminebat. Cartusiensis Propositi studiosissimus, Anno salutis 1116. Vallem Maioreui sibi hæreditario iure spectantem, ad celebre excitandum Asceterium, eidem contulit, cui & triennium præfuit, cum post iacta eius fundamenta Ordini, & ipse adhæsisset, nouitialibus imbutus præceptis in summa Cartusia, quam tunc moderabantur Guigo rebus gestis planè magnus. Anno 1121. Bellicensis Episcopus renunciatus, è vestigiò, inquit Auctor eius vitæ, totus fuit in *reparandis Ecclesiæ Diui Ioannis muris, & Sacerdotum, ac pauperum reædificandis ædibus, sub suis antecessoribus, aut nimia vetustate collapsis, aut igne consumptis: Hinc suæ Diœceseos vigilanter terminos lustrabat, summisque viribus perniciosissimas consuetudines profligabat; multos à Dæmonum castris ad Christi stipendia perducebat; opes pauperibus distribuebat, eorumque miseriam, & verbis leniebat, & factis subleuabat*. Anno 1118 vnà cum Humbaldo Lugdunensi, & S. Hugone Gratianopolitano Præsulibus consecrauit Ecclesiam inferioris Domus Portarum, quibus etiam Præsulibus aperuit consilium de Sancta conuersatione, depositis Pontificijs insignibus, iterum ineunda. Cui respondens Hugo ait: *Memento Frater charissime, quomodo olim à Magistro Brunone, quando talia pertractarem correptus fuerim, vt sæpè, sæpius tibi dixi. Caue ergo. Caue ne hoc facias, ouesque, quas Dominus custodiendas tibi tradidit ne derelinquas, sed vsque ad mortem sta super gregem tuum; ne fiat præda Leoni rugienti*. Attamen post supremo

horum

horum Antistitum diem, nemine eius humilitatem remorante, summis imisque precibus ab Innocentio supremo rerum Sacrarum Præfecto, munere abeundi, facultatem obtinuit, conuolauitque ad sua Maioreui septa, intra quæ animam Cælo maturam consignauit in manibus Creatoris duodecimo gratiæ Seculo, Anno verò quaterdeno. Hæc ex Galliæ Sacræ, & Christianæ Instauratoribus; Guicenonio in Hist. Bresiæ, & Bugetij, vnde oriundus; Francisco Augustino ab Ecclesia, in Chronolog. Historia S. R. E. Card., Ep. & Abbatum Pedemontij & Sabaudiæ, itemque Bellicij, regio Sabaudiæ Ducum Sceptro olim subditi, vbi incongruum ei agnomen de Bersilis attribuit; præter anonymum vitæ Scriptorem, apud quem cælestium eius virtutum charismata, nec non & doctę, ineditę quamuis, vigiliæ ampliori Stylo recensentur, obiter quoque memoratur Garnerius Balmeri Dominus, Pontij Germanus, inter Laici Ordinis Fratres Maioreui adscriptus, sed ante ipsum Pontium ad Æternitatem reuocatus.

III.

1130. *B. Vdricus, seu Odalricus, Episcopus Diensis*. A S. Hugone, à quo ad Decanatum Gratianopolitanum, nempe ad maiorem post Episcopum ibidem Dignitatem, olim prouectus, sacro Regulari habitu voluit decorari, tanta eiusdem S. Hugonis lætitia, vt qui morbis ingrauescentibus, Æternitatem iam cominus salutabat, è lectulo in planum descenderit solum, & prostratus in faciem, mixtas Lacrymis gratias Cælo reddiderit. Mortem opperijt à salutifera Christi natiuitate Anno quinto, & quadragesimo, vltra millesimum centesimum, Ismidoni, & Stephano Sanctissimis Prædecessoribus suppar. Guigo in vita S. Hugonis, Petrus Mauritius in Epistola nuncupatoria Libri contra Petrobrusianos, Dypticę Episcoporum Diensium, Andreas Du Saussay, Martyrolog. Gallicani §. 11. pag. 1014. ad 1. x. Dec. Kalend. Ianuarij, Tabularium Cartusiæ Maioris, in quam, Præsulatu dimisso, se recepit, & naturæ pensum soluit; Io: Columbus Manuacensis, Lib. 2. De Rebus Gestis Presulum Diensium; Polycarpus de la Riuiere, in M. SS. eorumdem Annalibus.

IV.

1132. *Hugo II., Gratianopolitanus Episcopus*, in Cartusia matrice asperrimæ huic conuersationi authoratus, à S. Hugone ante extrema fata in successorem delectus, eiusque charismatum strenuus æmulator. Primo suæ consecrationis Anno Cartusianam Basilicam solemniter, ritèque dedicauit. Canonicos Cathedralis suæ ex secularibus ad Regularem vitam adegit. Legem, Apostolico robore firmatam, edidit, qua deinceps Episcopi Gratianopolis iubebantur assumi, vel ex Monachis, vel ex Canonicis Regularibus. A. 1147. transijt ad Sedem Viennensem, tanta apud Fridericum Cæsarem in existimatione, vt temporalem etiam Viennensis Vrbis ei administrationem committeret. Dissidentibus Guigone IX. Delphino, & Humberto Sabaudiæ Comite, pacis fœdera inter eosdem solus componere valuit. Qui aliquando de Anachoresis quiete sollicitiori mente recogitans, missione ab Adriano Christi vices in terra gerente impetrata, miles emeritus intra Portarum Claustrum se reclusit, vbi Seculi à Verbo incarnato duodecimi, Anno septimo, & quinquagesimo ab hominibus demigrauit. Hugonem magnificeant laudatus Guigo in vita S. Hugonis; Nicolaus Chorier, Hist. Delphinatus P. II. Lib. II § III., & IX. Galliæ Ecclesiasticę Instauratores; Surianus Belga, Annotat. in vitam S. Brunonis cap. XV. §. 3.

V.

1133. *Guillelmus* Arelatensibus Pastor datur, cum iam sub Annum XII. Pontificatus Innocentij 2. Legationem Apostolicam strenuè obijsset, & tunc Priorem ageret

Asceterij Montisriuij in Diœcesi Massiliensi. Fato concessit intra Annum à promotione octauum. Recensent Petrus Saxius, in Historia Primatus Ecclesiæ Arelatensis, & Sammartani.

VI.

1134. *Nantelius, vel Nantelinus*. Ex Secretario Ecclesiæ Bellicensis, Pontio Episcopo suasore, inter Portarum sodales adscitus, dignus fuit qui ei post Werlionem, vel Berlionem immediatè successorem, in Pastorali onere subrogaretur. Institutum, & Dignitatem produnt vita M. S. Ponrij præfati, Guiecnonlana Bugetij Hist., & Episcoporum per Gallias Elenchi a Sammartanis quàm diligentissimè contexti, non ita rempus Præsulatus, cui tamen circa An. 1135 substitutus est Bernardus de Portis, ex eodem Portarum Asceterio abstractus.

VII.

1135. *Bernardus de Portes Episc. Bellicensis*. Non ante An. 1135., nec vltra 1146. Nantelmo successit, & Sedem Bellicensem tenuit. Siquidem datis Tertio Nonas Martij, Anno Christi 1135. Riccardus de Benuntia aliquot fundis locupletauit Cartusiam Portarum: *In manu Domni Bernardi Prioris sub Testimonio Monachorum eiusdem Loci, Bernardi de Porta, Bosonis Procuratoris, Stephani de Chalmeto adhuc Nouitij*. Demum ex Episcopo iterum Monachus, & Prior in autographis tabulis pro Monachis Maioreui, inquit: *Bernardus de Portis, Portarum, Prior dictus in Christo dilectissimis Humberto Priori Maioreui, & fratribus eius salutem, & omne bonum. Notum sit uobis, quod G. de Benuntia laudauit quidquid Pater Suus uobis perpetuo concesserat in monte de Cheuellaco ad meam Requisitionem, cum adhuc Bellicensis episcopus forem. Hoc autem factum est in Ecclesia nostra die S. Thomæ Apostoli anno Christi millesimo centesimo quadragesimo septimo coram toto conuentu nostro*.

Inter hunc Bernardum, & S. Bernardum Clareuallensem mutuus feruebat amor. Cartusianus calcar addidit Clareuallensi ad prosequendos sermones in Cantica, quorum aliquot ei transmisit, dilectione his uerbis expressa. *O utinam tuo studio, ingenioq; dignum aliquid elaborare possem, lumen oculorum meorum, & ipsam quoq; animam, si fieri posset, pariter tibi amice carissime, & in Christi uisceribus mihi potissimum in omni plenitudine dilectionis spiritualiter amplectende frater*. Clareuallensis Author fuit apud Innocentium II; ne Cartusianus promoueretur ad sedem in Italia, quàm Longobardorum appellatam adnoto apud scriptores. Sammartani ex Priore Portarum ad Solium Pontificale subuectum asserunt, sed malè, cum Prioris munus non obierit, nisi post Infulam abdicatam. Haud tamen hic omitendum, quòd impingendi causa fuit plerisque scriptoribus, etiam Cartusiensibus, quinque Priores, Bernardi nomine, Cartusiæ præfuisse Portarum, qui ne deinceps confundantur, ita discernendi sunt. Primus fuit Bernardus de Portes Cartusię eiusdem excitator, & Rector. Secundus fuit hic Bernardus, qui ante Infulam Monachus priuatus adnoratur supra in donatione Ricardi de Benuntia, facta in manu Domni Bernardi Prioris, sub testimonio Monachorum eiusdem loci *Bernardi de Porta*, Bosonis Proc. & Episcopus, Prioratus onus in se à Bernardo primo, ætate iam grauiori deriuatum regebat, cum subsignauit Antigraphum G. de Benuntia pro Cartusia Maioreui. Bernardus de Portes Portarum Prior dictus. & infra: cum adhuc Bellicensis Episcopus, forem. Annus quinquagesimus secundus Seculi duodecimi, more tamen Gallorum ueterum acceptus, cum à 25 Martij, non autem, ut nunc, à Kalendis Ianuarijs ducebatur, utrumq; sustulit. Bernardus iunior primus elatus est, & deinde quinquaginta, & octo dierum intercapedine senior. Obitus in Necrologio Maioreui adnotatur his uerbis. 17 *Kalendas Ianuarij obijt Bernardus de Portes Monacus, & Episcopus Bellicij M.C.L.II. Pridie idus Februarij, obijt Bernardus primus*

Prior

Prior Portarum MCLII. Primum, & secundum Bernardum excepit in Priora tu Anthelmus, alijs Nanthelmus, promotore tamen Bernardo primo, eo quinquaginta, & octo dierum spatio, quo superfuit Bernardo secundo terræ reddito. Verùm hic Nanthelmus, cum vix biennio præfuisset, redijt, munere deposito, ad Cartusiam Maiorem, locumque dedit Bernardo III, de quo nomenclatio Præsulum Cartusiæ, antiquis statutis MSS. adnexa, sub Guigone huiusce nominis secundo circa Ann. Christi 1176. *Eo tempore floruit Dominus Bernardus olim Prior Portarum, & Epus Diensis.*

Primo, secundo, & tertio Portarum Prioribus, quibus eadem Bernardi nuncupatio discussis, Quartus, & Quintus parum negotij facessunt, quandoquidem luce clariùs pateat, quartum, cognomento de Turre, ex laudati Cœnobij moderatore, ad supremam Ordinis Sedem assumptum An. à plenitudine temporis tertio, & quinquagesimo supra mille ducentos; quintum verò dictum de Samia, egisse Portarum Cœnobiarcham ab Anno 1256. ad 1260., & hæc sufficiant de quinque Bernardis Portarum Præfectis, in dilucidationem Primi, Secundi, & Tertij, quos reliqui in vnum conflant.

Porro hæc dissertatio latiùs iacet Bibl. Vet. Patrum Anissonianæ editionis Tom. 24. pag. 1464. in præliminaribus ad Epistolas Bernardi, eos inter primi, ex Chifletio in Prolegomenis ad Manuale Solitariorum, vbi etiam legitur, Bernardum, Bellicensi dimisso Sacerdotio, vt Anachoretam iterum ageret, ad Maurianense prouocatum, quod tenuit Anno circiter 1146. Meminere præterea Bernardi huius Guicenonius; Ioannes Chenu Bituricus, in Chronolog. Hist. Archiepiscop., & Episc. Galliæ; Claudius Robertus, & Sammartani, in eadem ampliori, & luculentiori Sparta ab ipsis adornata; Augustinus etiam ab Ecclesia, in Synopsi Ciuitatis Bellicensis, inserta Chronolog. Infularum Pedemontij Historiæ.

VIII.

1136. *Gaufridus, de Loriello, Antistes Burdigalensis*, quem Petrus Venerabilis singulari sibi amicitia deuinctum celebrat Epist. XII. Lib. IV. ad eumdem scribens. *Inter varias pectoris mei curas ingessit se aliquando cogitatio de amicitia, & quem cui amicum, vel praeponere, vel subponere deberem, sollicita perquisiuit. Cumque vniuersas animae latebras perscrutans, abdita vniuersa omni discusso nubilo penetrasset, inuenit in amicitia nulli supponendum, penè omnibus praeferendum, quantum ad se illum, illum certè meum Burdigalensem Archiepiscopum: Quem non dignitas Pontificalis, non sublimitas temporalis mihi in spirituali, & vero amore associauit: Sed animus terrena spernens, caelestibus inhians, mores compti, prudentia singularis, amicitia constans, & verè Christus ipse ad vniuersa mutui amoris primordia se medium exhibens, indiuisibilem coniunxit. Hoc semper, ex quo Cartusiense iter Sanctitatem vestram mihi notam fecit, firmissimè cordi meo inhaesit, inhaeret, & per Dei gratiam perpetuò inhaerebit.* Eodem Petro Venerabili in viuis agente, floruit alter Gaufridus; Burdigalæ itidem Archiepiscopus, agnomine de Oratorio, sed Cartusiensi posterior. Iste sedebat Anno 1137., quo impetrauit à Ludouico Grosso Francorum Rege priuilegium, tam pro se, quàm pro suis suffraganeis; ille verò leges dabat 1150.. Eo nimirum tempore præsedit Concilio Balgenciacensi pro dissolutione Matrimonij Ludouici Iunioris, & Alienoræ. Ita Andreas Quercetanus in notis ad Epistolas Petri Mauritij, Biblioth. Cluniacensis. Pag. 144. Claudius Robertus, Sammartani, qui ex duobus Gaufridis vnum conflant; Theophilus Raynaudus, in Brunone stylita mystico, nec non, & Ioannes Chenu, Robertus, cum Gabriele Lurbœo in Chronolog. Burdigalensi.

1165.

IX.

1165.] *Ioannes de Sassenatico, Episcopus Gratianopolitanus*. Dominorum de Sassenage, antiqua nobilitate insignium, propagine ortus, patre Guigone II. Præfectura abiens Monasterij S. Roberti, Secretiores latebras inter Cartusienses conquisiuit, sed virtutum fulgore latiùs in dies emanante, subducto tandem modio, Gratianopolitanę Ecclesiæ super Candelabrum erig tur, sublimiori è loco clariùs coruscaturus. Hugone III Burgundiæ Duce Ecclesiæ suæ facultatibus multifariè insidias molien e, ascendit ex aduerso, opposuit murum pro Domo Israel, hostem armis clarum generose inuasit, fortiter fregit, feliciter prostrauit, donec per pacis sequestres Bernardum Maurianensem Episcopum, Guillelmum Decanum Gratianopolis, & Aymonem Paien Maioris Cartusiæ Conuersum de pacis fœdere conuentum. Anno 1179. vnus fuit ex 300. Concilij Lateranensis PP. Seculi verò subsequentis vndeuigesimo vrbem restaurauit, quam torrens, ob rapiditatem Dragus abindigenis appellatus, Ponte excusso, fluctibus obruerat debaccantibus, ijs tantùm non absorptis Ciuibus, qui turris campanariæ fastigium, vel sanè excelsiores Canonicorum ædes maturauerant occupare. Subinde æratibus suis expletis, placidissima vitæ clausula, sese ad æternitatem composuit. Ex Arbore Genealogico domus de Sassenage pag. 25 §. VI. inter natos Guigonis II. Hist. Delphinatus Nicolai Chorier Lib. II. §. XXI. pag. 73. Ioanne Chenu, alijsque.

X.

1167. *Guillelmus Episc. Maurianensis*. Sacra iura præscribebat hoc Anno, cum prodijsset & ipse ex absolutissimo Cartusiæ secus Gratianopolim perfectionis Lyceo. De Æuo ambigunt, variantque Chronologi. Nonnulli fatalem eius vitæ Ann. designant sextum, & septuagesimum, alij verò octuagesimum octauum supra millesimum centesimum. Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Elencho.

XI.

1172. *Bertrandus, Episc. Sistaricensis*. Moderabatur familiam Durbonis Anno 1166. quo tempore Isoardus II. impertitur ipsi, & successoribus ius pascendi armenta, ac ligna cedendi pro opportunitate in nemore, & agro de *Gargas* itemque *Syluis de Alpillon, de Leches, de Luc, & de Quint*. Septennio post, nobilioris claui moderator, sententiam pronunciauit in controuersia militum Templi, ac eiusdem Domus. Quadriennio gloriosissimè Sedem impleuit, qui in eiusdem tabularijs pietate summus prædicatur. Celebrant Bertrandum Nicolaus Chorier, Hist. Delphin. Pag. 2. Lib. II. §. XVI. Gallia Christiana, Chenu, alijque.

XII.

1172. Galterus, è Burgundia, Hugone II. Duce, & Mathilde de Turena parentibus natus, Henrici Augustodunensis Fratris Germanus; ex electo Bisuntiensi, quod sui limius Sacerdotium respuit, ne schismatici imperatoris partibus adhæreret, successit Roberto Propinquo in Sede Lingonensi. Opum luxum generis splendorem consanguineorum potentiam, animumque ad pietatem factum adhibuit ad amplissimè, & optimè merendum cum de sua Lingonensi Ecclesia, cui Lingonum Comitatum ex Hugonis III. Burgundiæ Ducis munificentia acquisitum penitùs subiecit; tum de religiosissima Brunonis Institutione, cui adiecit Luuiniacensem propaginem lautis opibus conditam, & ditatam, seque ipsum depositis Pontificijs insignibus humilem Monachum. Ne amplitudinis in excitando claustro, aut mundi gloriosè triumphati præclarum in hoc sodalitium inuectum exemplum memoria excideret, Patribus curantibus, incisa Sargophago epigraphes, quam adnecto.

Præsul

Præsul Lingonicus sapiens, ac mente pudicus
Nomine Galterus, patiens, humilis quoque verus
Zelator cultus Christi, manet hicque sepultus.
Hic nos fundauit, pariter templum dedicauit,
Fastum calcauit, Mundum stercus reputauit,
Noster, & inde fuit factus, terrestria spreuit,
Ac habitum tenuit in quo cum pace quieuit
Anno Milleno, centeno, septuageno,
Octauo pleno, migrauit corde sereno.

Dies emortualis incidit in 10. Iulij, memoraturque in breui Chronico S. Benigni, vbi dicitur naturæ concessisse 1179. in Historia Genealogica Regiæ Domus Sammartan; Chronolog. Hist. Archiepisc., & Episc. Galliæ; Gallia Sacra, & Christiana, alijsque luculentis Auctoribus.

XIII.

1146. Ad Sedem Maurianensem gloriosè implendam duo ex Cartusiensibus circa hæc tempora deliguntur, alter *Bernardus*, *Ayraldus* alter nomine. Sammartani volunt Ayraldum durasse ad Annum 1146. At ne eorum sententiæ adhæream facit Antygraphum priuilegij á Conrado Romanorum Rege eidem Ecclesiæ Anno Imperij VIII., nempe Verbi incarnati millesimo, centesimo, quadragesimo sexto concessi, & in tabulario Viennensi asseruati, vbi legimus *Bernardum Moriennensem Episcopum*. Chiffletius hunc Bernardum confundit cum Bernardo de Portes, supra laudato, qui abiens ex Bellicensi, Maurianensem desponsarit Ecclesiam. Vtut sit de hac Litui commutatione (non enim loquuntur nisi per conjecturas) ambo in celeberrimo Portarum claustro Anachoreticæ conuersationis posuere tyrocinium, & ad infulas rapti, Præsules notis omnibus absolutos egerunt, testantibus Gaufrido, in vita S. Petri Archiepisc. Tarantasiensis; Guicenonio, in elencho virorum illustrium præfati Portarum Asceterij; Maurianensium tabulis; Augustino ab Ecclesia, in statu eiusdem Ciuitatis, Pastorumque Syllabo; Chiffletio, in prolegomenis ad Manuale Solitariorum.

XIV.

1147. *Othmarus*. In Principe Cartusia huius Obseruantiæ Sacramentum pronunciauit, & tunc Gratianopolitano præfectus est gregi, cum Hugo II. Viennense Pedum regendum suscepit. Nomen, Ordinem, & successionem exprimit Gallia Christiana. Annus præcisus eruendus ex Nicolao Chorier Pag. 11. Lib. II. §. IX. Theophilus Raynaudus notat, Stylitę mystici, pag 10. §. 6. alium eiusdem Collegij Monachum, Natalem nomine, electum Gratianopolitanum, honoris gratia cessisse Othmaro. Ego suspicor sacrum munus ab eo translatum in Othmarum alia de causa, ea potissimùm, quam Petrus Venerabilis Lib. VI. ad Eugenium Papam rescribit. *In causa de qua adhuc agitur, Gratianopolitanæ electionis, videtur mihi, quod Chartusiensis Ordinis serenam diem inopinus turbo infecerit: Et splendorem hactenus cristallinum nubecula, nescio, vnde exorta, fuscauerit. Diuisa est inter se, & qua vsque ad hæc tempora specialiùs alijs vnum in Christo fuerat, hac de causa in inuicem Congregatio Sancta compugnat. Hinc Carthusia, Excubia, Durbonum, hinc Porta, Maiorevum, Sylua, Aluerium: Et si qua sunt alia ad Sacrum illum Ordinem pertinentia loca, velut diuersos parietes statuunt: Et tam hi quàm illi se iuxta Prophetam pro Domo Israel ascendere ex aduerso, & stare in Prælio in die Domini profitentur, Dicunt hi non debere electum Episcopari: Et causas quasdam, quas non est nunc meum dicere prætendunt. E conuerso alij. Quid inquiunt ad vos ista? Chartusiensis Ordinis innocentia est mala, si quæ nouerint, his ad quos spectat nota facere: Non autem, & litigare, &c.* Itaque aliunde emanauit ratio suffi-

F ciendi

ciendi Othmarum Natali: Nimirum à virtutum fulgore, quarum præstantia Natalem longè præibat. Et reuerà, clauo assumpto, Moderatorem gessit expectationi æqualem.

XV.

1133. *Humbertus, de Baugiaco, Archiepiscopus Lugdunensis.* Vldrico Baugiaci, & Bressiæ Domino ex filia Amedei I. Sabaudiæ Comitis editus, ab ineunte ætate optimis imbutus moribus, Archidiaconi Dignitate in Lugdunensi Ecclesia primò decoratur, mox Æduensibus redimitur Infulis, postremò Primatiæ Lugdunensis fastigium conscendit. Æduensem gregem octennio, nempe ab Anno duodecimi gratiæ Seculi quadragesimo, vsque ad octauum, Lugdunensem vix ad quinquennium pauit. Siquidem occiduam mundi gloriam exosus, eidem egregijs monimentis instructo, moribusque à se ornato An. 1157 nuncium misit, & Cartusiensibus accessit sodalibus; quos inter præfectus domui Sellionis, in eo munere animam Angelicis secundam Choris efflauit. Æquas meritis laudes nactus est apud MS. Vezelliacense Chronicon, Martyrologium Lugdunense; Guicenonium in Historia Bugetij, & Nomenclatores Episcop. Galliæ; Seuertium etiam in suis Lugdunensis Ecclesiæ Annalibus, ac Paradinum, qui fundationem Cartusiarum Sellionis, & Montis-Merulæ perperam ei attribuunt.

XVI.

1161. *Godefridus Episc. Gratianopolitanus.* Othmari supra laudati, in huius Institutionis parente domo olim Collega, eumdem fatis concedentem pastorali in sollicitudine excepit. Extat in tabulario Gratianopolitano diploma Friderici Imperatoris sub Dat. An. 1161, in quo Principis titulo insignitur. Qualis quantusq; vir Godefridus foret dignoscere licet ab Auctore anonymo vitæ S. Anthelmi Bellicensis Antistitis, apud quem hoc Elogio attollitur. *Ordo Carthusianus primus ante omnes in Ecclesia occidentali, quemadmodum satis constat Alexandrum pro Catholico, & vero Pontifice habendum, eiq: præstandam obedientiam, confirmauit. Ecquis autem eius rei Auctor fuit? Nimirum Anthelmus, & cum eo Gaufredus, sapiens, & egregia facundia vir, atq: in Diuinis scripturis eruditissimus.* Eius quoque mentio in Indice Pastorum huius gregis euulgato à Ioanne Chenu, Claudio Roberto, & Scæuola, ac Ludouico Sammartanis.

XVII.

1163 *Anthelmus Episc. Bellicensis.* Sacro munere initiatus, repentino suo fulgore, Bellicensem Ecclesiam illustrauit. Sydus è Cœlo delapsum passim audiebat, quique volens, nolens, Lituum capessiuerat, forti pectore, iustitię zelo, virtutumque omnium exuberantia primas in egregiè admodum regendo celebriores inter suæ Ætatis Pastores sibi vindicauit. Charitate in pauperes flagrans, in eorum subsidium facultates penè omnes effudit. Ecclesiastici iuris strenuus assertor, anathematis fulmen perstrinxit in Humbertum Sabaudiæ Comitem, Bellieij Dominum ob Clericum, eo conscio, interfectum. Clerus nouam statim faciem, eo reformatore, induit, Concubinatuum expurgatis sordibus, Sancta Sanctè, administrauit. Tum varijs charismatibus coruscus, etiam in tumulo miraculis inclaruit maximis, & Bellicij olim Pastor, modo tutelaris, summa veneratione ibidem colitur, cuius vnum specimen producam, Epitaphium in veteri S. Ioannis Ecclesia, publice ei Sancito appositum,

Deo Optimo Maximo.

B. Anthelmo Taumaturgo, Libertatis Ecclesiasticæ strenuo vindici, Cartusiæ Maioris 7. Priori, totiusque Ordinis item 7. Generali Præposito, Sacri Imperij Principi, Ciuitatis Bellicij 46. Præsuli, primo Dynastæ, & tutelari pientissimo, Ciues Bellicenses illius deuotissimi

Hactenus illæsum per bella, incendia, pestes
Bellicium hoc Anthelme tibi debere fatetur.
Et ne nulla tibi referatur gratia, posthac
Vrbs tua perpetuos voto tibi sacrat honores.

Elogijs præterea condecoratur amplissimis apud Anonymum vitæ Scriptorem, Tom. III Surij, ad sexto Calendarum Iulij; Baronium, in notis ad Martyrolog. Romanum; Dorlandum, Chron. Cartus. Lib. IV. Cap. itidem IV. Petrum Sutorem, Guicenonianam Bugerij, & Bresiæ Historiam, nec non, & elenchos quoscumque Antistitum huius Sedis.

XVIII.

1173. *Bernardus Episcopus Diensis.* Tertius iam Portarum Prior, optima nardus suauissimos sanctitatis odores circumquaq; effundens, Episcopatu cohonestatur. Eo sedente omnis caligo euanuit, resplenduit pristino decore Clerus, populus in iustitia ambulauit, Felixq; nimis erat illa Ciuitas, quandiu huic Sol ille benignus illuxit. Haud tamen omittendum, Io. Columbum è S. I., & Sammattanos ad instar hunc Bernardum expungere è syll.bo Ep Diensium. Saussaius qui præmissis eum laudibus attollit, inserit quidem, sed alteri Bernardo itidem ex Priore Portarum Episcopo Bellicensi, Bernardi Abbatis Clareuallensis intimo, co-fundit. Scriptores Ordinis immediate post beatum Vldricum huiusq ioq; Institutionis alumnum præfuisse constanter tenent. Verùm cum Saussaio iam satisfactum sit, dissertatione de quinque Bernardis Portarum Rectoribus, præmissa A. 11, 2. in Bernardo Ep Bellicensi, ex ipsis quinq; secundo, Columbo, & Sammartanis obijcio antiqua statuta Ordinis. & gesta Priorum Generalium, in eorum vestibulo prænotata, ubi sub Guigone II. ab. An. 1173. ad 1176. Porto Rectore habetur *Eo tempore Floruit Dominus Bernardus olim Prior Portarum, postea Episcopus Diensis, qui lectos fundauit, & innumeris alijs claruit miraculis* Licet ergo non immediatè exceperit B. Vldricum, quod Chronologi Cartusienses perperam euulgarunt, Diensium Antistitum albo inferendus est, saltem inter An. 1169 & 1178.

XIX.

1193. *Engelbertus, vel Iniebeltus, Episcopus Cabilonensis.* Tantum virum non unum antiquitatis vestigium prodit. Genesis Cartusiæ Vallis Dei à Comite Perrici in sylua de Reno instructa, solemnis eum ædificij promotorem indigitat. *Recipientibus*, inquit autographum erectionis, *ab ipso in Dei nomine eleemosynam Simone Montis Dei Priore, & Iniebelto S. Petri.* Abbas Cellensis, Lib. V. Epist. XV. ad Basilium Ordinis Præpositum Generalem, exposcit eosdem Simonem, & Iniebeltum transmitti ad Henricum Comitem Trecensem, quò meditata ab ipso nobilis Cartusiæ erectio sicut feliciter inchoata, fausta similiter consummatione, fastigio accederet. Idem auens rescire ab Alberto Cardinali, & S. Romanæ sedis Legato exitum eius legationis in Anglia, scribit Lib. VI Ep. I: *Quatenus ergo res tam processerit non sit vobis tediosum amicum vestrum certificare. Habetis autem idoneum, si placuerit, per quem fideliter remandare, & securè potestis priorem utique de Valle S. Petri, carissimum filium vestrum, quem in Christo genuistis, & eius spiritum in omnibus vobis obnoxium reddidistis. Ad locum nanque, qui Vallis Dei appellatur profectu, ut ibi priorem substituat, non multum a vobis remotus.* Extat eiusdem ad eumdem Ep. 105. Lib. 5 qua ingeniosè consulenti, doctissimè respondet. Ioannes Satisberiensis Ep 161 à præfecturis abhorrentem commendat. *Quis enim suspicetur te alicuius ambitionis stimulo incitatum, ut honores appeteres, ut concupisceres mollitias voluptatum, ut opinione plebeia uentos sequereris in fastu mundano? Nam hac omnia contempsisti ut stercora, ut solum lucrifacias Christum.* 162.

Sanctitatis titulo decorat. Ad pedes itaque sanctitatis vestræ, & fratrum vestrorum tota mentis deuo one prono n'us affectuosiùs supplico, ut misereamini nostri saltem vos amici Domini. Sexagesima nona supra bis centesimam ostendit, quanti operam eius faceret apud Henricum Angliæ Regem in sua, & Diui Thomæ pressura. Anno demum à salutifera Christi natiuitate tertio, & septuagesimo, ultra Secula XI. collocatus in sede Cabilonensi accip t insignem gratulatoriam ab Henrico Abbate Claræuallensi, excusam a Traimundo Tom. IV Hist. Franc. Script. n. 12. Septennio post consecrationis munus, ad sacrosanctum Lateranense Concilium solus ex Lugdunensi prouincia se contulit. Qui tandem incrementis quibus Ordinem auxit, magnorum Principum cum consuetudine, tum beneuolentia, dignitatum contemptu, & affectione, conuersationis sanctitate, nominis fama planè admirabilis, mortis somnum excepit, Seculi huic consequentis Anno secundo, posteritati commendatus, præter Scriptores laudatos, a Petro Samuliano, De Lp., & Antiquitatibus Cabilonensibus, Io. Chenu, & gemellis fratribus Gall. Christianæ Instructoribus.

XX.

1178 *Aymo, de Brianzone, Archiepiscopus Tarantasia.* Arduam regendarum animarum prouinciam sustinuit Annis bis decem, præsens Concilijs habitis Romæ, ad S. Ioannem in Laterano 1179., itemque Ticini 1186. Priuilegia suæ Ecclesiæ a Friderico Imperatore am, liari, & ab Henrico successore constabil ri curauit. Mortalibus sub'uctus est Anno quarto ante occasum Seculi a partu Virgineo duodecimi, ut proinde q i Archiepiscopus Tarantasiensis A. i 96. legitur Vicarius Imperialis in Italia, semel ti im tulisse in fauorem Episcopi Vercellensis, alter nequaquam censendus sit ab hoc Aymone. cui forte duplex Aymonis, & Angeli nomen. Episcop. Salutiensis, & r houi. qui seriem Præsulum Tarantasiæ, ab eo primùm editam, mutuarunt, facrisque Galliarum monumentis inseruere.

XXI.

1178 *Reynaldus, Renaldus, vel Reginaldus, Ep. Bellicensis.* Ad eminentem pontificalis gradus dignitatem Renaldum designauit spectatissima probitas, qua Bellicenses in sui admirationem attraxerat S. Anthelmi successor, eumdem, curas Episcopales ingressus. ad. m ssim retulit; æquauitq; elogio, quod ex Indiculo Cartusiensium sanctitate illustrium rescribimus. *Renaldus ex Cartusiano, Bellicensis Episcopus effusa, sa: ctaque bonitatis obijt An Domini 1194.* Promotionis Anno secundo adfuit magno Lateranensi Concilio; suæ verò ætatis extremo Lucius III. sub Dat. 13 Kalen. Martij ei commisit compositionem Catt. Portarum cum Monast Inimontis. Eius mentio in syllab.s Samuelis Guicenonij, Ab Ecclesia Ep. Salutiensis, & Sammartanorum.

XXII.

1179. *Guillelmus, de Benenent, Diniensis Episcopus, indeque Ebredunensis Metropolita.* Inter Canonicos Foroiulienses cooptatus cum esset, & in animum induxisset stipendia facere sub Brunone, accessit ad sodales Montis Riuij. Ex ea, omnigenæ virtutis palestra, Diniensium consalutatus Pastor, multus fuit in perurgendo cultu diuino, & adaugendis desponsatæ Ecclesiæ priuilegijs, in cuius fauorem Anno inaugurationi consequenti impetrauit Bullam ab Alexandro. III Insigni virtutum incremento in dies illustrior, ampliori etiam Sacerdotio sublimandus erat. Itaque Anno voluentis Ætatis quarto & nonagesimo ad Ebredunense Archiepiscopale solium transfertur. Ipso seculari Anno ducentesimo supra millesimum adstitit Othoni, solemni diadematis impositione, in Cæsarem renunciato. Mortalitatis compedibus absoluitur 7. Nonas Iunij, æternam consecutus nominis memoriam penes Literarias, & sacras elucubrationes Petri Venerabilis. Ep. 12. Lib. 1. Petri Gassendi P. 111. Notitiæ Ecclesiæ

clesiæ Diniensis, Io: Chenu, cæterorumque, qui locupletiorem Antistitum Galliæ Hist. successiuè excusere.

XXIII.

1179 *Lambertus Episc. Maurianensis.* Anachoreticæ huius militiæ castra sequutum, Ecclesiasticos rexisse fasces, auxisse sua præsentia Patrum Concilij Lateranensis Senatum, annisque tribus præcessisse suo funere occasum duodecimi huius post Christum natum Seculi, hæc sunt, quæ de eo in Dypticis Mauriauensibus, apud Theoph., Raynaldum, Augustinum ab Ecclesia, alioſue occurunt.

XXIV.

1184. *S. Artholdus qui, & Arthaudus, Episc. Bellicensis.* Auspicatus pastorale munus eo virtutum fulgore, quo Arueriarum moderabatur eremum, nemini in summa venetatione non fuit. Suspiciebant omnes pulcherrimum sanè nexum, quo fœderatæ in illo consociabant pij Anachoretæ, & pastoris vigilantissimi partes. Speciosissimum prorsus fœdus: nisi solitudinis amori affixior, quàm dignitatis supercilio, repetita Aruertiæ statione, illud nequaquam dissoluisset. In hoc suæ religiosæ professionis dom[illegible] ex [illegible] capularis denascitur, Anno ab apparitione Messiæ sexto supra millesimum bis centesimum. Ad eum Arueriæ iura dantem ex[illegible] Epistola Alex. III. sub D[illegible]. Senonis, quæ infertur pag. 1519. Bibl. Vet Patrum recentioris Lugdunensis ed[illegible], [illegible] nomen, & sanctitatem luculentis petennant in Commentatijs Samuel Guicenonius, & Sammartani.

XXV.

1194 *Guigo, Augustensis Episcopus.* Quandoquidem eius memoria desideratur in plerisque ex elenchis Pastorum huius sedis, producitur in lucem ex cartulario Asceterij Allio[illegible], in cuius institutionis Autographo, Humbertus III. Mautianæ Comes, & Marchio in Italia, inquit, se tradidisse Monachis quicquid ibi iuris habebat, *per manum Domini Guigonis venerabilis Augustensis Episcopi, tunc temporis Prioris Maturem*, sub Dat. hoc Anno, itemque in alia tabula emanata à Ioanne Bulmeri domino in fauorem Ioannis Pition, de Vico, cuius testes subijciuntur Norboldus de Balmeto, Ioannis frater, Gislebertus de Thorla sororius, *Guigo prior maj[illegible], [illegible] Augustensi, To, & Abraham Conuersi, cum aliis multis, Anno Domini 1195 de Assumptione B. Mariæ Matris Dei.* Inferuntur diplomata per extensum Lib. IV probationum Hist. Genealog Regiæ Sabaudæ Domus, itemque pag 5. probationum Hist. Bressæ, & Bugetij.

XXVI.

1185 *Nantellinus, vel Nantelmus, Episcopus Gebennensis.* Præfecturam antea gesserat domus Vallonis. Admotus Sacro Coloniæ Allobrogum Magistratui, plurimùm gratia valuit apud Fridericum Cæsarem, à quo, sub Dat. Papiæ 13. Kalend. Decembris, Anno Præsulatus primo, obtinuit confirmationem priuilegiorum suæ Ecclesiæ, itemque Anno consequenti Indict. IV sexto Kalen. Septembris submitti Banno (vt extat ex Autographo relectipra) Imperij Guillelmum Comitem Gebennensem, eiusdem Ecclesiæ bonis multifariè Infestum. Sed & Innoc. III Summus gregis Catholici Pastor, apud quem magna viri indoles, fama eulgante, percrebuerat, ei delegat Inquisitionem aduersus Præsulem Valentinensem, de qua in C. de Inquisitione. De Accus. Totus commissæ sibi Ecclesiæ, Annis bis denis, incubuit: eu[illegible] quidem A. no quinto. & octuagesimo Seculi ab Aduentu Messiæ duodecimi, [illegible] autem exemptus Ætatis posterioris quinto, Idibus Februarij. Hæc Claudius Robertus, Scæuola Sammartanus; Bibliotheca Sebusiana, Centuria 11. cap. 34. vbi de lite agitata inter ipsum & Mon: Cluniaci, Nantuaci, ac S. Eugendi, decisa per Reginaldum Lugdun. Archiepisc. Stephanum eiusdem Ecclesiæ Decanum, ac

 Iosseran-

Iosserannum Abbatem Insulæ Barbaræ, causæ inspectores, Quemadmodum & penes Chronol: Historiam Ditionis Sabaudiæ Ducum, Francisco Augustino ab Ecclesia Auctore, à quo pro Nantellino, vel Nantelmo appellatur Antelmus, & Nantermus.

XXVII.

1186. *Hugo., Ep. Lincolniensis*. Nobilis Delphinas, cuius genitor Oppidi vulgò *Avalon*, tertio lapide a Gratianopolitana Vrbe discreti dominus, inter luculentiora olim Canon Regul. Sydera illuxerat, quà virtutum celebritate, quà florenti ingenio. Translatum postea ad Cartusienses non adeo texit Vitæ à Mundo absconditæ disciplina, quin præstantiam illam doctrinæ ac impensum in attingendo virtutum omnium culmine studium, proderet fama. Galliæ, & Angliæ regna ad sui admirationem breui exciuit, & ex œconomo Summæ in Ordine Domus, quæ & ei à susceptis Brunonis insignibus religiosi stadij palestra, mox ad moderandam Regiam Henrici II. in agro Batoniensi Fundationem adscitus, maior visus est, quàm unius Collegij exigerent habenæ. Itaque, vacante Lincolniensi in Anglia Episcopatu, Regis vota, & suffragantium calculi in unum collimarunt Hugonem. Abijt è claustro ad Lituum animarum vtilitatis, & diuinæ gloriæ, Cœlo præcone, propagator mirificus, audijt nimirum, voce supernè delapsa, illud sibi Dauidicum præcini: *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo*: Qualem exhibuerit Antistitem, seu quàm abundè Cæleste impleuerit oraculum, paucis ut comprobem, Lemmate vtar sepulcrali, quod verbis breue, rerumque pondere maximum, sic habet.

Pontificum baculus, Monachorum Norma, Scholarum
Magister, Regum malleus, Hugo fuit.

Hugonem etiam summis attollunt laudibus Angliceæ Historiæ Illustratores Geruasius in Chronica sub Ann. 1186. n. 10. Henricus de Knyghton Lib. II. De euentibus Angliæ, Cap. XIV. Ioannes Bromton, in Chron. Polydorus Virgilius, Lib. XV. præter Matthæum Parisium, Rogerium, Baronium, Hist. Delphinatus, Anonymum vitæ Auctorem; Dorlandum, Chron. Cartus, Lib. III. Surorem, Abbatem Langelinum, aliosque.

XXVIII.

1197. *Ioannes Archiepisc. Tarantasiæ*. In summa Cartusia his legibus authoratus, summumque virtutis apicem attigisse visus, Archiepiscopali Pedo dignus habitus est, quod 1197. regebat. Electionis Annus primus, vitæque extremus latent doctissimos Ecclesiasticarum Galliæ Antiquitatum Indagatores Sammartanos, qui eum ex obliuione primi vindicarunt.

XXIX.

1197 *Bernardus, Episc. Bellicensis*. Alter huius nominis, eiusdemque professionis Bellicensium Hierophanta. Anno authorationis secundo composuit litigia inter Mon: S. Sulpitij, & Arueriarum, 1200. querimonias familiarum de Cumba, S. Martini, & Inimontis cum Portarum Conuentu extinxit. Anno 1204. silentium imposuit contentionibus cum Gaiamaro Abbate Laci. Tertiæ decimæ à Deo homine Ætatis Anno VII. ad pridie Nonas Martias terræ redditus, syllabo illustrium Cartusiensium illatus est, præclaro hoc virtutum Encomio. *Bernardus ex Cartusiano, Bellicensis Episc. omnis virtutis, & Sanctitudinis Speculum*. Eius notitia debetur solertiæ Sammartanorum, & Guicenonij.

XXX.

1198. *Hugo*, *Episc. Aurelianensis*. Absolutissimum varijs nominibus Hierarcam celebrant Annales Ecclesiastici Aurelianenses, Saussaio Auctore, eremiticæ verò conuersationis Sacramentum pronunciasse inter sodales Ligeri Theophilus Raynaudus, Brunonis stylitæ mystici P, x. §. vi. qua probationum nitela, viderit ipse.

XXXI.

1199. *Pontius*, *de Thoire*, *Episc. Matisconensis* Sellionis Monachus, &111 Præfectus à generis nobilitate, nimirum Humberti de Villarijs, Toparchæ de Thoire, filius, & Bonifacij Antistitis Bellicensis Frater Germanus; à doctrinæ adiumentis, ab aggregatione Lugdunenses inter Canonicos, qua olim effulserat commendatissimus, Pontificia Dignitate, haud vno titulo promerita adornatur, Anno postremo, Seculi humanæ reparationis duodecimi. Qui primùm tempore grauissimæ se omnium Prouinciæ designatum conspexit, hoc vnum agitare cœpit, optimi animarum directoris imaginem intuentibus obijcere, egenos fouere, Odeo inter Canonicos horis statis adesse, præmijs prostratam virtutem erigere, vitia intermissatis, inflictisque prostrare flagellis, puritatem ad paupertatis scopulum allisam, ære collato in subsidium honestæ viræ, eleuare, ne fracta ærumnis, naufragium pateretur pudoris. Ad hæc Ecclesiam exemit iure Regaliæ, illud sibi, & successoribus condonante Philippo Augusto Anno 1209. Cilicium illi pro indusia; mensa cum frugalitate, quadragesimalis; Cubiculi aulæa, murorum nuditas. Nec contentus Episcopum, vnàque Monachum agere, veritus humilitatis discrimen, quod pastorale fastigium consequitur, restituit se Eremo, apud Montis-Merulæ cellam, in qua reliquum licet vitæ transegerit, extinctum tamen, quo casu nescio, apud Mon. Firmitatis ad Gronam Ordinis Cisterciensis, indicat Cenotaphium ex lapide, cum inscriptione,

1424. *Annus ab Incarnatione Domini 1221. era: 2. Cal Maij, quando obijt Dominus Pontius Matisconensis Episcopus, cuius anima requiescat in pace. Gedefridus fecit hanc tumbam.*

Laudes abundè prædicant S. Hugo. Guicenonius, in Hist. Bressiæ, & Bugeij; stemma Genealogicum dominorum de Villario; Iacobus Seuertius, in elencho Ep. Matisconensium; Petrus à S. Iuliano, in Antiquitatibus eiusd. Vrbis; Io: Chenu, & Ioannes Columbus; S. Hugo Abbas Cloniacensis, qui sibi ipsi congaudet, placidiores ab eo mores hausisse, & obituarium A sceterij Maioreui, ubi adnotatur: *Pontius de Villarijs ex Cartusiano Ep. Matisconensis, gemma Pontificum, mira pietate præfulgens obijt. 1221.*

XXXII.

1199. *Humbertus*, *de Mirabello*, *ex Priore Syluæ Benedictæ*, *Antistes Valentinensis*. Rebelles ad clientelæ obedientiam compulit quamplurimos, imprimis Guntardum Gabeolensem opibus, & genere pollentem, quem, acri prælio indicto, superauit. Acquisiuit castra Vrram, Pelafollum, Copium, Augustidinum, mediamque partem Vpiani, ex dono Philippi Principis A. 1205. quibus ditionibus aucto Episcopali iure, Morti cedit A. 1220. 8. Cal. Maij, testantibus laudatis Ioanne Columbo in gestis Valentinensium, & Diensium Episcoporum, Sammartanis in eorumdem elencho, Claudio Roberto, unàque Nicolao Chorier. Hist: Delphin. Lib. 3 § 1.

XXXIII.

1208. *S. Stephanus*, *de Castilione*, *Ep. Diensis*. Is, à sexto, & vigesimo ætatis Anno Deo, in celeberrimo Portarum Asceterio emancipatus, eamdem administrabat Domum, cum suffragijs Cleri Diensis, accedente Innocentij 111. mandato, assumptus ad hoc Sacerdotium fuit, & Viennæ à tribus Archiep. consecratus. Fau-

stis

ftis bonorum omnium acclamationibus Diensium Augustam, haud procul à Droma Fluuio in Delphinatu, ingreditur. Extemplò omnis exultauit sanctitas, omnis erubuit impietas, ac longè facessere visa quæcumque diuini cultus pulcritudinem, turpi morum improbitate fœdabant. Dominicus dies, obsoleto omnis religionis cultu, exitiosis spectaculis, comessationibus, choreis, nundinis, impendebatur totus. Egit ille, pro sua virili, sacratissimę Luci canonica redderetur celebritas. Vt vero animaduertit, perditæ salutis populum obsecrationibus, & increpationibus obsurdescere, in declamando, dæmones ex suggestu exciuit, iussitque visibili apparere forma, ac ore flammivomo, immani statura, tetrimo aspectu, tartarum ob oculos ponere, extremumque contestari supplicium, ac ferè intentare, sed citra læsionem. Nec mora. Auscultant tenebrarum potestates, horrendas sese præbent, earumque contremiscendum ad conspectum insana, & sacrilega turba resipuit. Otia illi, & delitiæ, Cartusiam Portarum passim reuisere, inibi citrà Pontificium supercilium paulisper feriari, & nihil præ se ferendo maiestatis, communibus exercitijs inter reliquos conuenire, cella reclusum orare, meditari, diuinamque interpellare pietatem. Dimissus est in pace octauo Id Septembris, Anno ab eo, quo visitauit nos Oriens ex alto, millesimo, ducentesimò nono, cum eodem tempore graue bellum, quo Diensis Ciuitas affligebatur, extinxisset. Vitam edidit Surius Tom. v. encomia verò euulgarunt præfatus Hist. Delphinatus Auctor, Lib. III. §. VIII. Episcoporum Galliæ Nomenclatores; Dorlandus Lib. 4, Cap. 10.; Sutor pag. 547. Petrus Canisius, in Martyrologio Germanico.

XXXIV.

1208. *Humbertus, Viennæ Allobrogum Archiepiscopus.* Aduenienti ab Eremo Sellionis, in qua sacra conceperat vota, Vrbs summoperè iucundata, & solemni occursu extra se ipsam effusa, occinit Salomonis illud ad Sacram Sponsam Epithalamium: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum suum?* Enimverò cælestium ex amœnitatum Horto eò translatus, transtulit unà secum, præ terrenarum oblectamentis voluptatum, spiritus deliciarum amorem. Breui, quo sedit tempore; sedit autem octennium, innouata morum facies. Venereus compescuit turpes, & exleges sensuum voluptates, luxum Vanus abiecit, Epuloni nihil ultra cum comessationibus diei, si non, & noctibus, æquatis, Desidiosus adfuit tarior spectaculis; Aleator, ludos pertæsus, animæ lucrandæ neruos intendit omnes. Frequentior quisque Eucharisticæ mensæ conuiua, auidior diuini Verbi auditor. Minoribus Diui Francisci, nimirum virtutum Seraphicarum cultoribus, domicilium Viennæ primus aperuit, cui hactenus S. Geruasij nomen perseuerat. Tandem innixus ipse super dilectum suum, spiritu nempe in manibus creatoris, quem vnicè in hoc Sæculo coluerat, amauerat, edito, ad superna gaudia conscendit, & corporis exuuiæ sarcophago marmoreo inclusæ, sequenti Epitaphio condecorantur.

Hic corpus petra tegitur, sed spiritus Æthra
Præsulis Humberti petijt, qui munere certi
Pro quo certauit viuens dum se macerauit
Cartusiæ morem sectans, cellæque rigorem.
Ad nos translatus sic curam Pontificatus
Gessit, Pastoris stimulum, votique Prioris
Formam ut seruaret, nec in alterutro titubaret
Mundum suppeditans, Mundi contagia vitans

Ecclesiam

Ecclesiam rebus ditans, opibusque, dobus
Per quos hic degit, patriam sub pace redegit
Milleno bis centeno, quintoque ter Anno
Luce duodena nos deseruit ante Decembrem.

Encomiastes habuit Io. de Bosco. Cælestinum, in Antiquitatibus Viennensibus; Nicolaum Chorier, Lib. III. § VIII. Recensoresque huius Metropoleos Antistitum.

XXXV.

1210. *Lantelmus, Episcopus Diniensis.* Sedit ab A. decimo ad trigesimum secundum Æui à plenitudine temporis tertij decimi, referentibus Gassendo Ep Diniensium n. 24. PeyriesKio, in Actis B. Victoris Ep. Massiliensis, unàque Nomenclatoribus Episcoporum per Galliam.

XXXVI.

1214. *B. Desiderius, Ep. Diensis.* Nobilitate natalium, quos ex Comitum Forcalquierij præclaro stipite deduxerat, prudentia, & eruditionis adminiculis apprimè spectatus, Cœnobiarca Durbonis primò consalutatur, & deinde Hierarcha Diensis. Æquali in agendo solertia, vitæque integritate refulsit cùm claustrali in magistratu, tùm excelsiori in Episcopatus culmine. Cuius & si sublimioris apicis partibus vacaret singulis, propugnandæ tamen immunitati Ecclesiasticæ illustriorem impendit operam. Excussit, Friderico 2. fauente, exactiones vectigalium Diœcesi impositas ab Aymaro Comite Pictauiensi. Eodem Cæsare auspicante Castrum Monti Pedonis imposuit. Præclariora sui regiminis argumenta prosequentem mors intercepit, Anno ab eo, quo Æternitas temporalem sarcinam induit, vigesimo, & altero, vltra millesimum bis centesimum, cuius cum laude meminere Io. Columbusè Soc. Iesu, Polycarpus de la Riuiere, & quotquot alij contextum ab ijs Ep. Diensium Catalogum locupletarunt, publicique iuris fecere.

XXXVII.

1217. *Bertrandus, alijs Bernardus Archiep. Tarantasia.* Summæ Cartusiæ Ascetam meritis probatissimum, ad hoc sacerdotium in Sabaudia pernobile, euehunt Sammartani,& Franciscus Augustinus abEcclesia,eum nomine renus recensens,ac Theophilus Raynaudus non ante 20. eiusdem seculi Annum illum promouens. Quicquid sit de translationis ad animarum sollicitudinem ambiguitate, euocationis è corporeo ergastulo Annus designatur in Necrologio laudatæ Principis in Ordine Domus, vndetrigesimus tertiæ decimæ à Deo homine Ætatis.

XXXVIII.

1220. *Amedeus, Ep. Maurianensis* Multifariè de eo compugnant Auctores. Natales latuere Guillelmum Paradinum, nec eum omisisse alia in causa est, quàm notitiæ defectus. Pingonius illum constituit erectorem Nosocomij, ad oram lacus Lemani, nullo institutionis loco singulatim designato, cum ipsum xenodochium non Amedeus, sed Aymo eius frater excitarit apud Villamnouam in regione du Vaud. Euocationem è claustro ad Cathedram alij referunt ad A. 1220, alij ad 1240, Qui consimili opinionum distantia eum ad funus vsque prosequentes, extinctum referunt sub. A. 1248.; cum tamen non desint, qui eius vitam protrahant ad octauum, vltra sexagesimum eiusdemmet Æui. Igitur haud abs re erit originem, inaugurationem, gesta, mortalisque vitæ commutationem cum immortali elucidare ex Guicenonio diligentiori excussore tabulariorum Pedemontij, & Sabaudiæ, nec minus diserto elucubratore Historiæ Genealogicæ Regiæ Sabaudæ Domus, Tom. 1. pag. 257. Iuxta eius comprobationes, Amedeus Patrem habuit Thomam, primum huius nuncupationis, Sabaudiæ Comitem. Generis splendorem adauxit suscepta

Brunonis

dem adhibeam, Cartusiensium Episc. Catalogo præmittit, eos tantùm se capitatim rescripsisse, nemine ad trutinam reuocato.

X L V.

1256. *Amblarus* In Episc. Diniensem assumptus, nec Dignitate elatus est, graui adeo pondere onerosa; nec delitijs dissolutus, quas diuturnæ opprimunt curæ; nec diuitijs captus, quæ hominis consortium effugiunt, nisi in mancipium illis se dedat; nec allectus honoris fastigio, cui prætulit Cartusianam abiectionem. Excubiarum, Durbonis, ac Prati-Baionis maximè petè olim Benefactor, Prophetiæ charismate Inclaruit, multaque futura prædixit, singulatim Bernardi totius Ordinis Archimandritæ funus Anno 1257. Eius vitam, ineditam tamen, concinnauit Laicardus quidam Cartusianus, in qua habetur, deuixisse tertio decimo Kalen. Octobris.

XLVI.

1260. *Henricus, alijs Huricus, Episc. Geneuensis*. Ex Cartusiæ Portarum M deratore accersitus ad grauioris oneris subeundum pondus, humeros ita reluctans submisit, vt quantocyus illud excutiendi facta potestas, Sodalibus se restituerit laudati Conuentus, quos inter naturæ debitum soluit 1275.

XLVII.

1318. *Guillelmus Gibellini*. Inter præclaros huiusce militiæ heroes eminet Præfectura Mon. Durbonis, &, Solio Vapincensis Ecclesiæ, quod duodeuigesimo Anno Æratis à Deo hominę decimæ quartæ, si quis alius prædecessorum, egregiè implebat.

XLVIII.

1376. *Humbertus, de MontChenu, Archiepisc Viennensis*, In spectabile adeò Infulatorum Theatrum educitur ex Act. Conciliatorialibus, itemque ex Elenchis Galliæ Christianæ.

XLIX.

1383. *Ioannes, de Nouocastro*, Burgundus, primus, qui amplissimum Romanæ Purpuræ decus in Sacrum Carthus: Ordinem intulit, Theobaldi, & Ioannæ Chaloniæ filius, Clementis VII. PseudoPontificis consobrinus, quem Dominicanum, & Magistrum Sacri Palatij facit Ciaconius, & nonnulli, sed malè Hispanum, & Aragonensem nominarunt, ex Canonico Eduensi, Hierarcha Niuernensis primò, postea Tullensis, deindè Cardinalitijs insignitus infulis Tit: SS. Quatuor Coronatorum à Clemente VII. demum Episcopus Ostiensis, & Veliternus, Vt refert Ciaconius, renunciatus est. Vita functus narratur Aueniore quarto Nonas Octobris Anno 1398. tumulatus autem in Ecclesia Monasterij Cartusiæ Villænouæ propè Auenionem, in qua legitur hoc eiusdem Epitaphium.

Hic iacet Reuerendissimus in Christo Pater bonæ memoriæ
Dominus Ioannes miseratione Diuina Episc. Ostiensis
S. R. E. Cardinalis, de Nouocastro nuncupatus, qui
Obijt Auenione An. Domini 1398. iv. Octobris.
Huic Deitas parce, quæ summa viuis in arce
Collustrans Cælos sit sibi dulce melos
Et securamen, sonet omnis Spiritus amen.

Hæc Augustinus Oldoinus postremus Historiæ Pontificiæ, & Cardinalitiæ illustrator, qui à me consultus, quare professionem Cartusiensem omninò præterierit, datis Augustæ Perusiorum pridiè Kal. Iulij Anno 1679., italicè respondit. Ioannes de Nouocastro, albo Prędicatorum, ab alijs verò Cartusiensium inseritur. Vt suo

eum ordini restituerem, nulli ego labori peperci. Auenione eruditissimum Suaresium adhibui, qui inutili prorsus opera pro indaganda veritate desudauit. Frizonius in Gallia Purpurata Cartusiensem silet, nec AntiFrizonius hanc eius omissionem suppleuit, cum tamen cæteras exactissimè corrigat. Apud Sammartanos diligentissimos Galliæ antiquitatum assertores, nec verbum quidem de eius sub Brunone stipendijs. Ex Epitaphio nulla indicia expetenda. Ergo Cartusiensem Anachoresim probationis nimis difficilis consultò reticui, Dominicanam Institutionem ex Claconio notam indicaui. Hæc Oldoinus. Verùm tot Auctorum silentium, haud Cartusiensibus officit, qui sui Ordinis decora abdere consueti, potiùs quàm augere, aut euulgare affectantes, Ioannem hunc omni procul inani iactantia infulatis sui Propositi alumnis ingerunt. Franciscus Du Chesne Tomo primo Patrum Purpuratorum Gallicanæ Nationis, antiquissima imagine prolata, eum inspiciendum circumfert sub Cartusiensium cucullo, quem induisse subdit postquam nuntium Ordini Prædicatorum misisset. Richardus Amburgensis adstipulatur. Theophilus item Raynaudus in eamdem sententiam concedit, qui omnes, alijque pietatem in eo attollunt, cilicium numquam deposuisse contestantur, inceptamque vitæ austeritatem in Dignitatum culmine, opumque affluentia continuatam celebrant. Miraculis etiam claru sse ferunt, nec optimi, integerrimique Episcopi, aut Cardinalis partem in eo desideratam vllam, præter studium in Vrbanum Papam, quod totum Clementis partibus impendit, inaugurator, eo funerato, Petri de Luna, Benedicti XIII. nuncupati, quem solemni ritu consecrauit Anno 1394. quinto Kalen. Octobris.

L.

1417. *Nicolaus, Albergatus, Archiepisc. Bonon., S. R. E. Cardinalis*, Petro Nicolao & Philippa Chioppetta Parentibus clarissimis Bononię Natus, Iuris studio addictus, & proximè in celeberrimo lyceo laurea donandus, scientiæ Sanctorum, in schola Cartusiensi, addiscendæ desiderio mirificè captus est. Cum enim ad suburbanum huius Ordinis Cœnobium, S. Hieronymo sacrum, animi relaxandi gratia, pomeridianis horis, declinasset, valido imbre exorto, ibidem pernoctare compellitur. Media nocte, Monachis ad matutinas laudes surgentibus, adfuit & ipse, intra Chorum exceptus, ubi sacra melodia, & concinentium modestia delinitus, summo mane illis aggregari efflagitauit, Orbis per Christum redempti An. 1395. ætatis verò suæ vigesimo. Solitudini initiatus, & religiosæ perfectioni impensè addictus, illustrioribus virtutum radijs in dies emicabat. Ea de re Patres Ordinis singularem eius præstantiam admirati Florentini, Bononiensis, Romani, & Mantuani Monasteriorum ad regimen, nec non Procuratoris Generalis in Curia Romana muneta ad obeunda euexere. Mox eorum exemplum æmulatus Clerus, & Populus Bononiensis, eumdem Patriæ Antistitem renunciarunt Ann. 1417. & vi è Cella abstractum, rapuere ad Lituum. Romanam quoq. ad Purpuram promouendum S. Malachias futurorum præscius, vaticinio satis claro prædixerat, cum Pij II. qui fuit Cardinalibus Capranicæ, & Albergato à secretis, summi Apostolatus apicem prænuntiarat sub illo verborum inuolucro: De Capra, & Albergo. Romam tamen à Martino V ideò accersitus An. 1426. eam extra Vrbis mœnia obuiam sibi delatam, constantissimè respuit, nec, ad Pontificis conspectum aduenlens, accepit, nisi incusso Diuinæ indignationis timore. Elato Iordano Cardinali Vrsino, Maioris Pœnitentiarij, alijs Camerarij etiam Officium, & Archipræsbiteratum Basilicæ Liberianæ ab Eugenio IV. accepit.

Ad apicem tot dignitatum euectus, utrasq. partes, Archiepiscopi nempe, & S. R. E. Cardinalis egregiè admodum expleuit, grauissimis pro animarum salute, & Catholicæ Ecclesiæ decore exantlatis laboribus. Bononiensi pro grege duas legationes

232. *Bonifacius à Sabaudia, Archiepiscopus Cantuariensis.* Qui velit Bonifacij præconia eminentiori à laudum argumento deducere, silebit progeniem Regia à Sabaudiæ Ducum stirpe deriuatam; Corporis speciem, quæ ei Absalonis Sabaudi nomen comparauerat; omittet luxus, præteriet honorum amplitudinem, & commoda, quibus à natura affatim instructus. Habebit nimirum, quæ celebriori tuba decantet, si animum expendat feueriori conuersationi anhelantem, flagrantissimis cuius votis vt obsequeretur, Anachoreticæ spiritus rudimenta edidicit ea in Brunonis statione, è qua Cartusiarum nomenclatio in reliquas emanauit. Hine vberior gloriæ seges exuberat, q á loquidé ferueati assequendæ perfectionis contentione, absolutissima morũ Ecclesiasticorum norma factus, Abbatiæ Nantuacensis, Cathedralium Bellicensis, & Cantuariensis Sacerdotijs cumulatus est lautissimis A. 1232. & 1245. præter Valentinensis Ecclesiæ administrationem, quam adijt 1240. Franciscus Goduuinus Angliæ Episcoporum nomenclator, Episcopus & ipse, sed hæreticus, unàque reliqui à Sede Romana segreges historici, heroicam Bonifacij memoriam vno profeindunt crimine, ejus videlicet studia Pontificijs partibus addictiora, quàm Regijs. Addunt eum potentissimæ temporalis Maiestatis iniuria ingrati animi nota inurendum; quippe qui Regiæ voluntati passim obniteretur, licet Eleonoræ Reginæ Patruus, eius Regisque auspicijs amplissimam adijsset Dignitatem. At nemo Catholico lumine sapiens non fatebitur, Bonifacij famam sublimi adeò in vertice constabilitam, vt deijci nequeat, nisi à nebulonibus ei in probrum vertatur gloria, qua nulla maior. Accrescit encomiorum messis ex locupleti censu, non adulatorum impinguandis fortunis, sed alendæ inopum egestati collatum; nulla in sui muneris parte desideratum solertiorem, puritatemque illibatam ad extremam vsque vitæ clausulam seruasse.

Hæc virtutum charismata, hæc meritorum exuberantia, qua præstantissimum Archiepiscopum multifariè commendant Marthęus Parisius, Paradinus, Papirius Massonius, Guicenonius, Polydorus Virgilius, Renatus Choppinus Monastic. Lib. 11. pag. 153 Henricus de Knyghton, Lib. 11. De Euentibus Angliæ; Chron. W. Thorm, Auctor Anonymus, cuius vigiliæ Tom. 11. X. Angliæ Scriptorum, Annales Ecclesiastici Britanniæ, Recensores Ep. Bellicensium, Valentinensium, & Cantuariensium omnes, quorum plausibus consonat Epitaphium in Mon. Altæcombæ apud Allobroges, in quo humatus est, cum defecisset apud arcem S Helenæ in eo itinere, quod instituerat ad inuisendum Fratrem Sabaudię Ducem. Est autem huiuscemodi.

Hic iacet Bonifacius de Sabaudia Cantuariensis Archiepiscopus, operibus, & Virtutibus plenus. Obijt autem apud S. Helenam Anno Domini 1270. 19. *die Iulij. Magister Henricus Coloniensis fecit hanc tumbam.*

Epistola Hugonis II Cartusiæ Principis, immo totius Ordinis Archimandritæ ad eumdem Bonifacium indicat, S. Edmundum eius in Cantuariensi Metropolitana Sede prædecessorem aliquandò sub Brunone & ipsum meruisse. Ep. à P. Nicolao Mollin in suis. MSS. huius Propositi è tenebris in lucem assertam, & à Guicenonio pag. 58. Probationum Hist. Genealogicæ Regiæ Sabaudæ Domus prælo subiectam, hic exscribo.

Venerabili, & intimis charitatis visceribus amplectendo
Domino Bonifacio Cantuariensi Archiepiscopo
Fr. Hugo dictus Cartusia Prior humilis Quidquid potest pćcatoris Oratio.

Quantum Charitati vestra debeamus in Christo meminimus Venerande Domine, quem rogamus intimis votis, vobis propitium, ut assolet esse, & digna pro nobis retribuere, quorum humilitati talis non datur facultas, qualis ab antiquo etiam cum apud nos eratis, sed

 supra

gationes suscepit ad Martinum V. Pontif. Max : alteram, communem expressurus lætitiam pro illius assumptione ad Pontificale fastigium; alteram, ad auertenda arma, quæ idem Pontifex iam adornabat pro ipsa Bononiensi Ciuitate, nuper à Romanæ sedis iure subtractam; iterum subijciendam. Sed cum Martinus certam omninò de ea recuperanda spem concepisset, Nicolaus omninò mœstus discessit, non pacis conciliatæ Auctor, sed anathematis infligendi delator. Bis, ea de causa, mortis insidias euasit; primùm, cum interdictum Pontificium in subiectionis exosos ex Metropolis Ara principe pronunciauit, tunc enim satellites eius trucidandi gratia ædes Episcopales ingressos, sola vultus maiestate compescuit, & Vrbe, mutato habitu, digressus, Florentiam se contulit; Secundò autem, cum eadem Ciuitate suaue Petri iugum iterató excutiente, ipse ad turbas in saniori mente continendas omnem lapidem moueret, popularis enim seditionis æstu penè tunc occumbebat, nisi accito Priore Cartusiæ, & eius indutus vestibus, illum tanquam socius, & inferior prosecutus, ad Cartusiam venisset, vnde prima luce Mutinam concitatis equis se recepit. Orbe Catholico quaquauersum perstrepente, ipse solus Angelus pacis inuentus est, qui dissidentes componeret. Ad conciliandos foederatos Italię Potentatus, Venetos, Insubres, & Florentinos bis ablegatus est. Ad pacem statuendam inter Carolum VI. Francorum Regem, eiusque filium Delphinum ex una parte, & Henricum Angliæ Regem, ac Philippum Burgundiæ Ducem ex altera, iteratò quoque, Alpes superauit, & ad solemnem Atrebatensem Conuentum se contulit. Ad Basileensis Concilij frenandam insaniam ter laboriosissimum iter arripuit.

Iussu Eugenij IV. præfuit Concilio Ferrariensi, & contra sex Græcos cum totidem Latinis de Processione Spiritus Sancti doctissimè disseruit. Per triennium deinde Florentiæ à latere Pontificis nunquam abfuit. Scripsit præterea.

1. *Recollecta multa lectionis*
2. *De Inexcusabili peccatoris nequitia*
3. *Orationes ad Venetos, & Philippum Vicecomitem Mediolani Ducem, pro pace.*
4. *Sermones multos, & epistolas eruditissimas*

Aloysius Manzinus Ideam Principis Ecclesiastici, lineis ex Albergati gestis deductis, ad viuum expressit, euulgauitq. Bononiæ An. 1643. sed & legationes gloriosè obitas, rerum agendarum peritiam, congestis euehunt encomijs Paulus Æmilius Veronensis, Polydorus Virgilius, Panuinus, Nauclerus, Ermannus Schendelius, Crantius, Bostius Carmelita, Deodata Maluasia, Carolus Sigonius de Bonon. Archp. Georgius Garnefelt, Blondus, Philelphus, Dorlandus, Ferdinandus Vghellus, Garimbertus, Ciaconius, Andreas Victorellus, Ludouicus Donius D. Attichy in floribus Hist. S.R.E. Card., Augustinus Oldoinus, Petrus Sutor, Platina, S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, Iacobus Zenus, Æneas Siluius.

LI.

1420. *Gosuuinus, Dobair, Ep. Scalholtanus.* Vitæ à Mundo segregis tyrocinium posuerat Diestensi in Lyceo, adeòque altè insederant eius animo corporis pœnalitates, mentisque oblectamenta, quibus sub Cartusiana viuendi forma semel intenderat animum, vt extremum adusque vitæ halitum vel latum unguem ab eis recedere nequiuerit. Et summæ quidem eius virtutis opinio ad exteros emanara, Scalholtanæ Ecclesiæ, quæ in Insulis Islandiæ, & Nidrosiensis suffraganea, regendæ, cum exqu fierat; verùm ipse pontificijs sub Insignibus Cartusiensem adamussim exhibere perrexit. Cilicio super nudum, chameunijs, ieiuna à carnibus mensa, carnem attriuit. Consummauit etiam, quam iampridem adornauerat, Paraphrasim in orationem Dominicam, & tandem summis, imisque precibus exauthoratione impetrata, in Monastica

sticæ conuersationis suæ Domo vltimum edidit spiritum 20. Iulij 1420. posteris commendatus; à Dorlando, Lib. VII. Chron. Cartus; Petreio, in Bibl.; Petro Sutore; Arnoldo Raissio, in recensione virorum illustrium Conuentus Diestensis; Pelliccionio, in Arbore Brunonianæ familiæ; Abbate Iangelino, In Synopsi Antistitum huius Propositi.

LII.

1420. *Delphinus Nannij, Gozzadinij, nobilis Bononiensis*, & Cartusianus licet, S. Syluestri de Nonanrula Abbas Commendatarius; Pennensium, & Hadrianensium Ecclesiasticos fasces capessiuit Anno Virginalis puerperij 1420. quinto Kal. xbris. Plurin ùm gratia polluit apud Martinum V. summum Orbis Catholici Patrem ad quem ideo bis pacis Orator à Bononiensibus ablegatus est, Anno nempe labentis Seculi vndetrigesimo, iterumque consequenti 1430. Mense Iulio. Sub Eugenio IV. A. 1432. 10. Kal. Aprilis Forum Sempronij traductus, in ea sede ætates suas expleuit, Anno translationis tertio.

LIII.

1424. *Dominicus De Bona spe, alijs De bona fide, titulo S. Petri ad vincula, alias Eudoxia, S. R. E. Pseudo cardinalis.* Huius Propositi obseruantiam votis concepit pudblicis ad S. Mariæ Vibi Barcinonensi adsitum Cœnobium, quod vulgò Mont allegre audit. Schismatum fauore euectus, iniqua eorumdem conditione perierat, nisi suprema ante fata saniorem rediisset ad mentem. Purpuratorum Patrum Sacro cooptatus Senatui à Benedicto XIII. præterquam quòd eo viuente alium nesciuit Pontificem, illo mortalitati concedente, conspirauit in Ægidium Monetium, qui in sua ad Pseudo pontificatum assumptione Clemens VIII. voluit nuncupari. Interea suæ, quod aiunt, sibi fuit aduersæ fortunæ faber; nam, collatis studijs cum Ioanne Carrerio in legibus Baccalaureo, dum rerum sacrarum Præfecturam maximam in Cardinalem S. Stephani in Cœlio Monte transferre molitur, à Clemente diro Panischolæ carcere conclusus, meritas diù pœnas dedit. Præterea à Martino V. semel, iterumque diris deuotus, fortunis expoliatus, carcere detentus, alijsque adiectis mulctis è Cardinalium albo expunctus est. Miserijs obseptus, seu veriùs diuina benignitate suis eum fauoribus circunstipante, cum insectationibus præmeret, resipuit, & corporeo ab ergastulo proximè emigraturus, insignia Cardinalitia per nefas assumpta spontè deposuit. Antipontifices eiurault omnes, Martini V. Christi vices in terra canonicè gerenti obedientiam, & subiectionem præstitit debitam in manibus Petri Fuxij Card., Apostolicæ sedis Legati die 24. Augusti Ann 1429. Hæc ex MSS. Codice Vaticano Legationis Petri Fuxij; Augustini Oldoini, Hist. Pontificia; Thomæ Bzouij Ann. Ecclesiast. Tom. 15. cum alioquin Ciaconius sentiat, denatum cum eisdem censuris, quibus perstrictus vixerat.

LIV.

1430 *Ioannes firat, Episcopus S. Pauli Tricastinensis*. Biennium sedit, æui diuturnioris Hierarcha meritissimus, qui familijs Ligeti in Turonibus, & ad S. Martini Neapoli ius sapientissimè dixerat. Ita Acta Consistorialia, Catalogus apud Galliam Christianam, Camillus Tutinus aliquali nominum similitudine allucinatus, ideoque Trecensium pro Tricastinensium Pastorem cum constituens.

LV.

1497. *Ioannes Inglebis, Episc. Landafensis.* Prouinciæ Angliæ cum censoria auctoritate Lustrator, Zelo, quo claustralem promouebat disciplinam, dignum se præbuit, qui formandis Landafensium moribus sæculi nequitia in deterius laben-

tibus

tibus adhiberetur. Quod ad tempus spectat consulenda series à Francisco Goduuino, in censu Angliæ Antistitum contexta: in ea quippe habetur, *Ioannes Inglebi Prior shenensis sedit Iunij 30. 1497. & Octob. 15. 1499. quando autem præsidere aut cœperit, aut desierit, haud comperi.*

LVI

1504. *Antonius, Surianus, Venetorum Patriarcha*. Inter curarum æstus capta in Deum mente viuens, absoluit, patriisq; e typis submisit.

1. *De Reformatione interiori. Lib.*
2. *De Vita contemplatiua. Lib. 1.*
3. *De Solitudine Lib. 1.*

Exacto quadriennio ad quietis æternæ portum appellere maturauit, conditus ad S. Andream de littore, ubi Anachoreticam viuendi normam instituerat, & condecoratus Epigraphe, ut sequitur.

D. O. M.
Antonio Suriano Patriarcha Venetiarum
Antonius Æques.
&
Augustinus Fratres Michaelis Filij sibi.
Patruo Benemerito P.
Vixit Ann. L I I. M V. D. XXIV. Obiit M. D. V I I I.
Anno Patriarchatus sui I V.

Eminet laudibus Philomusi Oratoris disertissimi, Dorlandi, Vghelli, variisque historiæ Venetæ Scriptorum monumentis.

LVII

1513. *Ludouicus Mercader, E. Dertusanus.* Cum sanguinis ingenuitate, Religione etiam conspicuus, ut clariùs eluceret, Dertusana in sede collocatur. Ea abire, morte iubente, infra triennium, coactus, Cælos repetijt, gloriosus loco se cessisse Adriano Florentiæ, quem Purpurati Romę electores A. 1521. supremum Christiani gregis Moderatorem adlegere. Referunt Acta Consistorialia, & Tamaius Salazar, in synopsi Antistitum Dertusanorum, Martyrol Hispanici Tom. V I. pag. 80. n. 28.

LVIII

1528. *Leonardus, Bona fides, Florentinus.* Fortissimum sacrorum munerum Atlantem, præcellenti numeris omnibus in alumno Leonardo, suburbana Florentiæ Cartusia produxit. Cuius nimirum humeris incubuere cum S. Theobaldi, Ord. Diui Benedicti, Diœcesis Typhern., & S. Eligij Abbatijs supremæ Præfecturæ Xenodochij S. Mariæ nouæ Florentiæ, itemque S. Spiritus in Saxia de Vrbe, nec non & Ecclesiæ Vestana in Apulia, & Cortonensis in Etruria. Ad illam conquisitus est sexti decimi gratiæ Seculi Anno vigesimo octauo, nono Kal. Februarij, ad hanc verò consequenti Anno, quarto Kal. Iunij.

Senio grauis Atlas regendæ Orbium cælestium moli Herculem sibi suffecit. Leonardum, modo consimili, Anno octauo ante fatalem omnibus se huiuscemodi Dignitatibus subduxisse in causa fuit, non regiminis onus, sed ingrauescens senectæ pondus, qua in corporis dissolutione reposcente iura naturæ, deuixit tandem, uno lustro centenario minor. Tanti viri funus, singulari in hoc Cœtu decore, tumulo namque ex marmore leniter sculpto, unà cum subnexo Epitaphio, cohonestatum, prout visitur in Aula Capitulari eiusdem Florentinę Domus.

Leonardus Bonafides Cœnobio in hoc religionem professus, summis honoribus functus, mox ad S. Mariæ nouæ xenodochy curam adscitus ita per multos Annos se gessit, ut a Clemente VII. Pont. Max. ad colligenda sancti spiritus fragmenta vocari meruerit: demum suprema senecta ab eodem Clemente Cortonen. insignitus Pontificatu diem suum obiens, max. sui desiderium reliquit. Obyt Ann. sal. MDXXXXV. annum agens LXXXXV.

LIX.

1535. ***Didacus sarmiento Ep. S. Iacobi de Cuba.*** Burgensis Patria, Patre Didaco Sarmiento editus, spiritualem in hanc arcem descendit ad S. Mariæ de las Cueuas, magnificentissimam Hispalensi in Vrbe Coloniam. Eiusdem Monasterij procurationi A. 152. admotus, qui to Præf. citatæ Anno à Rege Hispaniarum sistitur Pontifici Maximo E. S. Iacobi de Cuba approbandus. Non multo, ab accessu ad sibi commendatam ecclesiam, interiecto tempore, spiritualis, & temporalis Indorum status consuli fei gitur, primò quidem Concilij Indiarum sancito, secundò autem expresso Paul ppæ secundi mandato. Amplissimis auctus muneribus, haud imparem omnibus inmul obeundis se gessit. Indis accedentibus facillimus, intempestiuis etiam horis patebat. Nullum illi ex honorum incrementis supercilium, nulla immutatio morum. Insulam semel, iterumque lustrauit totam. Fraudibus occurrit, quæ in regio administrando censu interuenerant. Animaduertit in Magistratus iustitiam populis minus sanctè quàm par esset reddentes. Subiatę, eo curante, exactiones onerosiores, & si quę alia emendationem efflagitabant, castigarentur, apud Regem sategit. Offendit quidem Indiarum Optimates non pellici Didacum gratia, nec flecti auctoritate, & dum haustam priore sub vita solitarię Cælo, sublimiori in sede auram spirat, nescire se id eorum mores componere. Rigor obtrectationibus vndiq. est impetitus. Insidijs nequaquàm parcitum. At ille pro Dei cultu, Regisque obsequio eximio sui periculo facto, obloquentes irrisit, nuntio Pontificatui misso, & stipendijs sub Brunone prosecutis in Hispalensibus sui Ordinis Castris, è quibus triumphalis Heros ad lauream indeficientium gaudiorum euocatur, Anno Orbis restituti quadragesimo septimo, vltra millesimum quingentesimum. Exuuiæ in communi Monachorum Ossuario depositæ, hoc distinguuntur monimento. *Hic iacet admodum Reuerendus, & Magnificus Dominus Don Didacus sarmiento Episcopus olim S. Iacobi de Cuba, Monachus professus huius Domus Dominæ nostræ de las Cueuas. Defecit die Luna 30. Maij. A. 1547 cuius Anima sit in gloria Amen.* Videsis Theatrum chronol. Episcoporum Castellæ, & Indiarum Auct. Ægidio Gonzalez Dauila Regio Chronol.

LX.

1571. ***Franciscus Casanoua, qui & de simiana Ep. Aptensis*** Præfuerat Cartusiæ Villanouanæ, suæ professionis loco natali, iterumque Cœnobio Boni passus cum Io. Baptistæ fratri germano subrogatus, magistratus Episcopalis in Ciuitate Aptensi culmen attigit. Diœcesanas lustrationes quandiu per ætatem licuit, pedes absoluit, in pauperes munificus, vigilantia super gregem præcipuus, optimi Antistitis normam successoribus adumbrauit, donec Anno Dei in carne 1587 extinctus, humo conditus est in gentilitio Simianensium tumulo, qui in eadem Cathedrali Ecclesia visitur

LXI.

1584

1584. *Guillelmus, Cheisolmus.* Eum princeps Cartusia, emensa probationis arena, Brunonis censul adiecit, Dumblanenses, & Vasionenses Hierarcham habuere; Lugdunum, ad Lilij. S. Spiritus Rectorem coluit; Scotia, ad Iacobum 1. Regem, Pontificij Nuntij caractere insignitum, iucundissimè excepit; Vrbs tandem, ad S. Mariæ in Thermarum parietinis Moderatorem, Mariæ Scotorum Reginæ ad summum Pontificem Oratorem extra Ordinem, ut inquiunt, prudentia eximia, eruditione singulari, spectatissima probitate, Pedis abdicatis, muneribus gestis, aliijq; nominibus amplissimæ existimationis argumenta præ se ferentem diù suspexit; & tandem sexto Kal octobris. 1593. patriam ab exilio repetentem, ingenti cum luctu humo condidit in communi fratrum dormitionis loco. Infulam Dumblanensem deposuit, ab hæresi gliscente, sede exturbatus; Vasionensem post Annum Sextum decimum dimisit, ad Brunonis signa conuolaturus; Legationes Papæ in Scotia & Mariæ Scotorum Reginæ in Vrbe obiuit, fidem reparandi causa vbi corruerat; Monasteriorum res temperauit, qui luculentis sacerdotijs nuntium iampridem miserat, Obedientiæ fructus, humilitatis studio cumulaturus; Spiritum edidit vltimum, promeritam in Cœlo gloriam consecuturus; Nobiliori præ cæteris sodalibus sarcophago & inscriptione, vir alijs alijsque notis præstantior caruit, suarum laudum præcones æternùm habiturus Io. Columbum Manuacensem è soc Iesu in recensione Ep. Vasion., Claudium Robertum, Sammartanos, D. Seuerum Cartus. in serie Mſ. Priorum Cartusiæ Romanæ.

LXII.

1587. *Andreas Capella vulgò de Capillis, Epiſc. Vrgellitanus.* Iesuitarũ Societati adolescens cum adhæsisset, immigrauit ad Cartusienses huius Ætatis Anno LXX. Trium idiomatum Hebraici, Græci, Latini, Sacræ paginæ profunda intelligentia, doctis in eamdem commentarijs, alijsque elaboratissimi stili vigilijs inpaucis enituit. Ius dixit Conuentibus Valentino, Portæ Cœli nuncupato; Segouiensi, cui del Paular nomen; Neapolitano, S. Martino inaugurato; S Ambrosij tituloextra Mediolanum lapide; itemque Tarraconensi, vbi probationis stadium peregerat. Ad Regularium quàm sanctissimè formandos mores natus, Prouinciam, quam Lombardiæ appellant, Censor inuisit. Disciplinam redintegrauit in Monasterijs Benedictini, & Augustiniani Propositi; quibus per Cathalauniam reformandis à summo Christiani Orbis Patre, & à Philippo 11. Hispaniarum Rege adhibitus est. Sedit inter decem Viros à Bernardo Carasso Præposito Generali, pro Ordinis Statutis iterum compilandis, Gratianopolim accersitos. Alijs, alijsque muneribus præclarè functus A. 1587. Sacerdotio Vrgellitano meritissimè cumulatur, in quo oues suæ curæ subditas saginauit vberrimis diuinæ sapientiæ pascuis, & Seculi, in quo viuimus, Anno decimo finem dierum suorum attigit, pridie Idus 7bris. Eius elucubrationes Latino eloquio recensentur,

1. *Commentaria in Hieremiam Prophetam* 1586. In 4. ex Typographia scalæ Dei emersa.

Hispano autem sermone edidit.

2. *Considerationes in omnes Anni Dominicos dies, ferias Quadragesimæ, & præcipuas sanctorum solemnitates.*

Prodierunt Compluti in 4. 1482. Italicis autem auribus accommodatæ ab Auctore Anonymo, Veronæ A. 1595. Prælo Francisci delle Donne in 12.

3. *Manuale Meditationum, & exercitiorum spiritualium*, Latinè versum ab Antonio Dul Kenio huiusmet Cœtus ad S. Barbaræ, Apud Vbios, Ascetæ, ibidemque excusum, ære Conradi Butgenij 1607. Italicè verò interpretatum à Berlingerio Amoro-

so, & publici iuris factum Venetijs 1605 in 16. itemque à Iulio Zanchini Nosocomij S. Mariæ nouæ Florentiæ Præfecto, à quo typis Philippi Giunti in eadem Vrbe Bibliopolæ expressum M.D. IC. in 12.

IV. Consolatio nostra peregrinationis. Ilerdæ 1574. in 8.

V. Colloquium internum Christi cum Anima deuota, ex latino Ioannis Lanspergij Compluti 1609.

VI. Sermones in Dominicas Quadragesima, & in Anni festiuitates.

VII. Gesta & prærogatiua Mariæ Dominæ nostræ, ac S. Io. Baptistæ. Mſ.

VIII. De Veritate fidei Catholicæ Mſ.

Encomia Andreæ leguntur apud Lucam Vuadingũ, qui allucinatus eum Ordinis Minorũ albo inserit; Miræum, Script. Sæculi XVII. Cap. 189; Taxandrum, clar. Hisp. scrip. p. 21.; Diagum Pelli ZZerium, in Cathal. Ep. Vrgellensium; Nicol. Antonium in Bibl. Hispan.; Salazar, Martyrol. Hisp. die 11 Octob.

LXIII.

1605. *Alphonsus Ludouicus du Plessis de Richellieu S. R. E. Card.* Eius genitor Franciscus du Plessis Richelij in Pictonibus Dominus, Eques Torquatus S. Spiritus, Mater Susanna de la Porte fuerunt. Post Iacobum Patruum Antistes Lucionensis designatus, non consecratus, Armandum fratrem natu minorem sibi subrogandum curauit, & Cartusiensium se legibus imbuendum tradidit, quos inter Censorem, seu Visitatorem laudatissimè egit. Inde suum Archiepiscopum Inauguratum Ciuitas Aquensis gratulabunda excepit A. 1626, sed biennio post translatum ad Lugdunensem lugens amisit. A. 1632. Magnus Franciæ Eleemosinarius declaratur, ac primus à Rege inter Antistites Ordinis S. Spiritus Præceptor Instituitur, à quo etiam pinguissimis Sacerdotijs locupletatus Abbatia S. Victoris Massiliensis, S. Stephani Cadomesis, S. Pauli de Comeriaco, Casæ Dei, & Decanatu S. Martini Turonensis. A. 1635. Romam profectus ad Vrbanum. VIII. pro grauissimis Regni curis, Roseo Galero insignitur, Titulo S. Trinitatis in Monte Pincio. Epidimica lue Lugduni grassante animam suam visus intrepidè contempsisse, saucios inuisens, eleemosinis fouens, & Eucharistico ferculo reficiens. A. 1639 Pacem Europæ composuit, Galliarum Plenipotentiarius Coloniam Agrippinam à Rege ablegatus. Ordines Religiosos claustris supra viginti, cum Lugduni, tum in Diœcesi adauxit. Munificum in pauperes pangit ad numerum Poetas inter illustris.

Regales dispensat opus Alphonsus egenis.
Sic sibi, sic Regi comparat ære Deum.

Diuitiarum verò exuberantia in egenos distracta, Alphonsum quoad sui cultum paupertati impensè addictum, posteris ipsemet ratum voluit, lemmate propria manu conscripto, & in Hospitali pauperum Lugdunensium apponendo in hæc verba.

Pauper natus sum
Paupertatem voui
Pauper morior.
Inter Pauperes sepeliri volo.

Huiuscemodi sub Epigraphe conditus iacet ab Anno voluentis ætatis tertio & quinquagesimo, quo hidropisi correptus, summa pietate percepit Ecclesiæ sacramenta, cursumque dierum suorum consummauit, meritis nequaquam inops, qui in ipsa rerum affluentia inops vixit, inops occubuit. Plura de eo apud Nomenclatores Cardinalium, vniuersorumque Galliæ Episcoporum.

LXIIII.

LXIV.

1609. *Antonius, de Cea, Ep. Funcalensis.* Cartusiæ de Aniago Collega, patria Lusitanus, D. Roderici Caldeirano à sacris confessionibus, Præsulatum Funchalensem à Philippo Hispaniæ, & Lusitaniæ Monarcha meruit hoc Anno, denunciatus in sacro Purpuratorum Patrum Concistorio decimo sexto Cal Octobris. Ar vir Cellæ amator, Mundique honores exosus, à Deo perijt, ad Cælum inter Diuos euehi, non ad Infulam inter Episcopos, & quarto à promotione die, voti compos effectus, perrexit ad occupandum solium gloriæ, quod humilitatis sibi studio parauerat. Act. Concistor. sub. 16. 7bris.; G Cardosus, Agialogij Lusitani P. 111. xi. Maij, Pag. 195, L. L.

LXV.

1624. *Bruno de Ruade, Ep. Conseranensis.* A. Galliarum Rege è solitudine Vallis Viridis secus Lutetiam ad Episcopatus apicem prouocatus, Dignitatis fastigium eo studio deprecari contendit, quo sibi à Christianissimo deferebatur, quod cum de Prioris Generalis mandato sibi, quamuis reluctanti, subeundum vidit, passus est à suo Decessore munus consecrationis sibi 10 Maij Luteriæ co. ferri. Interfuit Cœtui Cleri Gallicani Fontaneti in Pictonibus Anno 1628. celebrati, & è viuis reuocatus, in Cartusia Tolosana mortuorum resurrectionem expectat.

LXVI

1624. *Angelus Maria Cittadinus, ex fauentina huius familiæ propagine, Armeniorum Archiepiscopus in Persia.* Palmes hic Prædicatorum Ordinis è plantatio ad Cartusianos translatus, post austerioris disciplinæ periculum in ædibus S. Martino Neapoli sacris consummatum, & Præfecti munus in Cœnobio Capritano strenuè exantlatum, creatur Archiepiscopus Myrensis, & Suffraganeus cum futura successione Matthæi Nexiouan. Hierarchæ, cuius morte audita ad suam sponsam iret adornauit, præfuitque ad Annum 1627., quo magno ouium sibi creditarum cum luctu appositus est ad prædecessorum cineres. Ita libet Prouisionum in Partibus Archiuij Congregationis de propaganda fide fol. 108. sub Anno 1624, pridie Kal. Iunij. Pater Vincentius Maria Fontana ad Templi super Mineruam Romæ Theologus, & antiquitatum illustris Promus Condus in Theatro nuper edito apud Tinassium, titulo nono, De Pastoribus Ecclesiæ, eum vocat Paulum, non Angelum, ciuemque Bononiensem, traditque dum Annum probationis tereret, reclamante Magistro Gen. Seraphino Sicco, Apostolico sancito Dominicanis restitutum, & ob excellentiam linguarum exoticarum, cohonestatum Sacerdotio, ad quod Professores tantùm Dominicani Propositi consueuit Roma destinare. Veruntamen cum ne dum solemnis votorum nuncupatio, sed & regimen Monasterij Capritani Cittadinio inter Cartusienses contigerit, illum ab hoc albo omninò expungere minimè ausim. Crediderim tamen ob linguæ Armenæ peritiam omnibus huius Prouinciæ Candidatis prælatum, & retenta Angeli appellatione, quam in transitu ad Brunonis signa susceperat, cæterùm Pontificalia insignia Prædicatorum superinduisse cucullo, & fortè etiam Ordini iterum aggregatum, quò insideret excelso apici hactenus à Dominicanis iuremerito occupato, quorum sicut Apostolicus labor eam vineam excoluit, Ecclesiæque Catolicæ unioni restituit, ita & in præsentiarum Conuentus Parœciæ sunt fidelium, & Monachi potior Cleri pars, Diuinique cultus Zelatores præcipui.

INFVLÆ A NONNVLLIS AVCTORIBVS Ordini Cartusiensi accensitæ.

I.

1086. *S. Hugo de Castro-nouo ad Isaram Episc. Gratianopolitanus*. Sacri, & Religiosissimi huius Propositi incunabula Hugonis Infula decorant Christianus Massæus, Lib. 16. Chron. Sigebertus, ad Ann. 1084. Nauclerus, Generat. 37., Sabel. Ann. 1086. Volaterranus Lib. 21. Antropat. Mihi satius est Hugonem egregium quidem eius promotorem asserere, hospitem frequentem, consuetudinum studiosissimum, cucullum præterea sub habitu Pastorali induisse, sub quo & obijt, successore ex eodem Ordine sibi procurato. Ex Monachorum autem censu vltrò missum faciam, quòd his legibus, conceptis nequaquam votis se obstrinxerit. Erat quidem animus, Pedo repudiato, anachoresi se totum deuouere, ni alia fuisset Brunonis sententia. Ipse enim animarum salutis sollicitior, quàm suæ prolis præclaro adeo incremento amplifandæ studiosus, passim Hugonem, redderet se ouibus sibi commendatis, monebat. Obstitit, & Romani Pontificis auctoritas, qui Hugonem munere abire Episcopali, studio profitendi Cœnobiticam vitam, nunquam passus est, enixis eiusdem precibus reiectis. Eodem nomine Monachi Cluniacenses Hugonem sibi vindicarent; nimirum, & Cluniaci conuersatus est, Benedictinum præferens habitum, & Buscoducensem Canon. Regularium Congregationem sub eiusdem Antesignani Benedicti Regula instituit, Monachorum Canonicorum Auctor, quando Pastoralibus curis addictus, Monachum inter Monachos agere, prohibebatur. Lector consulat Guigonem in vita eiusdem S. Hugonis apud Surium, die 1. Aprilis; Arnaldum Wion Belgam, in Ligno vitæ; Historiam Delphinatus, Nicolai Chorier; Yepez, in Annalibus Ord. Diui Benedicti

II.

1104. *Gaufridus Episc. Ambianensis*. Inseratur licet Brunonis albo à Thoma Bozio, Lib. VII. Cap. 1 De Signis Ecclesiæ, excludendus tamen est eisdem ferè rationum momentis, quibus S. Hugo, quippe qui Cartusiam Principem cum adiisset, & generoso tyrocinij agone ad votorum nuncupationem, perfectionisque brauium contenderet, lugens, eiulansque inde auulsus est, suoque gregi post trimestrem absentiam restitutus, annitentibus Conone, Pontificis Summi Legato. PP. Concilij Suessionensis, & Ludouico Galliarum Rege. Ex Nicolao Monaco Suessionensi, in eius vita; & Guiberto de Nouigento, Lib. 2. Cap. 2.

III.

1138. *Bernardus titulo S. Chrysogoni S. R. E. Card.* Exhibetur Cartusiensis, & Romana Purpura donatus ab Innocentio II in Hist. M. S. P. Nicolai Molin Prioris Syluæ Benedictæ, & P. Fulgentij Ceccaronij ex vetustissimo Calendario Cartusiæ Portarum, in quo habetur, Bernardus Card. Tit. S. Chrysogoni nostræ Congreg. Monachus obijt in vigilia S. Laurentij Ann. 1138. cuius corpus Romę magnificè quietem accepit. Eadem monumenta obijsse ferunt infra suæ inaugurationis Annum.

IV.

1140. Iordanus ex Professo Montis-Dei, initiator Cartusiæ Vallis S. Petri, ab Eugenio III. Romana Purpura donatus reperitur penes G. Surianum Belgam, Pag. 432.

V.

1150. *Albertus Archiepiscopus Ciuitatis Centronum, seu Tarantasia.* Huius in Alpibus

Grais

Grajs Metropoliticæ Vrbis Antistes refertur à laudato P. Theophilo, itemque à Camillo Tutino in Prospectu Ord. Cartus: Verùm non satis certè, quan oquidem in Catalogis editis à Franc. Augustino ab Ecclesia, Chenu, & Sammartanis eius nequidem mentio, præcipuè ad Annum 1150. quo sedebat Israel, biennio post depositus, successore S. Petro Abbate Stamediensi Ord. Cistercienis.

V.

1222. *Guillelmus ex Mutina Ep. Card. Sabinensis* Nonnulli quoque eum Cartusiensibus adhæsisse hausit laudatus P. Theophilus ex quadam Epist. sub Dat. Lugduni 1244. ad Hugonem II. Ord. Priorem Generalem. Attamen militiam sub huiusmodi signis conticuere omnes S. R. E. Card. Nomenclatores Ciaconius, Vghellus, Oldoinus, Contelorius. Epistolam ipsam inspiciamus ex veteri schedula, inter Antiquitates Bibliothecæ Dni. Verdery, Vallis priuatæ Domini, Lugduni reperta.

Venerabili, & in Christo dilectissimo Patri Hugoni Priori Cartusiæ sanctisque Patribus eiusdem Conuentus frater Gulielmus Mutinensis Episcopus, & Cardinalis Sabinus nunc quamuis indignus, permittente Deo, creatus, debitam obedientiam, & deuotissimas filij Orationes.

Afflictus miserandum in modum, Pater, fratresque mei, sum, nec me grauabat intantum Episcopalis sarcina, quamuis immensa, quantum premit, & iam incendit, quod opprobrium ego hominum, & abiectio plebis de stercore miserabili eleuatus, sedere iam iubear inter Ecclesiæ, Mundique Principes, idest vigilantissimos inter speculatores dormiens homo, & cæcus, inter gubernatores fortissimos timidus miles, & Canis, si non mutus, saltem non audax, nec satis clypea orationis munitus, & armatura iustitiæ, quibus tectus, venientia tela sine offensione excipiam. Verè humiliata est in puluere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster; nihil nisi Cartusiam meam expetebam, ad hanc solam vota, vitaque mea suspirabant, & inspirabam quotidiè Pontifici sancta liceret mihi iam in extremis posito saltem in illa quiescere, & cum patientia inter innocentissimos confratres meos quicquid dierum reliquum erat peragere. Parcat illi Deus. Quid est quod facere voluit sepultum hominem, ad homines reuocare, depositum in terribile curarum pelagus reponere, ut me iterum honoris altitudo resorbeat. Oro, Pater, Filio tuo in Christo indulgeas, & illa Sancta multitudo, cui, Deo auctore praees, vterinum Monachum, ne dicam Cardinalem, suum esse recordentur. Confidimus in vestris precibus, dumque inter dubia anxia mentis meæ nullum occurrit aliud remedium, nisi ad Deum ipsum recurram. Obsecro supplicent ei Cartusiani mei, ut qui dedit honorem, ipse seruet, & nos eam vitam donet ducere, quæ tantæ dignitati par sit; Condonet, ut hæc tanti oneris speciosa sarcina, si corpus grauat, ita non opprimat animam; eaque vtiliter ad communem Ecclesiæ suæ salutem valeat coulaborare, ne illi, & Sanctæ Sedi ingrata videatur. Nonne, & inimicis, & persequentibus vos benefecistis? Nonne & miseris misericordes adestis? Recordemini confratris vestri, nec de numero vestrum aliquem à Principe tenebrarum rapi patiamini. Sentiam, quia tempus est, quæ de vobis semper speraui, & cum claues Regni Cælorum in manibus vestris sint, humili, & deuoto corde supplica, ut cæteris admissis, me fratrem vestrum nullo modo à Regno vestro excludi finatis. Redijssem ipse ad vos, & quod scribo, ore maluissem dicere, nisi cæptum iter in Noruegiam, ad quam de mandato summi Pontificis naitre festino, impediuisset. Si Deo propitio inde sospes rediero, non prætermittam donec videam quos diligit anima mea. Interim quod præsens non possum, absens facio, totumque fratrum Collegium intimo affectu, & affectuosissima deuotione saluto, Deprecans, ut pro me, causaque itineris mei mentium suarum thuribula, & Orationum sanctarum, velut fumum aromatum in Cælum emittant, quibus pro officio quantum possum ex parte Omnipotentis Dei, & purissimæ Virginis Matris Dei, sanctorumque omnium corde, & ore benedico. Lugduni 29. Nouembris 1244.

VI.

VI.

1134. S *Edmundus Cantuaria Metropolita.* Consule quæ de eo præmissa in Appendice ad Elogium Bonifacij à Sabaudia, eius successore ad A. 1232.

VII.

1280. *Pontius de Sableria Ep Grassensis.* Sedit quidem sacro in Grassensis Ecclesiæ apice Pontius N. sed ad A 1265., non octuagesimo eiusdem Æui, quo Guillelmus de Grasse, vel Lanrelmus successor immediatus iura dabat. Nùn verò Pontio illi, quem n. 26. collocat Gallia Christiana cognomentum fuerit de Sableria, & vitæ ratio Cartusiensis, adhuc mihi in votis est è temporum caligine in veritatis lumen educere.

VIII

1292. *Ægidius Archiep. Senonensis.* Nomen, professio, inauguratio, & Annus secundus vltra nonagesimum tertiæ deciмæ Æratis producuntur in Brunone mystico P. Theph; quo autem fundamento, videris ipse. Mihi in metropolitica hac Sede occurrit Stephanus Becardus ex familia de Penulo initiatus appositè eodem Anno, & reuocatus ab humanis Æratis insequentis Anno 9. Immo è reliquis Metropolitis Senonensibus nemo est qui Ægidius appelletur. Fortè delectus Ægidius hic Cartusiensis, consensum suffragijs denegauit, & quotquot cooptatum inquiunt ad Sacras leges eidem Vrbi præscribendas, destinatum tantummodò intelligunt.

IX

1316. *Ioannes 22. Pontifex Maximus.* Cartusianus traditur Tom. 1. Lib. 11. Cap. X. pag. 2213. Hist. Generalis FF Discalceatorum Ord. B. Mariæ Virginis de MonteCarmelo Romæ typis Mancini emanatæ 1668. iussu Præpositi Generalis Philippi à Sancta Trinitate, labore verò FF Isidori à S Ioseph, & Petri à S. Andrea strictioris eiusdem obseruantiæ professoribus. Vnde illustres alioquin Auctores id hauserint, nescio, cum nemini vel minimùm in Cartusiensium monumentis versato non fatendum sit, præclaros ex eorumdem disciplina heroes Ecclesiasticas Dignitates assequutos omnes, vnum infra supremi Sacrorum Regis fastigium. Singulatim gesta Ioannis 22 penes concinnatores Historiæ Pontificiæ intuenti liquidò patet, nec huius, nec alterius claustralis propositi legibus eum vnquam obstrictum.

X.

1320. *Bernardus Archiep. Tarantasia.* Bernardi, siue Bertrandi nomine Sacro Centronum Vrbis Solio duo insedere; alter Seculo Orbis reparati tertio decimo, de quo supra ad A 1217. alter posterioris Anno nono. Ille è Cartusiæ summæ recessu educitur cum, à Sammarranis, tum ab alijs tabularum excussoribus, non ita tempore inferior. Laudati Auctores Brunonis mystici, & Prospectus Historici Ord. Cartusiensis primo omisso, secundum cum claustrali Brunonis cilicio metropoliticis Alpium Graiarum insignibus cohonestant. Itaque facilè allucinati duos confundunt in vnum, vel Chronologia emendata, neuter à veritate longè distat. Enim verò Bernardus Antistes Tarantasiæ, Cartusiensis fuit, sed primus, non secundus. Num verò Religiosi eiusd. stadij ambo commilitones fuerint, siquidem Bernardi 11. gesta non satis dilucidè patent, hactenus incompertum.

XI.

1347. *Ioannes Pascall. Ep. Landafensis.* Anglus natione, patria Suffolcensis, Cantabrigæ Doctor Theologus, ex suffraganeo Baremanni Hierarchæ NorWicensis, cum nuncupatione Ep. Scutarensis sub Metropolita Antibarensi in Dalmatia, consalutatur Præsul Landafensis n. 44. seditque à 3. Iunij 1347. ad XI. Octob. 1361. quo sacri regiminis, mortalisque sarcinæ pondere leuatur, humo, marmoreo sub lapide, conditus Bishonæ in Capella B. Mariæ. Adiectus Cartusiensibus à Francisco

cisco Goduuino in Commentario de Præsulibus Angliæ, vindicatur Carmelitis nedum ab Auctore Speculi eiusd. Ord. Antuerpiæ recenter cusi P. V. Lib. 3. n. 3290. de assumptis ad Episcopatus, sed & à Baleo, Ioanne Lellando, & Ioanne Pitseo in Atenis Anglicis, à quibus, quemadmodum Goduuinus fatetur hausisse se Eduardum huius nominis III. vsque adeò allectum Io: concionibus, vt illum Landafensi Episcopatu donarit, debuisset & condiscere Carmeliticam eius in Gippesuuicensi Cœnobio vitæ institutionem, quam illi edocent. Et ne quis de immigratione Io: ex Carmelo ad Cartusiam fortè somniet; animaduertat fas est, eum lectum in pastorem, dum in concionando ad nobiliores Angliæ Vrbes insignis Ecclesiastes famam sibi comparasset, Doctorisq. in sacra Theologia titulo insigniri, qui Cartusiensibus omninò insolens.

XII.

1472. *Gualterus ad Hortum Angelorum VVirceburgi Sodalis, Ep. Herbipolensis.* Ita præter P. Theophil. & Turinum Petreius in recensione virorum illustrium huius disciplinæ. Quibus ne ego suffrager obsistit Elenchus eiusdem Ecclesiæ Pastorum apud Gabrielem Bucellinum In Germania Sacra, Laurentium BeyerlincK, Trithemium, aliosque. Siquidem ijs ad antiqua, & fidelissima diplomata expensis}, nullibi obseruatur Gualterius, multòque minus Cartusianæ quispiam viuendi normæ olim professor, præcipuè circa Ann. 1472. quo sacrum ius dicebat Rudolphus; initiatus Anno 1466. fatoque functus 1495. Fortè Ep, Titularis in partibus, Pontificia munera in eadem Ecclesia obibat.

XIII.

1496. *Raymundus de Commerio Ep.* Sarlatensis. Hunc insignem familiæ Glanderij alumnum non unus Auctor Episcopale ad Pedum prouectum refert; ex quibus alij ad Tarlacensem, vti Perreins in Appendice ad Bibliotecam, potior pars ad Sarlatensem extollit. Tarlacensis incomperta mihi est sedes, non ita Sarlatensis, quæ olim Abbatia Ord. Diui Benedicti, in confinijs Petrogorensibus, à Ioanne XXII. versa est in Episcopatum Metropolitæ Burdigalensi suffraganeum. Eius præsulum synopsim euulgarunt primi Sammartani eruditissimi. Extat præterea Ms. eorūdem Hist. sed nullibi offendi Raymundum de Commercio aut de Comerio. Tantùm in enarratione promotionis Armandi de Gontaurd, qui locum vndevigesimum implet, animaduerti Infulam hanc ad Annum 1496, disceptatam inter eumdem Armandum nominatum à Rege, & Raymundum de Comaret selectum à Clero, ideoque cedere coactum Armando potentiori suffragio innixo. Nisi iste Raymundus de Commaret, sit Raymundus de Commerio, qui causa excidens, segregem à mundo vitam sibi indixerit, nimirum antea Rector erat de Seteaac, & Vicecomitis Turenæ Cancellarius, nescio de quo Raymundo Sarlatensi Episc. loquantur.

XIV

1494. *Franciscus Lauellus Ep. Rauellensis.* Cartusiensem asseri lapsus est Amanuensis apud Vghellum Tom. I. Ital. Sacræ. Etenim Acta Consistorialia ibi citata Carmelitam eum exprimunt, & Sacræ Theologiæ Magistrum, non Cartusiensem. Sed & Speculum eiusdem Ordinis P. V. De Viris illustribus n. 3215. Carmelitis eumdem solidè accenset, prolata filiatione in Conventu Neapolitano, & egregio sui periculo in facultatibus speculatiuis facto, quo diuinæ scientiæ Magisterium promeruerat.

XV

1550. *Florianus Ioli à Vbhasiani Archiepiscopus Gnesnensis, Polonia Primas.* Accuratissimam huius Primatialis sedis Antistitum seriem digessit Stephanus Damaleui

clus Varta Can. Reg. Lateranensis ad S. Nicolaum Califfij Præpositus, excessitque Varsauiæ A. 1649. In eam nec Floriani illatum nomen, nec vacat inferendi locus, adeò dilucida, & continuata vniuscuiusque ex illis successio, nomen, & gesta. Singulatim notandum, ad Annum quinquagesimum vltra sesquimillesimum, quo inauguratum Florianum ab illustratoribus Cartusiensis Historiæ literarum monumentis proditum est, sedisse Nicolaum DzierzgoVusKi numero quadragesimum nonum, qui clauum A. 1546. apprehensum, dimisit A. 1559. 18. Ianuarij unà cum vita.

XVI.


1551 *Leonardus ex professo domus Bona-fidei, Ep. Cornatensis.* Indicatur breuiter & ipse in Catalogo Theophiliano. Verumtamen eumdem illum censeo cum Leonardo Bona-fides, qui votis ad Florentinam S. Laurentij Cartusiam emissis, Cortonensis Episcopus renunciatus est, subijtque mens aliàs eruditissimum scriptorem, duplici in hoc allucinatione deceptum, gentilitio nempe agnomento Bonafides, & spirituali regeneratione alumnum Florentinæ Coloniæ, credidisse Ascetam Cartusiæ Bonæ-fidei in Aquitania, & pro Cortonensi Pedo, qui Episcopatus est in Etruria, scripisse promotum ad Cornatensem, cuius nominis Episcopalem Sedem nullam adhuc inueni.

XVII.

1558. *Aloysius Lippomanus Methonensis, Veronensis, & Bergomensis Ecclesiarum Antistes.* Fallitur Ludouicus Iacobà S. Carolo Lib. 2. Bibl. Pontificiæ, dum ait, Aloysium patria Veronensem, religione Cartusianum, Veronæ defunctum, ibidem in Cathedrali humatum fuisse. In libris Actuum Consistorialium sub die 28. 7bris. 1538. hæc habentur. Sanctissimus Dominus noster deputauit coadiutorem cum futura successione in Ecclesia Bergomensi Aloysium Lippomanum Clericum Venetiarum ob ægritudinem Petri illius Episcopi. Et die 7. Februarij. 1539. Sanctissimus Dominus noster prouidit Ecclesiæ Methonensi de persona Aloysij Lippomani Clerici Venetiarum: & coadiutoris Ecclesiæ Bergomensis. Clericus item Venetiarum in Actis translationis ad Veronensem, appellatur, prout ad illustrandã historiæ veritatem fusiùs, & enucleatiùs Ferdinandus Vghellus Tom. IV. Italiæ Sacræ pag. 705.

XVIII.

Petreius in nomenclatione Ep. Magnatumque huius Ord. edita ad caloem Bibl. eiusdem Scriptorum, meminit Francisci de Casanoua Ep Astensis ex Ord. Cartusiensi. Theoph. item Raynaudus, in eorumdem recensione, duos in Sede Aptensi collocat Cartusienses, N. de Simiane A. 1574. sublatum, & Franciscum de Casanoua. Verùm eruditissimo vtrique scriptori occurrendum dictis præmissis in Francisco Casanoua, LX ex supra in Catalogo laudatis.



THEATRI

THEATRI
CHRONOLOGICI
SACRI CARTVSIENSIS
ORDINIS
PARS QVARTA
ATHENÆVM.

I



. *Bruno* doctrina celeberrimus, quemadmodum & moribus sanctissimus Religiosissimos Ascetas suos docuit glorificare Dominum etiam in doctrinis, ideoque Psalmodiæ, & lectioni, Choro, & calamo diem noctemque ex æquo diuidere. Locupleti Bibliotheca nunquam eosdem non diuites voluit, neque inter ipsa asperrima Institutionis crepundia, eum extrema ab inopia pauperes Christi antonomasticè appellabantur. Ex Cartusiensium infantia, qua Guiberrus de Nouigento historicus coæuus scribebat, *Cum in omnimoda paupertate se depriment, ditissimam tamen Bibliothecam coaggerant, quo enim minus panis huius copia materiali exhuberant, tanto magis, illi qui non perit, sed in æternum permanet, cibo onerosè insudant.* Illud tempus, quo ne Reipublicæ litterariæ commoda à domestica oeconomia, suisque vtilitaribus vel modicum seiungerent, consueuerant victui necessaria comparare, exarando celebriores quosque in fide Orthodoxa Patres, aliaue reconditæ eruditionis volumina. Nec omnes Amanuenses. Fuerunt ex tunc & deinceps, qui bibentes de cisterna sua, diuiderent in plateas propriæ sapientiæ aquas, & septem luculentis sydetibus Diuo Hugoni Gratianopolitano præsignati, illud sibi Danielis Cap. 12. a. 3. vindicarent effatum: Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Itaque Athenæum aperire, congestis Cartusiensium libris prædiues, est cœlum expandere radiantibus distinctum astris. Nouum inquam Cœlum explicare, nisi quòd illius Stellæ alterno ortu, & occasu pereunt & reuiuiscunt, at illustriorum Cartusiani Firmamenti luminum fama, & eruditio in multiplici Gratianopolitani Archicœnobij conflagratione, bellicis quoque Angliæ, Belgij, & Germaniæ excidijs æternùm occubuit, quotum m.m.ff. Codicibus flamma vorax non solam typographiæ lucem inuidit, sed & autographis absumptis, in ipsa atramenti nocte iacere prohibuit.

Præclarum superstitum agmen Diuus Ord. Antesignanus ducit, nitidiori quippe cœteris eruditione coruscus, corypheí partes iure merito assumit. Ab ipso habemus, *Paraphrasim in psalmos.*

2. Commentaria in sacram scripturam.

3. *Epist. ad diuersos.* Emerserunt è prælo Ascensiano Lutetiæ,& tandem Coloniæ 1611 In folio.

IV. *De laud bus vitæ solitariæ M.* S. apud Paulum Burgesium Venet. Cartus. Cautum tamen lectorem volo, me hic nequaquam ad trutinam reuocare contentionem Benedictinorum cum Cartusianis, num scilicet bona pars Opusculorum excusa sub nomine Brunonis Cartusianorum Institutoris; veritate discussa, restituenda sit Brunoni Astensi, Episcopo Signino, deinde Monacho & Abbati Montis Casini, iterumque Episcopo? Hoc inquam classicum minimè cano, ne disceptationem absoluere admirar, quam finendam æquo sub iudice doctiores antiquorum M.SS. Promio condi grauiter iudicarunt.Sixtus Senensis ait; Reliquit præcipuè pios ac breues in psalterium Commentarios. Item in omnes Pauli Epistolas lib. 14. Bellarminus de script. Eccles. tradit Scripsit multa quæ extant impressa Parisijs apud Iodocum Asce. sium. præcipua esse videntur Commentaria in psalmos, & Commentaria in Epistolas sancti Pauli. Aubertus Miræus in adaucto eorumdem scriptorum Ecclesiasticorum Elencholu x nou't opera Brunonis Antistitis Signini ab alijs censeri Brunonis Cartusiani, à nonnullis autem Brunonis aliùs coæui, & Episcopi Herbipolensis, in Francia Orientali. Cardinalis Bona in Censura Auctorum, præmissis in vest bulo eruditissimæ vigiliæ, titulo, *Harmonia Psallentis Ecclesiæ* indefinitè loquitur, Brunonis Cartus. fund. opera pia & docta in scripturam. Andreas Rossotus, in syll. bo scriptorum Subalpinorum vbi de Brunone Episcopo Signino, cum de eiusdem nuncupationis, eadem tempestate. Ep Herbipolensi loquatur, à controuersia agitata inter Casinenses & Cartusianos, alto de ea silentio, se subducit. Theophilus Raynaudus Erotemarum X. Partitione prima, tenebris, quæ veritatem obducunt, indicatis, easdem discutit hac assertione: Ego nihil definio. Philippus Labbè postquam in historica Dissertatione de scriptoribus Eccles. vindicias retulit Patris Mauri Marchesij Casinensis,pro eisdem adiudicandis Brunoni Astensi, suæ professionis Monacho, veritus suam depromere sententiam, easdem seu amplectendi, seu reprobandi lectorum placito committit. Quæstionem dirimere satagit Possevinus in Apparatu sacro, sed tenebras condensat, quas dissipare aggreditur, qui nimirum in Brunone Cartusiensi dixerat, eum composuisse de Nouis,1. De nouo Mundo, 2. De Cœlis nouis, 3. De Nubibus nouis, 4. De Montibus nouis, 5 De Arboribus nouis, 7. De Mari, & Piscatoribus nouis, 8. De Auibus nouis, 9 De fluminibus nouis, 10. De Animalibus nouis, recenset inter M. S. Brunonis Episcopi, composuisse De nouo Mundo sermones decem, seque eos inspexisse apud P D.Constantinum Syracusanum, Romæ, ex dono P. Arnoldi Vuion. P. Maurus Marchesius Decanus Casinensis nulla non adhibita diligentia in veritate indaganda, ex stylo, qui potissimum dignoscendi cuiuscumque scriptoris vestigium est, Lib. quidem sententiarum, & Apocalypsim genuinos fœtus sui Brunonis coniecturis non ita citò explodendis, deprehendit; nihil tamen de reliquis probat. Immo licet authoritati P. Diaconi, qui Petrus paulo post suprema Brunonis Astensis fata Monachum in Monte Casino agebat, scribebatque, inhæreat, multa in recensione operum eiusdem Brunonis omittit, quæ ille suo Catologo inserit. Ego sapientissimis à præfatis scriptoribus non facilè discedendũ censui cũque ijsdẽ ducibus, Brunoni Cartusiano, nec causa excidendum, nec peana canendum pronunciem, ad doctissimos eius Alumnos migro, qui omnes in huiusce Elenchi firmamento elucescent, alij quidem maiorum, alij verò Cælestis sapientiæ luminarium adinstar minorum, sed qui omnes virtutum augere diem valeant, vitiorum que propellere noctem. Hi sunt.

1095. *Maraldus Calabritana Cartusia* Alumnus, poetica vena diues, cecinit quamplura scitè, & piè, ex quibus extat Rhytmus mellicus in Baptismate Rogerij Comitis Calabriæ filij, quem ad eiusdem Comitis preces S. Bruno vnda salutari Christo regenerat, & Lanuinus è sacro fonte leuat. Incipit.

Totus orbis claret orbis
Claro natalitio
Marchionis militonis
Bonifacij Itali
Neptis ornat, quem exornat
Vxor Adelasia
Brusiorum siculorum
Comitem Rogerium
& Northmannum venerandum
Donat fœtu flonina.

Exemplar integrum apponitur a Camillo Tutino prospectus Hist. Ord. Cartus. pag. IX. ad A. 1097.

III.

1115. *Bernardus de Portes* nuncupatus, à prædio fortasse, in quo Cartusiam Portarum primus condidit, ac rexit, nonnullas Epistolas ad virtutem, & vitam religiosam commonentes dedit, vti in Cod. M.S. Portarum teste D Hugone Boat in Cartusia Moiorevi Coadiutore, & sui maximè Ordinis historiarum peritissimo, quarum præcipuè habentur.

1. Ad Aymonem de Varennes, & ad Aymonem de Rehoria. De fuga seculi.
2. Ad Raynaldum Inclusum; *Qualiter coram Domino sit viuendum.*
3. Ad Moniales de Lugduno, eas in strictiori disciplina confirmans.
4. Ad Berlionem Episcopum Bellicensem.
5. Ad Moniales de Blesio.
6. Ad Eugenium Papam.
7. Ad Diuum Bernardum Clareualens.
8. Ad Ismionem Abbatem Ambroniacensem.

Ex his tres primas edidit ex codice M.S. Monasterij S. Augendi Iurensis Franciscus Chifflettus, & ex Chiffletio eruditissimus instaurator Maximę Bibliothecę veterum Patrum, non sine magno desiderio cæterarum, in primis vltimę ad Ismionem, in qua declarantur causę, cur Monasterio relicto in Eremum Portarum concessisset, Incipiendo in hæc verba. *In Monte Saluum te fac, ne & tu simul pereas.* Vixit hic Bernardus ad An. 1152. Ammanuacensis Monachus primò, deinde Cartusiensis, ex Cartusiensi Episcopus Bellicij, & iterum Monachus. Lector consulat Chiffletium in manuali solitariorum, ex Cartusiensium cellis deprompto pag. 304. & Bibl. Max. Anissonianæ Lugdunensis editionis Tomo 24. pag. 1501.

IV

1125. *Lambertus Calixto IV.* Affinitate iunctus, cui itidem Melitensem Ecclesiam consecranti adstitit, scripsit Constitutiones obseruandas à Monachis Cartusiæ S. Matiæ, & S. Stephani, cui præfuit tertius à Diuo Brunone Magister. Titulus est. *Hæc Constitutio Vitæ, & Consuetudinum Heremitarum, quam Magister Lambertus concedentibus omnibus fratribus teneri constituit in Heremo.* Vitam mortalem cum immortali commutauit hoc A. XXVI. Augusti ob morum præstantiam, et religiosissimum decessum, vt sanctus ab omnibus acclamatus. Ex paruo Chron. M.S. Calabritanæ huius Domus, & Camillo Tutino in propectu Hist. Cartusiensis ad Ann. reparationis humanæ quartum supra millesimum centesimum, & vigesimum.

1134. *Ioannes* Cartusiæ Portarum Monachus varios ad Dei obsequium Epistolis, seu breuibus opusculis, magnam pietatem redolentibus, adhortabatur, quarum præcipuæ ex M.ſ. codice Monasterij S. Augendi Iurensis, seu S. Claudij, sunt.

1. Ad Stephanum fratrem carne, & spiritu De fuga sæculi.

2. Ad Latoldum De Modo orandi.

3. Ad Hugonem De Modo orandi, ac præsertim de gratiarum actione.

4. Ad Bernardum De custodia Cordis.

5. Ad Bernardum nepotem qui de Cartusiensi ad alium Ordinem profectionem adornabat.

6. De Constantia in proposito.

Ioannis fratris excitatus monitis Stephanus, ad quem extat prima epistola, Cartusianis & ipse se adiecit, Inter quos scripsit Epistolam ad Nouitios S. Sulpitij Ord. Cisterciensis; De perseuerantia Ordinis quæ simul impressæ sunt primo Diuione Ann. 1656. cura Io: Franc. Chifflerij è soc. Iesu ex codice M.ſ. Monasterij S Augendi Iurensis, idest S. Claudij, & demum 1677. Lugd. in Bibliotheca maxima Veterum Patrum, ex cuius collectoris adnotationibus hi duo germani sunt, quorum mentio ad initium Epistolæ primæ Bernardi Prioris Portarum: *Bernardus Portarum Prior, & filij eius Ioannes de Monte Medio, & Stephanus de Chalmeto* & Ioannes item haud ab illo distinguitur, quem S. Antelmus dum Prioris munere fungeretur, simul cum Bernardo, qui senio grauis Priotatu abierat, admodum venerabatur, prout in vita, apud Surium: *Domino Bernardo præstabat reuerentiam, illum sibi anteponens. Idem erat erga religiosum Christi seruum Ioannem cui aduentanti solebat reuerenter assurgere.* Stephanus circa hæc tempora religionis ponebat rudimenta, vt enim idem ex autographis tabulis Cartusiæ Portarum eruit Richardus de Benuntia, aliquot fundos dedit Cartusiæ Portarum *in manu Domini Bernardi Prioris: Sub testimonio Monachorum eiusdem loci, Bernardi de Porta, Bosonis Procuratoris, Stephani de Calmeto adhuc Nouitij.* Datis ad tertium Nonas Maij Anno Christi. 1135.

V I.

1140. *Pontius de Balmeto* Auctor Cartusiæ Maioreui, Ep. Bellicensis, ante & post infulam humilis ibidem Cœnobita edidit M.ſ. tamen I. De æternitate. 2. De vitandis schismaticis 3. De pace concilianda. IV. De contemptu vanitatis sæculi. Ex Auctore anonymo eius vitæ.

VII.

1159. *Tundalus, alijs Tungalus*, Patria Cassellensis, vel vt alij volunt Corcagiensis sub Anno. 1159. postquam Corcagiæ per spatium trium dierum in extasim raptus, quasi mortuus iacuisset, experrectus tandem, astantibus mirandas suas apparitiones perhibebat: sunt qui de ijs libellum postea scripsisse ferunt. Cæterum ex ipsa relatione visionis apparet, Tundalum eam tantum recitasse, non scripsisse. Videtur igitur ab aliquo astante dum Tundalus recitaret, exaratat: Visionem habemus in Io. Tinmuthensis sanctilogio, & in Vincentij speculo histotiali. Extat etiam M.ſ. in publica Oxoniensi Bibliotheca, & in Bibl. Cotton. Lib. 27. cap 88. Ex Iacobo Waraeo de scriptoribus *Hiberniæ*, Lib. 1. pag. ff. Scripsit de hac Tundali visione Ioannes de Indagine, eumque, Duce Posseuino, Eytengrenio, & alijs, Cartusiensibus adscribo, nam Petreius tradit se ignorare quandonam, vel vbi huius militiæ insignia induerit.

VIII.

1160. *Ioannes Hispanus.* Repausatorij primus Antistes Monialibus prati Baionis Constitutiones concinnauit ad quarum præscriptum acceptabilem Deo famulatum impenderent. Ex vitæ Compendio. Desideratus est. A. 1160. vitæ 37. Religionis 20.

IX.

1255. *Martinus de Lauduno, Picardus*, Rector Cartusiæ Vallis S. Petri, unicum peperit fœtum, sed inter spiritualia opuscula Phœnicem. *Is est Epistola parænetica sui capita undeviginti diligenti admirabili studio, ac artificio ex meris sacræ scripturæ verbis contexta ad N. Nouitium*, laxiorem Ordinem, è quo ad Cartusienses defecerat, repetere cogitantem. Prodijt Lutetiæ An. 1506. ab Ascetis Vallis-Viridis nuncupata R. P. Primatio, seu Priori Generali Cartusiæ. An. 1534. recusa fuit Coloniæ typis Melchioris Nouesiani vnà cum operibus Dionysij Cartusiani. Ibid. 1607. cum notis Petrei. 1646. Parisiis in 12, à Georgio Iosse typographo inscripta P. Augustino Ioyeulx Priori, & Monachis Regij iuxta Parisios Vallis-Viridis cœnobij 1656 Lodani cura D. Bernardi Rubei in Monasterio Vallis-Pisij Nouitijs Præfecti, sumptibus Io: Thomæ Rubei impressoris Demum 1677. Lugduni, Tomo 27 Bibliothecæ Maximæ veterum SS. Patrum. Auctor degebat inter mortales Petreio, Posseuino, alijsque ætate incerta, sed Garnefelt Orbis restituti Seculo tertio decimo, annoque quinquagesimo quinto.

X.

1300. *Hubertinus de Casali ex* Ord. Min. ad Cartusianos transiens, austeriorem viuendi rationem amplexus est. Promulgauit 4. volumina, quæ sunt.

1. *De septem statibus Ecclesiæ iuxta septem visiones, quæ leguntur in Apocalypsi.* Venet. 1515. in fol.

2. *Arbor Vitæ Crucifixæ*. lib 5. Ven. 1485 Italico eloquio datur à Fr. Laurentio à Foiano, & nuncupatur D. Magdalenæ Centelles, Gandiæ Ducissæ A. 1564. Fulginij per Augustinum Colaldi in 4.

3. *Tractatus de altissima Paupertate Christi & Apostolorum eius.* MS in Biblioth. Imperiali Viennæ.

4. *Sermones, & Epistolæ in Mag. Sententiarum.*

Tertium Tractatum de altissima Paupertate Christi addit Rossotus in Biblioth. Scriptorum Pedemontij, qui etiam cum Trithemio explanat, quo sano modo intelligendæ sint mysticæ aliquot locutiones, vsurpatæ in Arbore vitæ Crucifixæ, præcipuè in explicatione Cantici, *Nunc dimittis*, videnturque Gersoni, & Sixto Senensi lib. 4. cautè legendæ. Vixit circa hunc An. 1300. sub Alberto Cæsare. De eo præter supradictos Gesnerus, Britius, Ioannes Lelandus, Ab Ecclesia Ep. Salutiarum, Georgius Draudius qui perperam duos censet esse, alium Hubertinum de Casali Ordinem Min. alium verò Vbertinum Casalensem Ord. Cartusiensis. Posseuinus eum vocat de Casoli, sed vitio tribuendo incuriæ typographorum. Waddingo in Atheneo Minoritano floruit 1325. impetrauitque migrationem ad Benedictinos primò, & demum ad Cartus. vexationum impatiens, quibus, à consodalibus, coniuente Ioanne XXII. Pont. Max, affligebatur, vir disciplinæ regularis acer, sed indiscretus propugnator.

XI.

1315. *Guillelmus Patria Eporediensis; seu Hypperegiensis* (ea ciuitas est in Pedemontio ad Duriam Balthéam) post Annum trigesimum professionis in Ordine Prædicatorum, stabilitatem suam iuerauit inter Cartusienses, strenuèque impleuit per Annos tres & viginti, quibus reliquum vitæ absoluit. In Cathedris, & Suggestis Dominicanorum Scholasticos, & Ecclesiastes inter primos, solitaria cella reclusus, haud impigrè tempus terebat, quippe qui concinnauerit.

1. *De Origine, & veritate perfectæ Religionis*;

2. *Apologiam pro Ordine Cartusiensi.*

Æuum desideratum à Petreio, & Rossoto indicant Theophilus Raynaudus, & Comes

Comes Manzinus in suis ad virtutem Incentiuis, seu Gestis Diui Brunonis, editis Bononiæ, ijs enim uiuebat 1313: & 1315.

XII.

1315. *Porchettus, alijs Prochettus Saluagus, seu Seluaticus*, Genuensis, Religionis Catholicæ studio præstantissimus, Hebraicæ linguæ professor, & in scripturis diuinis versatissimus adHebræorũ contendendam proteruiam opus elucubrauit, quod Augustinus Iustinianus Nebiensis Episcopus 1520. ducentis fermè post Annis Parisiensibus typis consignauit, sub inscriptione: *Victoria Porchetti aduersus impios Hebraeos*, Parisijs. Scripsit etiam *De sanctissima Virgine Maria*, & *De entibus trinis & unis* contra eosdem, quæ Ms habentur apud Patres Prædicatores eiusdẽ Ciuitatis. Commendatur Porchettus a Bartholomæo Paschetto de Pulcritudine Genuæ, Augustino in Annalibus, Ghellino in Theatro; Vberto Foglietta in Elogijs, Augustino Schiaffino in Hist. Ecclesiastica, Posseuino, Gesnero, Mattaccio, Raphaele Soprano, Augustino Oldoino, & nostro D. Iulio Bartoloccio Abbate in Additione ad Bibl. magnam Rabbinicam.

XIII.

1320 *Theobaldus Anglus*, cuius apud Pitseum legitur. *Perueluit labore infatigabili sacra Biblia, legitque Vitas sanctorum primitiuæ post Christum Ecclesiæ, scrutatusque est historias Ecclesiasticas sequentium ætatum: collegit denique, & in unum volumen redegit omnium pene sanctorum hominum res præclarè gestas ab initio mundi vsque ad suum tempus. Operique titulum dedit.*

1. *De Progessu sanctorum Patrum*, lib. 1.

2. *De vita Contemplatiua*, lib. 1.

Assertæ salutis Seculum quartum decimum sacræ historiæ peritia, illustrabat.

XIV.

1320. *Trusianus Valerius*, Perperam ab alijs Cursianus, siue Drusianus, vel Torrigianus dictus Thadæi celeberrimi Medici Auditor insignis, qui non modo, Philosophiam omnem, sed quicquid medicina continet, & docet optimè callere, & benè sapere videbatur, sed in ægris curandis (teste Tiraquellio) minus fortunatus, sæculares disciplinas in obsequium Christi conuertens, Ordinem Cartusianum professus est, in quo Rempublicam literariam præclaris adauxit monumentis.

1. *Super Auicennæ Præfationibus.*

2. *Super Tecbnem Galeni*, quem suis commentarijs adeò illustrauit, vt plusquam commentator dici, & appellari meruerit. Audiamus de eo Vgolinum inter suæ Ætatis Poetas facilè principem.

Ante omnes Trusianus adest Valeria proles
Qui veteres quicquid Medici scripsere Pelasgi
Expressit miro componens omnia nexu.

Emicuit, Trithemio 1520. Sutori 1270. Si autem, vt Michaeli Pocciancio, in elencho Scriptorum Florentinorum 1370. diem suum obijt plusq; iã centenario maior. Thadæus enim, quo Magistro profecit, is est, quem Honorius IV. lauta mercede aureorum centum in singulos dies ad se accersiuit, & confirmata valetudine aliis decem mille aureis amplissimè locupletauit.

XV.

1330. *Euerardus* Diestensis Prior elucubrauit.

1. *De Accessu, & Conuersatione cordis ad Deum.*

2. *De Origine insurgentium tentationum, & de Remedijs*

3. *Sermones aliquot.*

4. *Epistolas varias spiritualis gratiæ dulcedinem redolentes.*

5. *De interna cordis tranquillitate*, idiomate materno. Memoratur à Valerio Andreæ, in Bibliot. Belgica.

XVI.

XVI.

1330. *Nicolaus* Thuringus Professus, & Prior Domus Montis omnium Angelorum in Snals, Comitatus Tiroli, concinnauit.

1. *De Moribus Adolescentum.*

2. *Sermones, & Orationes.*

3. *Colloquium Sapientem inter, & Discipulum.*

4. *Tractatus aliquot de Passione Domini.* Ex Petreio, & Camillo Totino sub hoc Anno.

XVII.

1336. *Monachi Colonienses*, quos à condito Cœnobio exordior, volumina anonyma edidere non pauca, contenti in eorumdem calce indicasse, elucubrationes illas esse vnius ex Ascetis eiusdem Cœnobij, his verbis: *Ora pro Carthusia Coloniensi, è qua hic liber prodijt* Neque hic veniunt celebriorum in Germania Scriptorum opera MS prælo domestico huius familiæ euulgata; qualia sunt Harphij Theologia Mystica. Possent quidem nuncupari Parres librorum, quos emisere in lucem, sed eruditissimi Monachi hoc nomen potiori titulo sibi vindicant proprijs literarijs fœtibus, quorum sunt ex muliis

Additiones ad Martyrologium Vsuardi facta An. 1515, & 1521. Ioannes Maior S. I. in Notis ad magnum speculum exemplorum, exemp XIX. Tit. Confessio. Io. Molanus de Martyrologijs cap. IV.

XVIII.

1340. *Adamus Anglus* circa hæc tempora multa Ingenij laude celebris scribebat.

Vitam S. Hugonis Episcopi Lincolniensis.

2. *De patientia tribulationum*

3. *De sumptione S. Eucharistia.*

Soliloquium de Institutione Anima.

5. *Scalam Cœli attingendi.*

Soliloquium tamen de Institutione Animæ alij tribuunt Adamo Cistercienſi; Loci regij in Anglia Abbati, & Doctori Oxoniensi, qui varia contexuit, & claruit circa A. 1369. Carolus de Wisch. Dunensis Prior, in sua Bibliotheca Scriptorum Ord. Cisterciensis, inquit, scripsisse hoc opus ad Walterum Priorem, & fratres Ecclesiæ S. Andreæ in Scotia, & Epistolæ initium esse *Dominis suis, & amicis.*

Celebris huius Adami memoria in Molani notis ad Martyrologium Vsuardi die 17. 9bris; in Gesneriana Iosiæ Simleri Epitome, Pitseana Balei emendati one, Ætate 14. & Posseuini Apparatu sacro.

XIX.

1345. *Ioannes Oluéius idest de Oluéie* Insula natus, non longè à Claudioceſtria, in Diœcesi VVigorniensi, composuit libros. 5. De *Miraculis B. Virginis Maria*, præter alium *Meditationum Solitariorum* Lib. 1. Posseuino erat in viuis hoc Anno, vti & Eysengrenio. Simlero, & Pitseo Supererat adhuc 1350.

XX.

1346. Hermannus Greefgen ad S. Barbaram apud Vbios Asceta studiorum argumentum ibidem reliquit in paruo codice manu exarato, Titulo *Breue Martyrologium*. Florebat Ætate, quarta decima, Anno sexto supra quadragesimum

XXI.

1370. *Ludolphus Saxo*, olim per lustra sex Ord. Prædic. Sodalis, ad Cartusienſium instituta translatus, & in Cartusia Argentinensi receptus, ibidemque Prior, otio claustrali usus est ad animum pietate, ingeniumque Sacra literatura impensiùs excolendum.

lendum Vtriusque studij luculentissima hæc circumferuntur argumenta.

1. *Vita Domini nostri Iesu Christi* Ex quatuor Euangelistis, sanctorumque Orthodoxorum Patrum sententijs mirè connexa, ac deuotis Orationibus, & meditationibus referta.

2. *In Psalterium Expositio.* Venetijs 1521. in fol. ap. Hæredes Octauiani Scoti, Lugduni in 4. typis Frellaeorum. 1540. & Paris. 1506. ac 1528.

3. *De remedijs contra tentationes Spirituales nouissimi temporis.*

Præstat reliquis Vita Saluatoris nostri, quæ centies antea prælo iam consignata, A. 1570 prodijt Venetijs Italicè loquens, inscriptaque Pio V. Pont Max, studio Francisci Sansouini V.C. & typis Iacobi Sausouini iunioris, eodemque idiomate castigatior & auctior ibidem recusa est per Altobellum Salicatum A. 1589, vtraque vice in-folio. Sed & gallicis auribus accomodarunt ante Annos ferè centum Franciscus le Menard. O. d. Min. typis Parisiensibus, & Ioannes l'Anglois dominus de Fresnoy, in Luteriarum Senatu causarum Patronus, vbi eamdem prælo subdidit Nicolai Chesnæi A 1580 Scholijs quoque illustrata à Ioanne Dadræo Theologo Parisiensi ibidem iterum lucem aspexit in folio A. 1581. apud Guerræos fratres, & Franciscum Ziletum, aliaque editione correct... ex Typographia Valerij Bonelli An. 1587. in 4. De eo præter Historiæ Dominicanæ lum na Castillum Cent. 2. lib. 1. cap. 49; Lusitanum, in Bibl. fol. 166. Philippum Bergomensem, Trithemium, Ambrosium de Altamura, in Bibl. Dominicana pag. 113, itemque in Mantissa pag. 474. Bellarminum etiam de Scriptoribus Ecclesiasticis, Philippum Labbe Alphonsum Fernandes, Plodium, p. 2 l. 2. Sixtum Senensem, Sutorem, Petreium, Possèuinum, Bellarminum, Bzouium, Tom. xiv. A. 1357. n. xix. Hartmannus Schedelius sic, *Ludolphus Alemannus, Ordinis Cartusiensis Prior Argentinensis vir doctrina, ac morum sanctitate conspicuus, peroptimè vitam Domini nostri Iesu Christi egregio volumine, & quodam cælesti artificio, immò diuina potius reuelatione, quam studio fabricauit. In quo certè se ostendit venerabilem virum, & omnium rerum tam diuinarum, quam humanarum, & potissimum Iesu Christi vita (prout homini potuit esse possibile) plenissimam habuisse notitiam* Fr. verò Franciscus Taruisinus Ord. Carmelitarum, in Epistola ad Franciscum Sansouinum, posita in prospectu editionis Venetæ. A. 1570. qua Msceius Italicam interpretationem se percurrisse dicit, dignamque prælo suffragijs omnibus censet, ait; *si Reuerendissimis sacri Concilij Tridentini Patribus in mentem venisset, Episcopos omnes lege obstrictos procul dubio voluissent, ad eius studium vniuersis Paræciarum Rectoribus indicendum, quò facilè, aptè, extemporaneè, & lepidè breuia verba ad populum facerent.* Explanationi Vitæ Iesu Christi cohæret Paraphrasis in Psalterium, quam hoc epigrammate condecorat Iacobus Simlerus Burlacensis.

Grandia qui dulcis patrimonia sumit Iesu
Atque sacra tollit munus ab officio.
Psalmographi studeat diuina poemata vatis
Mystica Ludolphi, castaque scripta legat:
Abdita nam pandit nudis enigmata verbis
Ludolphus: memorans quidquid ubique latet.

Vitam, quam Ludouico iv. imperante piè sanctèque duxisse A. 1330. cæteri referunt scriprores, absoluit, A. 1470. teste Garnefelt in Indiculo chronologico Cartusiensium sanctitate præstantium. A. 1578. Prodijt Coloniæ Enchiridion verè aureum piarum, & Christianarum Meditationum, ac precum de vita; & passione Christi ex D. Bernardi Clareuallensis, Anselmi Cantuariensis, & huius Ludolphi Cartusiensis operibus excerptarum.

4. *Libri Sermonum aliquot perutilium* meminit solus Possèuinus, Ludolphi Cartusiensis

tusiensis nomen aureo *De Imitatione Christi* opusculo nonnumquam præfixum, error typographorum est. Enimverò cum doctas inter se manus conserere sinamus Constantinum Caietanum, Quatremarium, VValgranum, Franciscum Delfau Monachos Benedictinos, & Domnum Andream Rossotum nostræ Cisterciensis reparationis alumnum pro celebris libelli gloria vindicanda Ioanni Gersoni, non quidem Parisiensi Cancellario, sed de Canabaco, & circiter plenitudinis Christi An. 20. supra millesimum biscentesimum S. Stephani Vercellarum Abbati; Frontonem verò, Verlinum, Anonymum Auctorem Apologiæ editæ Romæ apud Tinassium 1678. Canon. Regulares, quibus iuncto agmine suppetias afferunt Heribertus Rosweidus, Hesserus, Bolandus, Theophilus Raynaudus è soc Iesu, Nauclerus, Chaneus, Chiffletius, Suaresius, Abbas Barlensis, & alij pro eodem Thomæ a Campis genuino partu comprobando; cunctandum est quis eorum causa excidat, nec tertia iam acies instituenda pro Ludolpho, bella procul dubiò inituri nullos habitura triumphos.

XXII.

1400. *Nicolaus Clemengius*, siue vt alij volunt *Clemengis* Gallus à nonnullis Cartusiensibus aggregatus, scripsit de *Laude & fructu Vitæ solitariæ*, & alia in Indice Romano prohibita. Petreius negat eum vnquam sub Brunone stipendia fecisse. Simlerus in Epitome Canon. Baiocensem vocat, quo dimisso adhæsisse Cartusiensibus alij referunt.

XXIII.

1400. *Vernerus, seu Guernerus* Monachus Cartusiæ Parisiensis collegit, ac digessit ex omnibus scriptis Gregorij Magni libros 16 De allegoricis typis nominum, ac rerum omnium in sacris literis contentarū, eosque *Enucleamenta Biblia* inscripsit. Auctor viuebat An 1400. Opus verò impressum est Parisijs A. 1518 apud Petrum Gromorscium. A Posseuino dicitur Guernerus Cartusianus, Cœnobij S. Victoris Parisiensis, quare Petreius censet à Victorinis migrasse ad suum ordinem.

1400. *Guernerus* itidem Cartusianus edidit De *Venerabili sacramento Eucharistiæ ac De Missarum valore lib* paucis cartis excusum Coloniæ apud Petrum Quintelū A. 1535. vnà cum Algero de Eucaristia, cuius Auctoris alia opuscula se euulgaturum promittebat Typographus. Fuerit nec ne vnus tantùm Guernerus, cuius posthuma opera lucem aspexerint, aut duo, non satis dilucidè patet. Posseuinus eos distinguit, ego nihil definio.

XXIV.

1403. *Ioannes Rode, patria Hamburgensis*, professus Cartusiæ Hortus B. Mariæ prope Pragam, tres scripsit notabiles Epistolas, aut veriùs libellos ad quosdam Ecclesiæ Prælatos, nec non & studiosos quosdam Hamburgenses. Prioris Epistolæ initium est. *Discreto Viro, multa bonitate pollenti D. Henrico Oeman Ecclesiæ Nortum Canonico; Ioannes Rode de Hamburch, Monachus inutilis Ord Cartusiensis prope Pragam*, & Ms in Biblioth: Coloniensi Ord. Cartusiani. Alius fuit à Ioanne de Rode, siue Rhodio, quem Index Romanus inter Auctores in prima classe damnatos recenset, Lutheranum nimirum, Theologum licet, & Philosophum; qui Seculi nostræ salutis sexti decimi, Annum circiter Octuagesimum secundum Latinè, & Germanicè scribebat. Vide seriem librorum expurgandorum, & prohibitorum Antonij à Soto Maior Generalis Hispaniarum, Siciliæ, & Indiarum Inquisitoris iussu recognitum pag. 646. Classe 1.

XXV.

1407. *Ioannes Meskirchius* professus Boni lapidis in Ducatu Wittembergensi elimauit.

1. *De Vita, & honestate Clericorum.* lib. 1.

2. *Lauacrum conscientiarum omnium sacerdotum lib.* 1. Quæ MS. aduersantur in Domo Buxiæ. Camillus Tutinus, inquit, scripsisse de *Passione Domini, dum in Cartusia Vltraiectina vitam studiosè transigeret.* Clarebat hoc tempore quinquagenarius in Ordine, nomenque suum dignum fecit, quod recenseretur à Petreio, in Bib. Cart; & à Camillo Tutino, in Prospectu Hist. eiusd Ord.

XXVI.

1408. *Henricus Kalcar*, cognomento Æger, ex Cliuiæ Ducatu oriundus, ante professionem Theologus Parisiensis, & Coloniæ ad D. Georgium Canonicus, Cartusiensis factus prudentia, eruditione, cum religiosæ vitæ austeritate radiauit. Quos in Ordine labores exantlauerit, ipsemet in quadam Epistola hisce testatur verbis. *Primo quidem indignus fui Prior in Domo Arnhemensi per annos quinque. Postea vero Rector præfui per totidem plus minus Annos Domui Ruræmundanæ. Inde verò Prior Coloniæ septem Annis. Denique Argentinæ annis bis senis: ac per annos viginti Prouinciæ huius Visitator. Quinquies insuper fui Deffinitor in Capitulo Generali, & ternos ibidem, diuersis temporibus, sermones ad Patres habui. Visitaui etiam uno Anno Picardiam, Galliam, & Alemaniam inferiorem. Et aliquando Visitator Pragæ in Bohemia, & Brunæ in Morania.* Probatam vitam suo loco dabimus, interim operum MS. in Cartusia Coloniensi seriem præmittimus.

1. *De Ortu, ac progressu Ordinis Cartusiensis.*
2. *Loquagium de Rhetorica*, lib. 1.
3. *Cantuagium de Musica*, lib. 1.
4. *De continentijs, & distinctione Scientiarum.*
5. *Epistolæ variæ ad diuersos.*
6. *Sermones Capitulares, breues.*
7. *Scala Spiritualis exercitij per modum orationis.*
8 *De Holocausto quotidiano spiritualis exercitij.*
9. *Liber exortationis ad Petrum quemdam Cartusiæ Confluentinæ religiosum.*
10. *Psalterium, alijs Rosarium B. Virginis, 150. dictiones continens*, editum à Petreio
11. *Modus faciendi collationes more Cartusiano.*

Obijt octogenarius, quadragesimo tertio post ingressum in Ordinem Anno, reparatæ salutis 1408. non 1448. quemadmodum habet Valerius Andreæ. Mentionem de eo faciunt Bostius Carmelita, Petrus Sutor; Seueertius, in Athenis Belgicis, Miræus, cap 456. Auctuar; Valerius Andreæ, vel Andreas, vtroque enim modo usurpatur; Iosias Simlerus, in epitome Gesneriana, Gerardus Io Vossius.

XXVII.

1410, *Adrianus N.* professus Montis S. Gertrudis in Holandia diuinis humanisque literis, si quis alius, apprimè insignis, S. Theologiæ Doctor egregius emiiit, præter alia, quæ deperiere, librum *De utriusque fortunæ remedijs*, cusum Coloniæ Agrippinæ apud Arnoldum Hornium A. 1471. & Louanij apud Ioan. de Westphalia. Viuebat eodem tempore, locum postea nactus in Valerij Andreę Bibl. Belgica, necnon & in Indice Script. Belgo-cartus. Auct. Arnoldo Raissio.

XXVIII.

1410 *Henricus de Cosueldia*, alijs Coesfeidia, Monasteriensi in Diœcesi, ditione verò Westphalica oriundus; Prior II. Domus S. Mariæ prope Montem S. Gertrudis, elucubrauit varios tractatus.

1 *In Exodum mysticé.*
2. *In Epist. D. Pauli ad Romanos.*
3. *De tribus votis substantialibus*, MS. Louanij apud Martinianos, Tun-

gris

gris similiter apud Regulares, & apud Camberonenses in Hannonia.

4. *Contra Vitium proprietatis.*

5. *De Institutione Novitiorum* MS. olim in Cartusijs Gandauensi, Diestensi, & Antuerpiensi,

6. *De sacramento Altaris*, de quo Bunderius, MS. in Cœnobijs præfatis.

7. *De Annunciatione Dominica.*

8. *Eulogium Diui Pauli Eremitæ.*

9. *Sermones de Tempore, & de sanctis*, reperiuntur in Cartusijs Brugensi, & Lyrana.

10. *De tribus custodijs Monasteriis.*

11. *De sanctissimo Altaris sacramento, iterum.*

12. *Circumcisorium mysticum.*

13. *Epistolas ad diuersos.*

14 *Sermones Capitulares.*

15. *Epitome Operis de Vniuerso* A. Guillelmo Parisien. MS in Cartusia Lyrana.

Henricum summis, suæque virtutis æqualibus concelebrant laudibus Sixtus Senensis, Eysengrenius, Trithemius, Bostius, Sanderus, Flandriæ illustratæ Tom. 1 cap. V, Valerius Andreæ; Petrus d'VVallius, in syllabo Visitat. Teutoniæ, Iosias Simlerus; in primis Arnoldus Raissius, in Auctuario ad Natales Sanctorum Belgij, septimo Idus Iulij præclaro illum encomio extollens. *Vir in scripturis sacris studiosus, & eruditus, vita, & conuersatione deuotus, & magna fama, ingenio subtilis, & clarus eloquio, declamator quoque sermonum celeberrimus: qui cum Visitationis actis in domo Vallis-gratia salubriter intenderet, anno à Virgine partente* 1410. *ad Coelos abijt VII. Id Iulij.*

XXIX.

1412. *Henricus de Piro, alijs Henricus Brunonis Coloniensis*, acerrimi vir ingenij, in nascenti Treuirensi gymnasio S. T. Professor, non tamen primus, vt Valerius Andreæ Theodoricum Loerium arguit. In Concilio Constantiensi Promotoris munere functus, laboriosissimas partes sustinuit, vt singula pene acta prodit, qui illustribus doctrinæ, atque scientiæ editis monumentis, Cartusianum deinde vitæ genus secutus, aliquot Cœnobijs immortali cum laude præfuit; Coloniensi, Treuirensi, Rutilensi, Diestensi, ac Leodiensi. Humanitatem Centenario proximus exuit, Trithemio enim, vti et Petreio, vitali aura fruebatur adhuc An. 1470. Vigiliæ, quas ei debet literarius Orbis, sunt.

1. *In institutа Iustiniani lib. 4.*

2. *Ad Nouitios lib. 1.*

3. *Consilia ad diuersos casus.*

4. *Excerpta è Malagranato, cum nonnullis adiunctis.*

5. *Sermones de Tempore.*

6. *Sermones de Sanctis.*

7. *Responsionum ad quæstiones Prioris Basileensis* M S. penes Cart. Coloniensem.

8. *De Contractu annui census cum pacto redimendi.* Celebris eius memoria apud Valerium Andreæ, Seuecrtium, Iosiam Simlerum, Trithemium; Christophorum Brouuerium Annal. Treuirens. Tom. II. Ann. 1412. Posseuinum, & Bostium.

XXX.

1414. *Erasmus N.* professus Cart. Friburgensis concinnauit.

1. *Dulce obsequium Genitricis Dei Mariæ.*

2. *Paranymphum Beatæ Mariæ.*

3. *Dulce obsequium nostri Redemptoris.*

4. *Cameram Christi.*

5. *Sermones super Oratione Dominica.*

6. *De Christi Passione*.
7. *De modo orandi*.
8. *Fasciculum Mirrhæ*.

Herbipolensis Cartusiæ Monachi referunt eum floruisse, Anno post Christum natum 1414.

XXXI.

1417. *Gosuuinus de B. ka* in sæculo I. V. D eximius, in Ordine Prior Gandensis, & subinde S. Trinitatis iuxta Diuionem, Inspector insuper Prouinciæ Teutoniæ, inter cætera edidit.

1. *De iure Canonico Lib. omni doctrina refertos*.
2. *Sermones, & Epistolas multas*. Totidem suggerunt, exhibentque Nomenclatores Scriptorum Belgij, & contextor Elenchi Visitatorum Prouinciæ Teutoniæ. Diem fatalem clausit 1417. alijs 1420.

XXXII.

1417. *Henricus Coechius scripsit de Reformatione Monialium* Lib. manu exaratum. Recenſetur à Io: Bunderio in Catalogo Lib. M. S. in Belgio.

XXXIII.

1417. *Nicolaus Albergatus* vide inter Episcopos.

XXXIV.

1424. *B. Stephanus Maconus Senensis* in S. Catharinam Virginem conciuem magna feruens deuotione eius vitam descripsit, quam postea auctiorem publici iuris fecit Raymundus à vineis ex Ord. Prædicatorum. Magnam quoque Dialogorum partem inter Christum, & hanc Seraphicam eius Sponsam, quibus ipse eiusdem Catharinæ olim Amanuensis interfuerat, suisque exceptos auribus conscripserat, prælo tradidit. Bartholomæus Senensis in eius vita, Fasti Senenses in eius Elogio, Bostius Carmelita, & Petrus Sutor.

XXXV.

1427. *Guido de Pinis* professus Bononiensis elucubrabat Tractatum *De electione Prioris*. Petreio erat in viuis Anno 1427. ad quæ tempora senium protraxit ab Anno mill. trecent. sept. secundo, si ad mentem D. Seueri à Neapoli committendus Guidoni, qui ex Vicario præfatæ Bononiensis familiç, primus in Cartusia Romana tunc recenter absoluta, Priorem egit.

XXXVI.

1428. *Hermannus Petra, seu Petri de Susdorp* per Annos triginta, aut circiter Rectoris Monialium Brugensium onus sustinens, haud sine magnis laboribus easdem in via Dei direxit, quo etiam tempore ad earum, Orbisque totius vtilitatem elaborauit.

1. *De Regimine Monialium* Lib. 1.
2. *Sermones de Tempore* Lib. 6.
3. *De Immaculata Conceptione B. Mariæ* Lib. 1.
4. *Super Orationem Dominicam Sermones quinquaginta* Stylo Scholastico, & idiomate Flandrico, excusos Aldenardæ 1480. apud Ioannem Cęsarem, & Louanij 1484. typ. Io: de Westphalia.

Tandem verò vitam bonam nono Kal. Maij fine beato felicissimè conclusit An. christianæ salutis non duodecimo, ita enim in Bibl. Theol. M S. incautè Molanus, verùm octauo, & vigesimo post mille quadringentos. Quem Eysengrenius, Sixtus Senensis; Arnoldus Raissius, in Auct. Molani; Sanderus, in Additionibus ad Tom. 1. Flandriæ illustratæ pag. 62. Valerius Andreæ, Seueertius, Conradus Gesnerus doctis suæ Ætatis viris accensent.

XXXVII.

1428. *Henricus de Hassia* S. Theologiæ licentiatus, publicus ante ingressum in Ordinem diuersarum Academiarum Professor, luculentus sacræ paginæ interpres, Prior B. Mariæ in Gelria prope Arnhemium commentatus est

1. *Magistrum sententiarum.*

2. *Genesim.*

3. *Exodum.*

4. *Prouerbia salomonis.*

5. *Apocalypsim Ioannis.*

6. *Scripsit Dialogum inter Episcopum , & Presbyterum.*

7. *Sermones complures ad populum olim habitos.*

8. *Regulas ad noscendum discrimen inter peccatum mortale , & veniale* , vnà cum B. Antonini opere de Eruditione Confessariorum A. millesimo quadring. octuag. tertio publicatas. Mirçus Auctuarij cap. 431. ei vindicat Tractatus *De contractibus & Ordine censuum* , nec non & *De secretis sacerdotum* : imp. Dauentriæ, & alibi. Simlerus, Georgius Purbachius, Posseuinus adijciunt *Disceptationes contra fratres mendicantes super immaculata conceptione B. Mariæ* , *Theoric Planetarum* , *De Ecclesiæ clauibus ac Indulgentijs*. Verùm hæc censenda potius excidisse è calamo alterius Henrici Langesteim de Hassia dicti, Eremitarum Diui Augustini sodalis, viri ingenij præstantia paucis æquandi , quem ex claustris Augustinianis abductum , Brunonis cucullum haud facilè cum Bozio De signis Ecclesiæ, lib ix; signo 37., cap. xi. in fine induam.

Supremam obijt diem apud notis omnibus magnificentiæ splendidissimum Arnhemij Asceterium , Anno millesimo quadringentesimo vnderrigesimo. Qui Henricus de Hassia excessit Viennæ Seculo huic superiori , Annoque septimo decimo iuxta Eysengrenium fuit tertius eiusdem Iam nominis , ac agnominis Canonicus Wormatiensis ; literarum præstantia & ipse florentissimus , nunquam familiæ Cartusianæ accensitus, licet Eysengrenius oppositum teneat, forsan autem abdicato Canonicatu Eremitanorum collega, idemque supra laudatus. Quam sententiam cum tueantur clarissimi domesticæ Chronologiæ elucidatores Ioseph Pamphilius Episcopus Signinus Chron : Ordinis pag. 71. ad A. 1400. Cruss. p. 3. cap. 22. Philippus Elssius Encomiasticon pag. 273. Herrera In Alphabeto, respondeant : Quomodo deuixerit Æui ab Apparitione Messiæ quarti decimi A septimo supra decem is, quem floruisse contestantur sub exordium posterioris Ætatis, immo in ipso limine Anni 1400, ad regimen Accademiæ Viennensis accitum.

XXXVIII.

1433. *Gualteri Hyltoni Angli* Sacræ Theologiæ Doctoris è calamo emanarunt Tractatus.

1. *De Origine Religionis.* lib. 1. Mss. Oxonij in Colleg. Magd. itemq: in Luleiano.

2. *De Vtilitate eiusdem.* lib. 1.

3. *De Prærogatiua Religionis.* lib. 1. Mss. Oxonij. in Coll. Mertonensi.

4. *De Consolatione in tentationibus.* lib. 1.

5. *de remedijs contra tentationes carnis.* lib. 1. Mss. in Rubeo claustro

6. *Baculus Contemplationis.* lib 1.

7. *Stata Spiritualis.* lib. 1. Mss. Oxonij in Coll. Magdalensi

8. *De communi Vita ad Laicum.* lib. 1.

9. *De Ascensionibus spiritualibus.* lib. 1.

10. *Pro sacris imaginibus.* lib. 1. Mss. Oxonij in Coll. Lincolniensi

11. *De idolo Cordis.* lib. 1.

12. *De Ecclesiastica Musica*. lib. 1.

13. *De contemplatione Anglicè*. lib. 1. MS. in Coll. S Bened. Cantabrigæ.

14. *De Castitate, & Munditia sacerdotum*. lib. 1. MS. Gandaui apud PP. Prædicatores, & in Isaacensi Abbatia.

15. *De modo sanctè viuendi* lib. 1. MS. Zutphaniæ apud Minores, & alia non pauca, quæ MS. euoluuntur Oxonij in Biblioth. publica

Ferunt mortalem fuisse sub Henrico IV. Anglorum Rege, licet non exprimant in qua Cartusia vixerit. Laudatur à Pitseo, & Baleo de scriptoribus Angliæ, Bunderio in Syllabo lib. MS. per Belgium, Posseuino in Apparatu, & à Conrado Gesnero.

XXXIX.

1439. *Ioannes Institor, alij Institutor*, natione Germanus, alumnus Cartusiæ Buxlanæ prope Memmingham scripsit.

1. *De Obiectionibus Biblia* librum in 8. Claruit A. 1439. *Petreius*.

XL.

1439 *Ioannes Rode* professus Cart. Treuirensis, vir fuit in diebus suis potens opere & sermone. In lyceo Heidelbergensi S. Theologiæ Baccalaureus, & Canonum licentiatus, doctissimus euasit. Factus deinde Metensis Ecclesiæ Canonicus, & S. Simeonis apud Treuiros Diaconus, ac Curiæ eiusdem Officialis, omnia pro Christi amore contemnens, Ordinem Cartusiensem extra Treuerim, cunctis mirantibus, intrauit. Post aliquot annos Prior constitutus, muneri suo egregiè satisfecit. Ab Ottone Archiepiscopo Treuirensi ad regimen Abbatiæ S. Matthiæ Ord. Benedictinorum, & ad reformanda multa suæ Diœcesis Monasteria adhibitus est. Iussu quoque Concilij Basileensis, per Agrippinensem, Treuericam, Moguntinam, Nemetum, Vangionumque Diœceses in collapsa Monasticæ vitæ disciplina instauranda, labores incredibiles hausit Monachi Benedictini per Germaniam, eo Auctore, in vnam Busfeldensem Congregationem coaluere, pro quorum reformatione Scripsit.

1. *Constitutiones vtiles*, quarum initium est, *cum diuinum Officium cui &c.*

2. *De qualitate Abbatis*. lib. 1, *Incip. Quoniam ab alto procedit omnis*. A. 1439. Kalendis Decembris spiritum liquit in Oppido Montaborino trans Rhenum, Diœcesis Argentoratensis, cum præfuisset Abbatiæ S. Matthiæ Annos circiter 20. vel vt Bruschius putat Octodecim, in qua etiam sepultus est ante Aram Diui Stephani Protomartyris, appositis ad tumulum his carminibus.

Hic iacet in tumba vas Ordinis alta columna
Abbas donatus, Ioannes Rode vocatus
Collectis membris primo Succumbo Decembris
Trigesimo nono C. quater M. quoque solo.

Summis attollitur præconiis à Trithemio, lib. 2. De Viris ill. Ord. S. Bened, cap. xl.; Christoph. Brouuerio, In Ann. Treuir. ad A. 1439; L. Bruschio, Centuria 1. mon. Germ.; Bucellino, Germaniæ Sacræ P. II. p. 59.

XLI.

1439. *Ioannes Teneramundanus*, Prior Cartusiæ Siliniacensis non inferior moribus, quam literis, hæc monumenta posteris consignauit.

1. *De notitia Dei*. lib. 1.
2. *De reparatione lapsi*. lib. 1.
3. *De Gaudio Hominis*. lib. 1.
4. *De Fide Christiana*. lib. 1.
5. *De Conceptione B. Mariæ*. lib. 1.
6. *De Natura, & lapsu Hominis*. lib. 1.

7. De

7. *De Amore Dei.* lib. 1.

8. *De Sacramento Altaris.* lib. 1.

9. *De honore Dei lib.* Eius memoriam perpetuarunt Trithemius, Posseuinus, Bibliotheca Mariana, Renatus Choppinus, Valerius Andreæ, Sanderus de viris Illustribus Ciuitatis Tenetæmundæ, Suueertius, Raissius, cui abijt ad meliores Sedes A. 1488.

XLII.

1440. *Ioannes Diuitis, siue Richius* Asceta Gandensis, vir ut eximia vitæ Sanctimonia, sic & præstanti excellens doctrina, scripsit, minimè tamen publici iuris fecit.

1. *De Indulgentijs Anni Iubilai.*

2. *De esu carnium pro omnibus Religiosis.*

3. *De participatione Missarum.*

4. *De confessione Sacramentali.*

5. *Dialogum mellifluum tentatum inter & consolatorem.*

6. *Sermones capitulares.*

7. *De virginitate* Lingua vernacula.

8. *De proprietate in Religione vitanda.*

9. *Quo pacto Sæcularibus non semper prosint libri Sacræ Scripturæ materno idiomate translata.*

10. *Libri diuersarum adhortationum*

11. *Conciones aliquot.* Annus emortualis Raissio in Syllabo Scriptorum Cart. Prou. Flandro Belgicæ fuit 1440. Verùm Valerio Andreæ & Petreio, non in Bibl. Cartusiana, vbi cum Bostio, Trithemio, Surore, & Posseuino illum se ignorare prodit, sed in mantissa ad eamd. Bibl. fuit Messiæ nati Ætate decima quinta, Anno verò septuagesimo.

XLIII.

1440. *Henricus Arnoldus natione Saxo*, in Concilio Basileensi Notariatus officio egregiè functus, postea Institutioni Cartusianæ in Basileensi ipsa Cartusia addictus, literarijs vacauit laboribus, quemadmodum subnexa opuscula ab ipso elaborata contestantur.

1. *De Conceptione immaculata Virginis Mariæ.* Tractat. 1. prodijt Antuerpiæ in 4. A 1527.

2. *De Nouitiorum instructione.* Tractat. 1.

3. *De Commendatione charitatis.* Tractat. 1.

4. *De Sancta humilitate, sub forma orationis.* Tractat. 1.

5. *Iterum de humilitate.*

6. *Meditationes de Vita Christi.*

7. *Concordantia Euangelistarum de Passione Domini.* lib. 1.

8. *Varia de diuersis Sanctis Orationes.* lib. 1.

9. *Sermones plures.* lib. 1.

10. *Historia de diuersis Sanctis*

11. *Dialogus triplex, vnus scilicet inter Iesum, & Mariam, alter de exercitijs, tertius de Cruce.*

12. *Item Chronicon Cartusiæ Basileensis.* Cæterùm Sixtus Senensis, inquit, vixisse Anno 1440. Trithemius obijsse asserit 1487. Renatus Choppinus, Monasticorum lib. II. pag. 225. 1490. De eo præterea Gerardus Io: Vossius, in Commentario de Hist. Latinis.

XLIV.

1440. *Henricus Reicher Cart.* Herbipolensis alumnus, hoc Anno viuens, ad imitationem

tionem Harphij ac Ruessembrocch'j, quem huius Institutionis professorem euulgare Bozio Lib. De IX. signis Ecclesiæ cap. XI. in fine per errorem obrepsit, tria volumina de mystica Theologia prælo consignauit. Supersunt Tractatus.

1. *De via purgatiua, illuminatiua, & unitiua.*
2. *De Mandato Sacerdotum.*
3. *Eodem Themate, sed alio modo* ad quemdam Canonicum Haugens, Herbipoli extra muros.
4. *Exhortatio ad nouiter electum Priorem Cartusiæ in Grunaw.*
5. *Compendium breue de Animæ renouatione, seu Spiritualis Templi constructione.*
6. *De Sacramento Confessionis.*
7. *Breuiloquium.*

Altum de eo silentium apud omnes præter vnum Theodorum Petreium.

XLV.

1443. *Gerardus Stredamius, siue Stredam*, Bostius legit *Schedam*, scripsit opuscula nuncupata ad Abbatem Geraldi Montis, & Mss. ferè omnia Lugduni Batauorum.

1. *De cura Pastorali.*
2. *De septem Sacramentis*. lib. 1. olim Mss. apud Guillelmitas Alostanos.
3. *Dialog. de virtutibus*. lib. 1.
4. *Dialog. de vitys*. lib. 1.
5. *Sermones de Tempore, & Sanctis.*
6. *De decem præceptis*. lib. 1.
7. *Speculum Religiosorum*. lib. 1.

Appositus est ad Patrum cineres in Cartusia Syluæ S. Martini, quam rexerat, antequam præficeretur Domibus Montis S. Gertrudis, & SS. Apostolorum apud Eburones. Agunt de eo Molanus, Posseuinus, Valerius Andreæ, Bostius, Index Scriptorum Belgo Cartus. Trithemius, & Conradus Gesnerus.

XLVI.

1446. *Bartholomæus* Traiecto ad Mosam oriundus, Ruræmundanæ Cartusiæ Prior, Prouinciæ Belgicæ Inuisor, ante ingressum in Ordinem Heidelbergæ publicus S. Theologiæ professor, & Academiæ Rector, literarum monumentis consignauit.

1. De *Passionibus Animæ.*
2. De *virtutibus.*
3. *De septem peccatis capitalibus.*
4. De *oratione.*
5. De *oratione longa, & deuota Tractatus aliquot.*
6. *Tractat. excitantem ad deuotè celebrandum.*
7. *De Excellentijs Beatæ Mariæ Virginis.*
8. *De Humilitate.*
9. *De omnibus Sanctis.*
10. *De Fraterna correctione*, Posseuinus ait, *De Proclamationibus Fratrum*. lib. 1.
11. *Instructionem, quo pacto religiosus in publicis se habere tractatibus debeat.*
12. *Lib. Collectaneorum ex diuersis Sanctorum dictis.*
13. *De auctoritate Concilij supra Papam*. lib. 1.
14. *Sermones septem vtilissimos de obedientia, humilitate, dilectione, pœnitentia, oratione.*
15. *De laudibus Religiosorum, obseruationeque silentij.*
16. De *non esu Carnium apud Cistercienses.*
17. *Summam vitiorum*. lib. 1.

18. De

18. De *Iudicijs temerarijs*. lib. 1.

19. De *iuramento* lib. 1.

20. De *consolatione Nouitiorum*. Dialog.

21. De *voto*.

22. Exercitum deuotionis. Omnia Mſ. penes Cartuſiam Colonienſem. Poſſeuinus addit 21. *De voto*, & 22. *Exercitium deuotionis* forſam eadem cum præfatis, alijs licet ſub titulis, nam Tractatum de non eſu Carnium apud Ciſtercienſes, abſolutè inſcribit De abſtinentia Carnium Moribus eque pollens ac eruditione recenſetur ab Arnoldo Raiſſio in faſtis Belgicis Molano adauctis. Deceſſit 4. Io. Iulij 1446. Coloniæ. Eius memoria apud Valerium Andreæ, Suueertium; Ludouicum Iacob à S. Carolo, Bibl. Pontif. lib. 2. pag. 277. Bozium, lib. IX. cap. X. Raiſſium præfatum in Orig Cart. Belgij.

XLVII.

1446. *Petrus Iuliacenſis*, profeſſus Domus Buxiæ Scripſit

1. *De æquatione Planetarum*.

2. *De Arte Virgulandi Vaſa*.

3. *De Paſſionibus Animæ*.

4. *De Virtutibus*.

5. De *ſeptem peccatis*. Annis quinquaginta quinque Monachum laudabiliter admodum egit, 1445 elatus ad tumulum.

XLVIII.

1449. *Albertus Arnhemius* Belga, cognomento Kiuet, profeſſus Cart. VVeſalienſis, contexuit *Referendarium Exemplorum* duobus voluminibus, & ſeptem tractatibus diſtinctum, Mſ. apud Cruciferos Ruremundenſes. Ad Æternitatem ſe ſe composuit An. 1449. die XVII. Maij. Ætatis LXXX., profeſſionis LX; Alius ab Alberto Arnhemio, de quo Dorlandus, Lib. IV. Chron., cap. XIII. Voſſius, de Hiſtor. Latinis, Valerius Andreæ, Suueertius.

XLIX.

1459. *Martinus de Sebiedam* Batauus, Inſtitutionibus ſacri huius Cœtus addictus in Mon. S. Saluatoris, ſecus Vltraiectum, ſcripſit Tractatum. De *Spiritualibus Aſcenſionibus* Incip *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te*. Extat Vltraiecti in Bibliotheca publica, Auctor humanis abſolutus eſt Anno CIƆCCCCL. Kal. Martijs. Collectores Athenarum Belgicarum, & Cartuſienſium omnes.

L.

1450. *Oſvualdus Anglus*, omni eruditionis genere excellens hoc tempore literis conſignabat.

1. *Meditationum Solitariarum* Lib. 1.

2. De *remedijs tentationum*. Lib. 1.

3. *Pomiterium* Lib. 1. Mſ. Cantabrigæ in Coll. S. Benedicti.

4. *Epiſtolarum maximè ad Gerſonem*. Lib. 1.

5. *Verſionem aliquot è Gerſonis operum è Gallico in Latinum*.

In hac traductione elaborauit grati animi ergo. Dum enim adoleſcens ſtudiorum cauſa Pariſijs ageret, intima familiaritate cum Gerſone contracta, ab eo didicit Mundum abijcere, & nouum vitæ regimen inſtituere Præfuit Cartuſiæ à Iacobo I. Scotorum Rege in Suburbio Pairhi Ordini poſitæ. Ex Poſſeuino, Pitſeo, Hectore Boetio, & Simlero cum Raiſſio, Petro Sutore, ac Theodoro Petreio, qui contra omnium ſententiam duos Oſvualdos ponit; vnum Auctorem operum quæ recenſuimus; alterum, cognomento *de corda*, ex Vicario Cartuſiæ Matricis primum Vallis-Virtutum in Scotia Moderatorem,

LI.

LI.

1452. Bonifacius Ferrarius V. inter Generales.

LII.

1452. *Hermanus Appeldornius*, alumnus Agrippinensis, religiosæ probitatis rarum suis exemplum, Treuirensis, Coloniensis, ac Confluentini Monasteriorum Præses, nec non & laudabilis literaturæ vir scripsit.

1. *Sermones Dominicales*.

2. *De Passione Domini*

3. *De nouitiorum Institutione*. Plenusque dierum, ac meritorum Confluentiæ quieuit in Domino An. 1452. XV. Kalend. Octobris.

LIII.

1458. *Antonius le Cocq ex Auuiliana* in Pedemontio, professus Cartusiæ Vallis-Pisij desijt esse in humanis hoc Anno VI. Kalendas Martij. Inter eximia pietate, & doctrina non mediocri præditos connumeratus, contexuit.

1. *Tractatum in Iob*, inscriptum Isabellæ serenissimorum Sabaudiæ Principum Philiberti, & Caroli Matri, quorum etiam futuram in breui status usurpationem prædixit.

2. *Librum consolationis ex* Sententijs SS Bernardi, & Bonauenturæ concinnatum.

3 *Librum Prophetiarum*, quem Carolus VIII Galliarum Rex in paucis carum habuit. Huius P Antonij celebris est memoria in monumentis Cartusię prędicatę. Liber tamen propheriarum deperijt, siquidem Carolo VIII. dum in Italiam descenderet, ad sua in eo fata inspicienda, oblatus, nunquam ad Cartusienses redijt.

LIV.

1460 *Hermannus de Rudisheim*, alumnus & Prior Cart. Herbipolensis, & circa Annum 1458 Visitator Prouinciæ Franconiæ, composuit etiam Lib titulo: *Meditationes admodum deuota vitæ, ac necis Saluatoris*. Testatur Petreius.

LV.

1460. *Ioannes Hullinus* de Rudtlinch, Professus B Mariæ boni Lapidis prope Vrach scripsit: *De profectu Spirituali, & de regimine Religionis*, quæ leguntur in Cartusia Buxiana. Viuebat in Germania hoc tempore, inter viros eruditos nobilem occupans locum.

LVI.

1461. *Dominicus N natione Pruthenus*, Cartusiæ Treuirensis alumnus migrat è viuis, postquam feraci peperisset ingenio, non solùm quæ ad notitiam peruenerunt Posseuini, & Eysengrenij, scilicet volumina prænotata

1 *Sonus epulantis*, quod comedendo, & ruminando in cellæ solitudine edidit.

2. *Corona Beata Maria*, Scilicet vitam ipsius lapidibus pretiosis comparatam.

3. *Liber experientia*, cui varias diuinitus sibi factas reuelationes intersetit. Sed etiam nunquam in lucem prolata, & Ms. apud suos Patres Cartusiæ Treuirensis.

4 *De contemptu Mundi*.

5. *De vera, & humili Obedientia*

6. *Remedium grauissimarum tentationum*.

7. *Exercitium, quo se Religiosus spiritualibus meditationibus sedulò debeat exercere*.

8. *De pallio spirituali B Virgini consiciendo*.

9. *De educatione Pueri Iesu in cella*.

10. *Epist. ad quemdam Confluentina Cartusia Monachum de exercitio exercitiorum*

11. *Epist. contra metum pestiferæ contagionis*.

12. *De Verecundia*.

13. *De exercitio Dominica Passionis*.

14 *De Aula, siue domo spirituali B. Mariæ extruenda.*
15. *De fructuoso Missarum celebrandarum modo.*
16. *Rhytmum valde deuotum, de contemptu Mundi*, cuius initium

Homo Dei creatura
Cur in carne moritura
est tam parua tibi cura
Pro æterna gloria.

17. *Canticum de Corona stellarum duodecim, ad gloriosam Virginem Mariam*, quod diuinitus sibi reuelatum ad instar hymni Ambrosiani *Te Deum laudamus* cecinit. Incipit *Te cæli Reginam laudamus, Te Mundi Dominicam honoramus, &c.* Encomiastes habuit Dorlandum, lib. 7. cap. 23; Hippolytum Marracium, in Bibl. Mariana, itemq; in Religiosis eidem Deiparæ addictis.

LVII.

1464. *Andreas Vngarus*, Prior Cart. Ferrariensis dudū excitatæ, suis eam virtutibus illustrabat, & studijs, è quibus supersunt

1 *Paraphrasis in in librum sententiarum.*
2. *In Psalterium.*
3. *In Cantica Canticorum.*
Tractatus de Spiritu Sancto.
5 *Varij Sermones.* Auctore Camillo Tutino sub hoc Anno.

LVIII.

1465. *Iacobus de Clusa*, alias de Paradiso, in Cartusia Erphordiana sacris se votis obstrinxit, quique olim fuerat Doctor, ac Professor publicus, in hoc etiam Ordine iugis incubuit studijs, posterosque varijs opusculis erudiuit, quorum syllabus est.

1. *De Apparitionibus Animarum post exitum à Corpore* impress. in Oppido Burchdorff. 14-5 in fol. & Basileæ in 4.
2. *De difficultate saluandorum.* Lubecæ An. 1488. Petreius, & Posseuinus ei tribuunt ex Simlero
3. *Tractat. De sola veritate dicenda, aut tacenda*, alibi impress. in folio.
4. *Collationem pro Diuina scientia commendatione.*
5. *Lecturam ad primum, & secundum* lib. Sentent.
6. *De peccatis mentalibus, mortalibus*, lib. 1. quem citat Auctor anonymus, ei coæuus in magno Speculo exemplorum, & P. Io: Maior Soc. Iesu eiusdem speculi Adauctor, pag. 436. sextæ editionis, Titulo Indulgentia, exemplo 1.
7. *Sermonum de Sanctis*, l b 1. quod Ms. asseruari apud Minoritas Agrippinenses in Conuentu dicto ad Oliuas fidem facit Alua in sua Militia vniuersali col. 644

|| Nonnulli Iacobum de Clusa alium faciunt, à Iacobo hoc de Paradiso, à quo tamen non distinguitur, teste Petreio. Annis 40. Vixit Cisterciensis; à quibus ad Cartusianos se colligens, alijs 22. superfuit. Decessit 1465. in peruigilio SS. Philippi, & Iacobi, Octogenario maior. Cuius vitam contexuit Iacobus Volradus ex eodem Sodalitio Cartusiensi.

LIX.

1466. *Ægidius Aurifaber*, Vicarius Montis Sion in Zelandia, suo cognomini respondere satagens, aurea elaborauit opuscula.

1. *De Tempore, & Sanctis Sermones per Anni cursum*
2. *De Cartusiana laude.*
3. *Speculum Exemplorum*, cuius prima impressio, suppresso eius nomine, expleta est Dauentriæ per Richardum Pafied, anno 1481. 2. Coloniæ anno 1485 per Ioannem Bœlsgt. 3. Argentorati anno. 1487, vbi etiam recusum fuit anno 1495. demum in

 Ciuitate

Ciuitate Haguenauu Anno 1529 per Henricum Kran quintò iam prælo submittitur. Locupletatum postea, ac Notis illustratum à P. Ioanne Maioti Attebatensi Soc. Iesu Sacerdote, ac prænotatum *Magnum speculum exemplorum*, Coloniæ, ac Duaci sæpè sæpiùs typis commissum est eò illustriùs, quò frequentiùs desudauit sub prælo. Præfatus tamen eius Adauctor, Auctoris nomen, patriam, professionem, & Ætatem desiderans, varijs ex coniecturis infert fuisse ex Belgio Teutonico, nempe Gueldria, vel Zutphania, aut Transisulania, vel ex aliqua Germaniæ parte propinqua his prouincijs, & vixisse circiter Annum 1480, cum Petreio Auctore, fatis concesserit 1466. xx Februarij Meminere Ægidij non sine laude Petreius, Index script. Belgo-Cartus, Bibl. Mariana; Bostius Carmelita, cap 26; laudatus Io: Maior S. I. Valerius Andreæ, Suuecrtius; Gerardus Io: Vossius de Histor. Latinis.

LX.

1466. *Iacobus Iunterbuik Teuto*, Vicarius Montis S. Saluatoris prope Erphordiam in diuinis scripturis studiosus, & eruditus, ingenio clarus, sermone apertus, dubiorum cautus interpres, inter eruditos sui Æui ingenti prætio stetit. Vita quoque & conuersatione deuotus concinnauit vigilias hoc nomine prænotatas.

1. *De dignitate Pastoris, & onere curæ Pastoralis.*
2. *De arte curandi vitia.*
3. *De potestate Dæmonum.*
4. *De Arte Magica.*
5. *De Superstitionibus.*
6. *De Incedendo per arctam viam.*
7. *De directione intentionis in actibus moralibus*, alijs *de bona voluntate.*
8. *De Indulgentijs anni Iubilæi.*
9. *De veritate dicenda, tacendaue.*
10. *De peccatis mortalibus mentalibus.*
11. *De Arte bene moriendi.*
12. *Dialogus cum Nouitio consolatorius.*
13. *De malis huius seculi per omnes ætates.*
14. *De apparitionibus Animarum post mortem.*
15. *De valore Missarum pro Defunctis.*
16. *Collectorium diuersarum cautelarum in diuersis statibus obseruandarum.*
17. *Opusculum quod Liberticum statuum humanorum.*
18. *De duabus Ciuitatibus Hierusalem, ac Babylone, & earum Ciuibus.*
19. *Dialog. consolatorius boni ac zelosi Christiani.*
20. *De cognitione causarum, & effectuum secretorum.*
21. *De Montibus Gelboe comminatorium pœnarum.*
22. *Speculum aureum institutionum ad Ecclesiastica beneficia, sacramentalia.*
23. *Quid sit Carena.*
24. *An pueri Iudæorum non renati per baptismum, aliquo modo saluentur.*
25. *An pro missis iniunctis pro defunctis à superiori, possit alia dici ad placitum celebrantis*
26. *Sermo, de* Defunctis, *& quibus suffragijs iuuentur.*
27. *Sermo, cum esset desponsata Mater Iesu.*
28. *Sermo, Populus, qui ambulabat in tenebris.*
29. *Sermo, sapientia ædificauit sibi domum.*
30. *Sermo, Tota pulcra es.*
31. *Sermo, In diebus illis exurgens Maria, &c.*
32. *De Contractibus, & Redemptionibus.*
33. *De partitione redituum inter Religiosos.*

34. De

34. De Monopolio, & emptionibus multis et carius vendentibus.
35. De Interdicto quoad Religiosos.
36. Speculum de restitutionibus.
37. De habitibus acquisitis & infusis, & de charitate.
38. Aufsamentum ad Papam pro reformatione Ecclesiæ.
39. Confessionale.
40. Tractatus de desiderio moriendi, & præparatione ad mortem.
41. Quod liberi fallaciter [illegible] de diuersis [illegible] officijs.
42. De Iudicijs diuinis, & humanis, & fatuitatibus Mundanorum, & contemptu Mundi.
43. Casus unus de bellis Clericorum.
44. De absolutione excommunicati in extremis.
45. De conflictu inter amorem Dei, & Mundi.
46. Scrutinium scripturarum, quod propter senium reliquit imperfectum.
47. Tractatus de actibus humanis, & mystica.
48. Colloquium hominis ad animam suam.
49. Igniculus deuotionis.
50. De statibus Mundi.
51. De statibus Ecclesiæ in Apocalypsi descriptis.
52. De statu securiori incedendi in hac vita.
53. De causis multorum vitiorum, adiunctis remedijs, & præsertim de tollerantia iniuriarum.
54. Casus varij dubiorum circa Missæ celebrationem, & cautela obseruanda.
55. Expos. breuis Canonis Missæ.
56. Tractatus, vtrum quotidiana celebratio suadenda sit.
57. De modis resistendi tentationibus.
58. De perfectione Religiorum, & spiritualis vitæ profectu.
59. Oculus Religiosus.
60. Opus quæstionum variarum pro Religiosis.
61. De receptione, & prouentibus Monialium, & aliorum Religiosorum, deque proprietate.
62. Casus quidam circa receptionem ad Religionem.
63. Formula de modo reformandi Religiones lapsas.
64. De causis deuiationis, vel degenerationis Religiosorum á priscorum Patrum feruida conuersatione, & qualitate recipiendorum ad religionem.
65. De Excellentia, & statu Ordinis Cartusiani.
66. Solutiones quorumdam dubiorum pro Cartusiensibus.
67. De Approbatione Ordinis Cartusiensium.
68. De statu, & Officio Ecclesiasticarum personarum, & Canonico ingressu.
69. De sanctificatione sabbathi circa molendinam.
70. De inchoatione sabbathi, & vectoribus.
71. De tribus statibus, scilicet Prælatorum, actiuorum, & contemplatiuorum.
72. De morbis, & erroribus Christianorum.
73. De cogitationibus, & earum qualitate, & refrenatione.
74. De causis gratiæ, & charitatis.
75. De authoritate, & reformatione Ecclesiæ. Extat Tomo III Monarchiæ Melchioris Goldasti Caluinistae. Reliqua omnia Ms. seruantur in Bibliotheca Coloniensi collecta à L. Surio sub nomine eiusdem, licet alij Iacobo de Paradiso ea tribuant V. Petreium; Bozium, de signis Ecclesiæ, lib. IX. cap. XI.; Bibl. [illegible], pag. 53. Gesnerum; Ludou. Iacob. à S. Carlo, Bibl. Pontif. Lib. 2. pag. 366. Bibl. Marianam Fa-

talem

complevit diem Anno à Christo nato sexto & septuagesimo supra millesimum quadringentesimum.

LXI.

1469. *Guillelmus Il;acensis, Cartus.* Herbipolensis alumnus Sermones triginta super Orationem Dominicam texebat, qui feruntur prælo suppositi. A. 1467. Simlerus, Posseuinus.

LXII.

1470. *Eruditis vacabat laboribus Gerardus Bredanus*, Patria Brabantus, alumnus Cart. Domus Capellæ, cuius fœtus fuere.

1 *Vita Saluatoris nostri Iesu Christi mysticè modulata.*

2. *De Sacramento Eucharistia.*

3. *Explanatio Psalm. 67.*

4. *De septem Horis Canonicis.*

5. *De Religiosorum professione.*

6. *Liber titulo Beati Misericordes.*

Eminet inter Auctores, quorum elenchum edidere Arnoldus Bostius, Arnoldus Raissius in Auctuario ad Natales SS. Belgij, die decima septima Aprilis; Petrus Sutor; Ioannes Bunderius in Ms. Belgicis; Dorlandus, Lib. VII. cap. 25. Suuertius in Ath. Belg. Emicabat Ordinis decor, & splendor eximius domus Angianæ Annum circiter reparationis humanæ septuagesimum, vltra millesimum quater centesimum.

LXIII.

1470 *Rochus Anglus, Londinensis* Patritius, in Parisiensi Academia humanas literas supra quam dici possit excoluit, cuius ne posteris argumenta deessent, reliquit.

1. *Dialogorum*. lib. 1.

2. *Epistolarum ad diuersos*. lib. 1.

3. *Epigrammatum*. lib. 1.

4 *Carminum diuersi generis*. lib. 1.

Eius memoriam laudibus redimitam transmiserunt ad posteros Pitseus, & Lelandus, in recensione Angliae scriptorum; Iosias Simlerus, in Gesnero abbreuiato, quibus omnibus decorabat stylo disertissimo Annum vitæ restitutæ 1470.

LXIV.

1471. *Dionysius ex municipio Hasbania Ryckel* dicto, gente verò de *Leuuis*, quæ modò in tanti viri memoriam Dionysiana se frequenter audit, in Vniuersitate Coloniensi maximam sacræ paginæ cognitionem hausit, inde Cartusianum viuendi genus in Cœnobio Ruremondensi amplexus, viribus optimis ad studia instructus, capite nempe, ut aiebat, ferreo, & pectore æneo, tot tantaque scripsit, vt librorum multitudine paucis secundus habeatur. Vbertati, diligentiæ, sententiarum ponderi pietatem adiunxit, nec non & diuinas reuelationes, unde Doctoris exstatici nomen sortitus est. Verbis etsi rudibus, tempestati nimirum, qua vixit, accommodatis, legentium tamen inflammat animos, & in virum alterum transformat. Eugenius IV. inspecto eius opusculorum vno, Lætetur inquit *Mater Ecclesia, quæ talem habet filium.* Anno ab obitu, qui incidit in Seculi quarti decimi unum & septuagesimum, centesimo trigesimo, septimo, cum per Henricum Cuyckium Ep. Ruremondensem eius corpus eleuaretur, pollex, ac Index manus dexteræ, integri, carnosi, & viuidi apparuere, ac si ea die humati. Viuus in membris à natura ad scribendum efformatis, quid aliud indicat, quàm elucubrationibus sibi immortalitatem comparasse?

Earum elenchum, qualem ipsemet de mandato Superiorum suorum concinnauit, hic rescribimus ex Appendice ad Tom. IV eius Commentariorum in IV. lib. Sentent. vbi prostat, cum quo si conferatur Index Petreianus passim deficiens reperietur.

Addimus

Addimus ad unumquemque codicem continuas notas;Mſ. quidem, Bibliothecæ, in qua,habentur,præter Ruremondenſem, ubi omnes nati, omnes adſeruantur; editorum verò, loci, temporis,impreſſoriſque, quibus,Auctore inter filios lucis adlecto, lucem & ipſi aſpexerint,excuſionem procurantibus Theodorico Loherio,Petro Leydenſi,Gerardo Hammontano, Lamberto Paſcuali, Theodoro Petreio conſodalibus Ordinis decori, Dionyſij gloriæ, & Orbis vtilitati addictiſſimis.

Illud ſemel notatum velim editionem omnium copioſiſſimam emanaſſe ſtudio Henrici de Eſpy, ad SS.Lupi & Ægidij Lutetiæ paſtorem, quam indicat Philippus Labbe in Philologica,&Hiſtorica diſſertatione de ſcrip.Eccl.& qui exprimuntur cuſi Coloniæ 1532 intelligendos de collectis à Petro Leydenſi, & prænotatis Opuſcula minora, ſicut qui publici iuris facti 1559. accipiendos pro euulgatis à P. Gerardo Hammontano ſub tituloOpuſculorũ inſigniorum,ac in tres partes diſtinctis in folio.

1. *In librum Pſalmorum quinquagena tres, & inſuper lib. ipſe Pſalmorum literaliter, Allegoricè, Tropologicè, & Anagogicè expoſitus.*

2. *Super 7. Pſalmos Pœnitentiales.* Coloniæ typisQuentelianis.1531.in fol.1532.Ibid.in 8. penes Melch. Noues.

3. *Super Iſaiam.* Ibidem 1549.

4. *Super Geneſim.* 1547. ibid.

5. *Super Exodum.* 1547. ibid.

6. *Super Leuiticum* 1547. ibid.

7. *Super lib. Numerorum* 1547. ibid.

8. *Super* Deuteronomium. 1547. ibid.

9. *Super lib. Ioſue.* 1552. ibid.

10. *Super lib. Iudicum* 1552. ibid.

11. *Super lib. Ruth.*

12. *Super 4 lib. Regum.*

13. *Super lib. Paralipomenon.* 1552. ibid.

14. *Super Eſdram.*

15. *Super Neemiam.* 1551. ibid.

16. *Super Tobiam.* 1551. ibid.

17. *Super Iudith.* 1551. ibid.

18. *Super Heſter* 1551. ibid.

19. *Super Iob.* 1551. ibid.

20. *Super lib. Prouerbiorum.* 1555. ibid.

21. *Super Eccleſiaſtem.* 1555. Ib.

22. *Super Cantica Canticorum.* 1555. ibid.

23. *Super Eccleſiaſticum.* 1555. ibid.

24. *Super Hieremiam.* 1548. ibid.

25. *Super Threnos.* 1548. ibid.

26 *Super Baruch.* 1549. ibid.

27. *Super Ezechielem.* 1548. ibid.

28. *Super Danielem.* 1548. ibid.

29. *Super* 12. *Prophetas Minores.* 1649. ibid.

30. *Super Libros Machabæorum.* 1551 ibid.

31 *Super 4. Euangeliſtas.* lib. 4. poſtquam deſudaſſent ſub prælo Colonienſi Anno 1543. recuſi Venetijs in 4. A. 1569. apud Bartholomæum Rubini, Lugduni 1596. in Officina Io. de Ogerolles in folio.

32. *Super omnes Diui Pauli Epiſtolas,* inſcrip. Carolo Geldriæ, ac Iuliæ Duci à P. Lamberto Paſcuali Cart. Confluentinæ Rectore A. 1529. iterumque Coloniæ apud Quen-

 telium

compleuit diem Anno à Christo nato sexto & septuagesimo supra millesi- quadringentesimum.

LXI.

1469. *Guillelmus Il; acensis, Cartus.* Herbipolensis alumnus Sermones triginta super Orationem Dominicam texebat, qui feruntur prælo suppositi. A. 1467. Simlerus, Possevinus.

LXII.

1470. *Eruditis vacabat laboribus Gerardus Bredanus*, Patria Brabantus, alumnus Cart. Domus Capellæ, cuius fœtus fuere.

1 *Vita Saluatoris nostri Iesu Christi mysticè modulata.*

2. *De Sacramento Eucharistia.*

3. *Explanatio Psalm. 67.*

4. *De septem Horis Canonicis.*

5. *De Religiosorum professione.*

6. *Liber titulo Beati Misericordes.*

Eminet inter Auctores, quorum elenchum edidere Arnoldus Bostius, Arnoldus Raissius in Auctuario ad Natales SS. Belgij, die decima septima Aprilis; Petrus Sutor; Ioannes Bunderius in Ms. Belgicis; Dorlandus, Lib. VII. cap. 25. Suuertius in Ath. Belg. Emicabat Ordinis decor, & splendor eximius domus Anglanæ Annum circiter reparationis humanæ septuagesimum, vltra millesi. quater centesimum.

LXIII.

1470 *Rochus Anglus, Londinensis* Patritius, in Parisiensi Academia humanas literas supra quam dici possit excoluit, cuius ne posteris argumenta deessent, reliquit.

1. *Dialogorum*. lib. 1.

2. *Epistolarum ad diuersos*. lib. 1.

3. *Epigrammatum*. lib. 1.

4 *Carminum diuersi generis*. lib. 1.

Eius memoriam laudibus redimitam transmiserunt ad posteros Pitseus, & Lelandus, in recensione Angliae scriptorum; Iosias Simlerus, in Gesnero abbreuiato, quibus omnibus decorabat stylo disertissimo Annum vitæ restitutæ 1470.

LXIV.

1471. *Dionysius ex municipio Hasbania Ryckel* dicto, gente verò de *Leuuis*, quæ modò in tanti viri memorium Dionysiam se frequenter audit, in Vniuersitate Coloniensi maximam sacræ paginæ cognitionem hausit, inde Cartusianum viuendi genus in Cœnobio Ruremondensi amplexus, viribus optimis ad studia instructus, capite nempe, ut aiebat, ferreo, & pectore æneo, tot tantaque scripsit, vt librorum multitudine paucis secundus habeatur. Vbertati, diligentiæ, sententiarum ponderi pietatem adiunxit, nec non & diuinas reuelationes, unde Doctoris exstatici nomen sortitus est. Verbis etsi rudibus, tempestati nimirum, qua vixit, accommodatis, legentium tamen inflammat animos, & in virum alterum transformat. Eugenius IV. inspecto eius opusculorum vno, Lætetur inquit *Mater Ecclesia, quæ talem habet filium.* Anno ab obitu, qui incidit in Seculi quarti decimi unum & septuagesimum, centesimo trigesimo, septimo, cum per Henricum Cuyckium Ep. Ruremondensem eius corpus eleuaretur, pollex, ac Index manus dexteræ, integri, carnosi, & viuidi apparuere, ac si ea die humati. Viuus in membris à natura ad scribendum efformatis, quid aliud indicat, quàm elucubrationibus sibi immortalitatem comparasse?

Earum elenchum, qualem ipsemet de mandato Superiorum suorum concinnauit hic rescribimus ex Appendice ad Tom. IV eius Commentariorum in IV. lib. Sentent. vbi prostat, cum quo si conferatur Index Petreianus passim deficiens reperietur.

Addimus

Addimus ad unumquemque codicem continuas notas;MS. quidem, Bibliothecæ, in qua,habentur,præter Ruremondensem, ubi omnes nati, omnes adseruantur; editorum verò, loci, temporis,impressorisque, quibus,Auctore inter filios lucis adlecto, lucem & ipsi aspexerint,excusionem procurantibus Theodorico Loherio,Petro Leydensi,Gerardo Hammontano, Lamberto Pascuali, Theodoro Petreio consodalibus Ordinis decori, Dionysij gloriæ, & Orbis vtilitati addictissimis.

Illud semel notatum velim editionem omnium copiosissimam emanasse studio Henriel de Espy. ad SS Lupi & Ægidij Lutetiæ pastorem, quam indicat Philippus Labbe in Philologica,&Historica dissertatione de scrip.Eccl.& qui exprimuntur eusi Coloniæ 1532 intelligendos de collectis à Petro Leydensi, & prænotatis Opuscula minora, sicut qui publici iuris facti 1559. accipiendos pro euulgatis à P. Gerardo Hammontano sub tituloOpusculorũ insigniorum,ac in tres partes distinctis in folio.

1. *In librum Psalmorum quinquagena tres, & insuper lib. ipse Psalmorum literaliter, Allegoricè, Tropologicè, & Anagogicè expositus.*

2. *Super 7. Psalmos Pœnitentiales.* Coloniæ typisQuentelianis.1531.in fol.1532.Ibid.in 8. penes Melch. Noues.

3. *Super Isaiam.* Ibidem 1549.

4. *Super Genesim.* 1547. ibid.

5. *Super Exodum.* 1547. ibid.

6. *Super Leuiticum* 1547. ibid.

7. *Super lib. Numerorum* 1547. ibid.

8. *Super* Deuteronomium 1547. ibid.

9. *Super lib. Iosue.* 1552. ibid.

10. *Super lib. Iudicum* 1552. ibid.

11. *Super lib. Ruth.*

12. *Super 4. lib. Regum.*

13. *Super lib. Paralipomenon.* 1552. ibid.

14. *Super Esdram.*

15. *Super Neemiam.* 1551. ibid.

16. *Super Tobiam.* 1551. ibid.

17. *Super Iudith.* 1551. ibid.

18. *Super Hester* 1551. ibid.

19. *Super Iob.* 1551. ibid.

20. *Super lib. Prouerbiorum.* 1555. ibid.

21. *Super Ecclesiastem.* 1555. 16.

22. *Super Cantica Canticorum.* 1555. ibid.

23. *Super Ecclesiasticum.* 1555. ibid.

24. *Super Hieremiam.* 1548. ibid.

25. *Super Threnos.* 1548. ibid.

26. *Super Baruch.* 1549. ibid.

27. *Super Ezechielem.* 1548. ibid.

28. *Super Danielem.* 1548. ibid.

29. *Super 12. Prophetas Minores.* 1649. ibid.

30. *Super Libros Machabeorum.* 1551 ibid.

31 *Super 4. Euangelistas.* lib. 4. postquam desudassent sub prælo Coloniensi Anno 1543. recusi Venetijs in 4. A. 1569. apud Bartholomæum Rubini, Lugduni 1596. in Officina Io. de Ogerolles in folio.

32. *Super omnes Diui Pauli Epistolas,* inscrip. Carolo Geldriæ, ac Iuliæ Duci à P. Lamberto Pascuali Cart. Confluentinæ Rectore A. 1529. iterumque Coloniæ apud Quentelium

compleuit diem Anno à Christo nato sexto & septuagesimo supra millesi-quadringentesimum.

LXI.

1469. *Guillelmus Il;acensis, Cartus.* Herbipolensis alumnus Sermones triginta super Orationem Dominicam texebat, qui feruntur prælo suppositi. A. 1467. Simlerus, Posseuinus.

LXII.

1470. *Eruditis vacabat laboribus Gerardus Bredanus*, Patria Brabantus, alumnus Cart. Domus Capellæ, cuius fœtus fuere.

1 *Vita Saluatoris nostri Iesu Christi mysticé modulata.*

2. *De Sacramento Eucharistiæ.*

3. *Explanatio Psalm. 67.*

4. *De septem Horis Canonicis.*

5. *De Religiosorum professione.*

6. *Liber titulo Beati Misericordes.*

Eminet inter Auctores, quorum elenchum edidere Arnoldus Bostius, Arnoldus Raissius in Auctuario ad Natales SS. Belgij, die decima septima Aprilis; Petrus Sutor; Ioannes Bunderius in Mſ. Belgicis; Dorlandus, Lib. VII. cap. 25. Sueertius in Ath. Belg. Emicabat Ordinis decor, & splendor eximius domus Angianæ Annum circiter reparationis humanæ septuagesimum, vltra millesſ. quater centesimum.

LXIII.

1470 *Rochus Anglus, Londinensis* Patritius, in Parisiensi Academia humanas literas supra quam dici possit excoluit, cuius ne posteris argumenta deessent, reliquit.

1. *Dialogorum.* lib. 1.

2. *Epistolarum ad diuersos.* lib. 1.

3. *Epigrammatum.* lib. 1.

4 *Carminum diuersi generis.* lib. 1.

Eius memoriam laudibus redimitam transmiserunt ad posteros Pitseus, & Lelandus, in recensione Angliæ scriptorum; Iosias Simlerus, in Gesnero abbreuiato, quibus omnibus decorabat stylo disertissimo Annum vitæ restitutæ 1470.

LXIV.

179. *De doctrina Ecclesiæ, & quomodo sit infallibilis & certa.*

180. *De vita religiosa, quo pacto debeat esse, ac dirigi.*

181. *De vita pecunia acquirenda, & custodienda.*

182. *De inquisitione summi boni, vt feliciter inueniatur.*

183. De *spiritu, & corpore.*

184. De *corruptione hominis, & gratia* Dei, *quomodo stant.*

 185. De

185. De perseuerantia quomodo sit seruanda, quæ etiam sola saluat.
186. Breuis expositio precum illarum, quæ in Ordine Cartusiano fiunt.
187. De Prælaturis, & dignitatibus, & quatenus eas appetere liceat.
188. De fraterna communicatione.
189. De paruulis fidelium, qui casu ante baptismum moriuntur.
190. De Iudice, quo pacto non possit contra conscientiam iudicare.
191. Expositio visionis Danielis.
192. Vtrum Papa, & eius Legati suscipiendi sint, vt auctoritate in Concilijs præsideant.
193. De vita spirituali, & de multis quæstionibus.
194. De annuntiatione Missæ, & de visione Tundali, & de alijs, quo pacto fiant.
195. De voto abstinendi à piscibus, & carnibus.
196. An licitum sit religiosis concedere ius ad bella.
197. An licitum ædificare altaria in Ecclesia sine consensu Plebani.
198. An infirmus Monacus possit vesci carnibus.
199. De apparitione mulieris defunctæ, & de prodigijs varijs.
200. An sponsus Ecclesiæ possit illi auferri.
201. Tempore schismatis, qualiter se habeat homo, adhærendo, vel non.
202. De ortu, & origine cogitationum, & affectionum cordis.
203. De futuris prodigijs, cognitione, & causa eorum.
204. De peregrinis doctrinis cognoscendis, & præcauendis.
205. Planctus solitarij super varijs peccatis hominum, & de insurgentibus varijs motibus contra sedem Apostolicam.
206. De cruciata doctrina contra hæreticos anno Domini M.CCC.LXVII.
207. De cognitione futurorum, & somniorum.
208. De paupertate, & laude eius, & differentia.
209. Tractatus ad petitionem Marchionis Brandeburgensis, scriptus super erroribus hæreticorum.
210. Breuis viuendi regula.
211. Tractatus de Sacramento Altaris.
212. Tractatus de intentione, merito, & præmio.
213. De eleemosyna, quo pacto quis eam primò sibi ipsam dare debeat.
214. De peccati periculo.
215. De venditione fiuentorum.
216. De agricultura corporali, & spirituali.
217. De potestate Vicariorum in Ordine Cartusiensi.
218. De Indulgentijs.
219. Tractatus de Creatore, & creaturis; & quo pacto per eiusmodi homo peruenire debeat ad regenerationem sui, ac mysticarum doctrinarum.
220. De spirituali profectu.
221. De fide Catholica, & armatura eius, & varijs pugnis hæreticorum, Paganorum, & Iudeorum.
222. De fraudibus hominum, & remedijs contra easdem.
223. De Religiosorum mendicitate.
224. De via securiori ad salutem.
225. De Excommunicatis pro violenta manu in clericos.
226. De esu carnium in Ordine S. Benedicti.
227. Regimen præcipuum de inquisitione veræ viæ, & salutis.
228. Consolatio Religiosorum.

 229. In-

229. *Intellectus Religiosorum.*

230. *Informatio Religiosorum, per bonum Prælatum.*

231 *Plures breues quæstiones pro Religiosis.*

232. *De libero arbitrio, & prædestinatione.*

233. *Tractatus de gaudio sanctorum in cælo, vbi referuntur rara, pulchra, utilia, & probabilia.*

234. De *receptaculis eorum.*

235 De *mortuis & de pœnis eorum.*

236 De *suffragijs.*

237. De *aduentu* Domini *ad iudicium.*

238. De *loco innocentium, qui decedunt in solo originali peccato, & de statu eorum.*

239. *De vita Episcoporum.*

240. *An quis possit esse perfectus, sine professione religionis.*

241 *De spiritualibus ascensionibus, & descensionibus.*

242. De *bona voluntate.*

243. *Expositio symboli Apostolorum.*

244. *Ascensus mentis in Deum per vestigium creaturarum.*

245 *Peculiaria Missæ officia.*

246. De *diuersis*

247 *De sanctissima Trinitate.*

248. De *spiritu sancto.*

249. *Tractatus de laudibus B. virginis Mariæ.*

250. *Tractatus vtilis de charitate Dei, & proximi, quo pacto acquiritur, & augetur, & de diuersis causis meritis, & impedimentis.*

251. *Breue soliloquium animæ deuotæ ad Deum.*

252 *Forma gratiarum actionis, qualiter homo semper debeat gratias agere Deo.*

253. De *gradibus humilitatis, & mititatis.*

254. De *perfectione, & modo offerendi filios ad monasterium, & de ingressu religionis.*

255 *Expositio Officij Missæ.*

256. De *negligentijs in Missis contingentibus, & de remedijs earum, & de pœna pro eis.*

257. *Expositio super octo versus Psalterij, qui debent æquipollere Psalterio.*

258. *Expositio super Angelica salutatione.*

259 *Expositio Orationis Dominicæ, cum quæstionibus.*

260. De *tentationibus, & consolationibus, & remedijs earundem.*

261. De *meditatione cordis.*

262. De *illuminatione cordis.*

263 De *arca spirituali.*

264. De *Origine, differentia, discussione, vtilitate, & periculo cogitationum.*

265. De *ædificatione spiritualis domus, breuiter in corde facto, & primum quo pacto fiat.*

266. De *ignorantia sapienti, & appetitionibus, & de docta ignorantia.*

267. De *spirituali in Deum ascensu.*

268. De *Beatissima Trinitate, & vnitate in* Deo.

269. De *appropriatis personarum.*

270. De *imagine, & similitudine* Dei.

271. De *disciplina morum.*

272. De *persecutione toleranda.*

273. De mortalitate non timenda.
274. De causis persecutionum, & malorum.
275. De bono patientiæ
276. De zelo.
277. De inuidia.
278. De præparatione ad Martyrium.
279. De fide spirituali, & charitate in tota Theologia, bonus tractatus.
280. De solatio medicorum, & aliorum operariorum, quo pacto licitę accipiantur.
281. Quando peccata sint venialia, aut mortalia.
282. De visione Dei.
283. De Christi Nobilitate, & gratia.
284. De Primo principio, eiusque affectibus, & Scrutinio Scriptorum.
285. De Regimine sanitatis, maximé Spiritual cura Clericorum.
286. De multiplici cruore.
287. De cordis puritate.
288. De iure Plebanorum, & Religiosorum, quomodo mutuam habeant concordiam.
289. De nugamento habituum, differentia, diminutione, & cessatione eorum.
290. De Anno Iubileo, & de Plenarijs Indulgentijs.
291. De reformatione Ecclesiæ in capite, & membris.
292. An liceat propter paupertatis reuelationem admittere ad Monasteria, & de vsura in redemptione.
293. De laudibus Ordinis Cartusiensis.
294. De exercitatione mentis ad deuotionem, & excussione corporis.
295. De reformatione Religiosorum, & modo practicandi.
296. De arte præparandi se ad mortem.
297. Dialogus inter animam, & hominem.
298. An Maria Virgo manserit in corpore.
299. De libris suscipiendis, & legendis, & de ordine illorum.
300 De discretione, & cognitione illorum motuum cordis.
301. De turbationibus Ecclesiæ.
302. De Sacramento Altaris.
303. Soliloquium ad Deum vnum, & Trinum.
304. Secretum ad Deum colloquium.
305. Soliloquium ad Deiparam Virginem.
306. De tota Biblia.
307. Tractatus de duabus Ciuitatibus.
308. De veritate, & libero arbitrio.
309. De casu Angeli.

310. De *Prædestinatione, quo pacto stet cum libero arbitrio.*
311. De *paucitate iustorum.*
312. De *Animæ puritate.*
313. *Quædam dubia, præcipuè de iure Patronatus.*
314. De *perfectione vitæ Christianæ.*
315. De *Contractibus emptionis, ac redemptionis.*
316. De *negotiatione, & numismate* Spirituali.
317. De *pœna reorum, morti adiudicatorum.*
318. De *largitione Eleemosinarum.*
319. De *moneta Temporali.*
320. *Considerationes circa Iudæos.*
321. De *Incarnatione verbi.*
322. *De Similitudinibus.*
323. *Igniculus deuotionis.*
324. De *mystica Theologia.*
325. De *offensa in Deum, & de eius remissione.*
326. *De Regimine Prælati in religione.*
327. *De Religionibus.*
328. De *omnibus statibus spiritualium, videlicet Papæ, Cardinalium, Episcoporum, bonus tractatus.*
329. *De contractibus varijs.*
330. *De Synodis, & de Concilio Generali.*
331. De *censuris quando abrogantur, & de filijs hæreticorum.*
332. De *reddendo debito coniugali, & de modo.*
333. *De fraterna correctione, & recta prædicatione.*
334. De *communione sub vtraque specie.*
335. De *beneficijs Monachorum, & quid iuris habeant.*
336. De *infeudatione decimarum, & quando alij illas habere queant.*
337. De *decimis, & quo pacto tractentur.*
338. De *vita Spirituali, & reformatione hæresum, & errorum.*
339. De *Nobilitate, & in quo verè consistat.*
340. De *quæstionibus, quando suspecti examinantur pœnis, vt confitcantur.*
341. De *distributionibus quotidianis, quæ dantur interessentibus alijs.*
342. *Actore non probante, reus quo pacto absoluatur.*
343. De *simonia in beneficio, & de promissione futuri beneficij.*
344. *Pulchra de vita Ecclesiasticorum.*
345. De *Corporibus quæ surrexerunt cum Christo.*
346. De *proprietate Monachorum.*
347. *Expositio super duo decreta Consilij Basileensis: videlicet, de excommunicatis non vitandis, & de annatis non soluendis.*

348.

349. De Sanctissima Trinitate.
350. Compendiosa Priuilegiorum Cartusiensis Ordinis expositio.
351. De consideratione sui, & eorum quæ ad se pertinent.
352. Modus viuendi sanctè, & religiosè in fide Christiana.
353. De vita Christiana, & modo viuendi Christianorum.
354. De cognitione sui ipsius.
355. De perfectione, & exercitijs S. Cartusiensis Ordinis libri duo: qui solummodo ex tam ingenti doctissimi huius Theologi librorum mole lucem aspexerunt, impressi nimirum hoc eodem anno M. DC. VIII. Coloniæ apud Bernardum Gualterum.
356. Declaratio super cruciatas, quæ fiunt contra Turcas.
357. De priuilegio Friderici Imperatoris dato scholaribus.
358. De audiendis Confessionibus, & de forma absoluendi.
359. De varijs Prælatorum periculis, & peccatis subditorum, & aliunde.
360. Quibus modis aliorum peccata, & defectus licitè queant euitari.
361. De vitando scandalo.
362. De emendatione.
363. De periculis Religiosorum in temporalibus.
364. De cupiditate emendi temporalia.
365. De resignatione curæ pastoralis, ad quendam Prælatum, & est Dialogus defensorius ipsius, ubi ponuntur quatuor modi iudicandi, & quædam Apologia.
366. De modo reformandi.
367. De restitutionibus, censuris, & iurisdictione Ecclesiæ.
368. Auisamentum Prælatorum quoad regimen subditorum; præsertim in Canonibus perplexis, & confusis.
369. Scripta aliqua circa electionem Regis Bohemiæ.
370. De iurisdictione Ecclesiastica, de participantibus cum excommunicatis.
371. Item de excommunicatis vitandis, vel non vitandis.
372. De potestate Ecclesiastica.
373. De Anima, ac viribus, operationibusque eius.
374. De multiplici vita animæ.
375. De Officio Missæ.
376. De honestate tenenda, & inhonestate vitanda.
377. De affectionibus.
378. De vita Episcoporum.
379. Tractatus rectè viuendi.
380. De ornatu mulierum, contra prophetias prophanas.
381. De spirituali sacerdote, & de spirituali celebratione.
382. De absolutione plenaria.
383. Breuis expositio regulæ S. Benedicti.
384. De anno Iubilæo.
385. Speculum Monialium.
386. Regula intelligendi sacram scripturam.
387. De primarijs precibus, an licitæ sint.
388. De tyranno, & rectore bono.
389. De mystica significatione susceptionis habitus, conuersationis, & ceremoniarum Religiosorum, præcipuè verò Cartusianorum.
390. De forma susceptionis, & professionis.
391. Tractus de visionibus.

O 392. Quo

392. *Quomodo Plebani, vel Ecclesiæ rectores alicuius communitatis se habeant ad publicos peccatores, & quomodo ad censuras Ecclesiasticas.*

393. *De peregrinationibus.*

394. *De irregularitate, quam Clericus aliquando pugnando non incurrit.*

395. *Doctrina pro conscientijs anxiatis.*

396. *An ignis emendatorius expurget etiam habitus vitiosos, & reliquias peccatorum.*

397 *Tractatus de visitationibus faciendis.*

398 *Quo pacto quilibet habens ordinariam absoluendi potestatem, possit eam alijs communicare.*

399. *De Spiritu sancto.*

400. *Quid sentiendum sit de remissione confitentium mortalia, &c.*

401. *Defensorium paruulum pro S. Thoma contra eos, qui illius scripta minus vera reputant.*

402. *Excerpta variorum librorum* D. *Gregorij, Bernardi, Hieronymi. Item præcipuorum aliquot librorum Augustini, Ambrosij, B. Thomæ, Hugonis, & Richardi; Item totius Corporis iuris Canonici, & Ciuilis, Nec non & ex diuersis historicis, & chronicis, librisque Philosophorum Platonis, Aristotelis &c.*

403. *De officio Abbatis.*

404. *De officio Cancellarij.*

405. *De officio, & modo iuuandi Suffraganei.*

406. *De officio Prioris in Ordine Cartusiensi.*

407. *De regimine Comitis.*

408. *De regimine Principis.*

409. *De regimine boni Aduocati.*

410. *De officio Magistri Principum.*

411. *De librorum compaginatore.*

412. *De officio Vicarij, Procuratoris, sacristæ, emendatoris, Cantoris, Infirmarij, ac Sacerdotis hebdomadarij.*

413. *De officio prædicandi.*

414. *De spirituali sacerdote.*

415. *Sermones de Dedicatione.*

416. *Sermones breues spirituales per totum annum.*

417. *Sermo optimus pro bona conscientia.*

418. *Sermones de inuocatione diuini auxilij.*

419. *Collationes vtiles, & breues ex epistolis, & Euangelijs ad religiosos.*

420. *Passio* Domini *nostri Iesu Christi.*

421. *Postilla dominicalium Euangeliorum per totum annum, cum breuibus sermonibus.*

422. De *corpore Christi.*

423. *Sermo de animabus.*

424. *Sermo de nouo sacerdote.*

425. *Sermones breues ad Monachos.*

426. *Sermo de varijs nuptijs.*

427. *Sermones duo de S. Martino.*

428. *Septem Sermones de Synodo.*

429. *Octo sermones de diuisionibus.*

430. *Duo breues sermones de religiosis.*

431. De *electione noui Prioris, sermones tres.*

432. *Septem sermones de B. Dionysio.*

433. *Collatio in die omnium sanctorum.*
434. *Sermo pro Reformatorij commendatione.*
435. *Sermo salutatorius in receptione, vel acceptione regiminis.*
436. *Nouem* Sermones, *quorum thema est, qui intrat per ostium, pastor est.*
437. *Collatio pro Capitulo Abbatum Ordinis* S. *Benedicti.*
438. *De vnione.*
439. *Commune sanctorum.*
440. De *regimine Magistri Camera.*
441. De *regimine negotiatoris.*
442. De *regimine Ciuitatis, & Conciliorum,*
443. De *Concilio generali, qualiter errare possit, & qualiter non: & quo pacto circa scisma habere se oporteat.*
444. De *gratiarum actione, & sporta fragmentorum.*
445. De *arte audiendarum confessionum.*
446. Soliloquium *secundum quatuor libros sententiarum.*
447. *Tractatus quomodo praescribitur contra statutum religionis.*
448. De *nono anno, quid cuilibet dandum sit.*
449. De *regimine Medicorum, spirituali.*
450. De *regimine exactoris, & spirituali militia.*
451. *De potestate absoluendi in casibus reseruatis, & quomodo de iure communi peccata non sint reseruanda in sacramentali absolutione.*
452. De *potestate absoluendi excommunicatos, quorum absolutio Papa reseruatur, & potest Episcopus in aliquibus Canonibus.*
453 *Tractatus quomodo corrigant adolescentes vitam suam.*
454. *Tractatus ad Beatam Virginem, ó pulcherrimam.*
455. *De discretione spirituum.*
456. De *statutis Ciuitatum, & vniuersitatum.*
457. *Sermones de Deo, de spiritu sancto, & de B. Virgine.*
458. De *Visitatione B. Maria in montana.*
459. *De annunciatione, praesentatione, purificatione, conceptione, natiuitate, & assumptione B. Maria Virginis.*
460. De *omnibus festis B. Maria.*
461. De *corpore Christi.*
462. *De natiuitate* Domini.
463. *Quaestiones, & dubia, utrum religiosi possint emere domos in Ciuitatibus.*
464. *Vtrum Pralatus possit dare licentiam intrandi septa Monialium.*
465. *An quis putans se non idoneum ad pralaturam, teneatur (si electus fuerit) consentire.*
466. *An Religiosus possit peccata sua occultare.*
467. *An exempti possint ab alijs iudicari, & an eis subiaceant.*
468. *An quis se ipsum possit commendare.*
469. *An Monachis licitum recipere precarias, qua vltra debitum censum dantur.*
470. *Quid censendum sit de ponderibus censualibus, qua non sunt soluenda sine sua culpa, an grauari debeant.*
471. *An liceat religiosis habere dominia temporalia.*
472. *An aliquis infra legitimam atatem, & coactus ad aliquam religionem, professionem faciens, obligetur ad eandem.*
473. *An corpore vitiati possint initiari sacerdotio.*
474. *Quare religiosi de obseruantibus, pracipuè campestres, communiter non vtuntur orga-*

nis, & De esu carnium, quo pacto fiat in ea dispensatio.

475. *An possit dari absolutio ab Ecclesiastica censura per indulgentias plenarias.*

476. *An delegatus à subdelegato possit ultra subdelegare.*

477. *An Carthusiani exempti, gratia exemptionis pro Ordinibus suscipiendis, possint suos Ordinandos cuique Episcopo subdere.*

478. *An Visitator Carthusianus gratia Papalis auctoritatis sibi concessa, dispensare possit cum ordinando, qui debitam non habet ætatem.*

479. *Quæstio de religioso, qui iurauit intrare aliam religionem.*

480. *Quæstio circa stationem, quæ fuit tempore Iosuæ, & Ezechiæ.*

481. *An viris religiosis expediat recipere eleemosynas, & pro eis conferre bona sua spiritualia.*

482. *De varijs dubijs in Ordine Cartus. occurrentibus.*

483. *De dubijs ex pacto interdicti contingentibus.*

484. *De diuersis dubijs ex Carthusianorum statutis orientibus.*

485. *De varijs casibus contingentibus in certis locis, ratione miraculorum.*

486. *Tractatus quo respondetur ad quæstiones Doctoris Ioannis de VVesalia.*

487. *An liceat releuanda paupertatis gratia, ditiores ad monasteria admittere.* forsan idem qui supra.

488. *An B. Maria Magdalena corpore fuerit corrupta.*

489. *Virum Clericum vigilare oporteat.*

490. *De domibus suis in Ciuitatibus.*

491. *Tractatus contra pestilentiam.*

492. *Chronicon triplex; primum ab initio mundi ad annum usque M. CCCLXXI. alterum breue, tertium breuissimum.*

Tanti Scriptoris memoria celebris est apud omnes Ordinis sui Auctores, itemque apud Posseuinum, Gerardum, Io: Vossium; Bibl. Classicam pag. 82.; Bozium, de signis Ecclesiæ lib. 9 Conradum, Gesnerum cap. 31. Theoph. Raynaudum in Brunone Stylita Mystico, Bibliothecam Marianam; Renatum Choppinum, Monast. lib. 11. §. 42. pag. 224 Antonium à Soto maior, in Elencho librorum prauitate doctrinæ reyciendorum, a se pro Regnis Catholicis recognito lib. 1. pag. 626. vbi cum distinguit à Io: Hagio de Indagine Auctore damnato, è cuius calamo excidere Symbola Magnorum Principum, Canones Astrologiæ, & alia farinæ huiusce modi reprobatæ; Ludouicum Iacob à S. Carolo, Bibl. Pontificiæ pag. 2837. & Trithemium in libro de Scrip. Ecclesiasticis imp. Basileæ 1449. cui præmittit censuram eiusdem Ioannis de Indagine scriptam ad præstantissimum virum Ioannem de Amorbach Th. Parisiensem in præliminaribus editam.

LXX.

1475. *Laurentius Roesendalius Brabantus* composuit prælo dignos Tractatus.

1. *De votis Monasticis*. lib. 1.

2. *Sermones de tempore, De Beata Virginis Mariæ Solemnitatibus, & de Sanctis*, prælo nequaquam subditos, sed Ms. in Cart. Eburonum. Postquam Cartusiæ Leodicensis Propræfectus, Moderator Romanæ delectus, in eadem spiritum emisit piissimum pridie kalendas Octobris Anno 1476. à promotione secundo, quæ dicta sint in gratiam Petrei, & Hippolyti Marraccij, quibus incomperta. Commendatur à Dionysio Rickelmio, in præfatione Paraphrasis in Cassianum, à Valerio Andreæ, Soueertio, Petreio in Bibliotheca, iterumque in Appendice; D. Seuero à Neapoli, in Syllabo Priorum Cart. Romanæ, alijsque.

LXXI.

1477. *Cosmas Abecedarius* nequaquam vltimæ notæ Poeta, verùm nomine tenus

inter

inter Cartusienses notus, composuit ligata Oratione librum; cui titulus *Planctus Triumphi septem continens coronas*: Camillus Tutinus Auctor est Cosinam sacris Deo votis Mantuæ obstrictum, ibi etiam hoc carmen typis euulgasse circiter Ann. 1477.

LXXII.

1477. *In Cartusia Herbipolensi* conscriptus fuit hac Ætate liber de Mystica Theologia, *Alphabetarium diuini amoris* prænotatum, in cuius fine adijcitur. *Qui hoc libro vtetur oret pro Ordine Cartusiensi, é cuius fonte hæc processit*. Et infra. Fr. Ioannis Egen. qui ideo sit ne dicendus Auctor, vel rescriptor, adhuc lis sub iudice est.

LXXIII.

1477. *Laurentius Muschesele Alostensis* elaborauit varia; præsertim.

1. *De amore silentij, & solitudinis*.

2. *Tractatum de seruulo Domini nostri Iesu Christi: Precum Christo Iesu acceptissimarum fasciculum*.

3. *Exercitium quoddam spirituale de paruulo, & Agno*. MS. in Cart. Ruremundensi. Vixit in Ordine ad Annos plus minus 40. Prior octennio in Domo Angiana. Ad superos euolauit Anno Christianæ salutis 1487. 3. Decembris; qua Sanctitatis opinione commemorabimus alibi. Inter Scriptis illustres connumeratur a Petro d'Wallio, in Syllabo Inspectorum Prou. Teutonicæ; Valerio Andreæ, Auctore Anonymo Speculi Rosatij Iesus, & Mariæ; P. Sutore, Vitæ Cartus. Tract. 3. cap. 7.

LXXIV.

1480. *Bernardus Legnicensis*, vt in Indice notat Petreius professus Cartusiæ Passionis Iesu Christi prope Legnitz Silesiæ Vrbem, vir, de quo Eisengrenius ait, cum confessionis gloria, tum vita, & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Historicus celeberrimus; multarumque literarum, & rerum peritissimus multa præclarè adornauit, è quibus se vidisse refert Trithemius Dialogum pulcherrimum De *laudibus ac miraculis Beatæ Mariæ*. Hoc tempore florebat juxta ipsum Trithemium, verùm Eisengrenio 1497., Camillo Tutino 1493., sicut & Bibliothecæ Tigurinæ instructori. Opusculum excusum Lipsiæ eodem Anno.

LXXV.

1480. *Ioannes á Deo Venetus*, & Venetæ Cartusiæ Monachus, ac Prior ad posteros transmisit.

1. *De immensa Dei Charitate*. lib. 1.

2. *De humilitate interiori, & vera patientia*. lib. 1.

3. De *Præparatione ægrotantium, & dispositione morientium*. lib. 1.

4. *Coronam senum*. lib. 1.

5. In dictum Chilonis *Noscete ipsum*. Lib. 3. quinque hi libri in vnum volumen collecti, consignati sunt typis, Venetijs primò Anno 1580. in officina Nicolai Ienson Galli, & recusi in quarto Heidelbergæ Anno 1589. quibus addit Trithemius.

6. *Varios sermones*, &c.

7. *Lib. Ep.* Ex eodem Trithemio, Posseuino, Iacobo Alberico, in recensione Scriptorum vrbis Venetiarum à M. Francisco [illegible] lib. 13. de amplitud. vrbis Venetæ pag. 249. multiplici doctrina, ac omnigena virtutum panoplia elucebat Anno ab exordio salutis per Christum octuagesimo, supra Secula quatuor, & decem.

LXXVI.

1480. *Vlricus Herbipolensis*, Hortus Angelorum Cœnobita, sacræ paginæ licentiatus, humanarum que literarum peritissimus lusit suauissimo carmine.

1. *De Sanctis Fundatoribus, processu, statu, ac confirmatione Carmelitarum. Institutis* meritas vices repetidens Arnoldo Reshio, quiaddò luculenter Illustrium Cartusiensium

sium fastos suis encomijs perpetuauit.

2. *Epistolam ad Carmelitas Herbipolenses*, qua eos hortatur ad consectanda Heli atque Helisæi maiorum suorum vestigia. Ætatem reticent Sutor, & Dorlandus Petreius ex Simlero An. prodit 1480, sub quo eumdem collocauimus.

LXXVII.

1481. *Henricus Loen*, *Longen* à Posseuino, & *Logen* à Sixto Senensi dictus, Louanij natus est, vbi & celebre Pedagogium Porcense primus instruxit. Sacris votis postea nuncupatis in Domo Cappellæ commentatus est.

1. *Psalmos Dauidicos*.
2. *Ethicorum Aristotelis* Libros. Concinnauit præterea
3. *Varios sermones*.

Ius dixit Cartusiæ præfatæ apud Angiam, deinde Annis bis denis Brussellensi recenter conditæ, sed & totam Flandro-Belgicam Prouinciam Conuisitator meritissimus gubernauit per octennium, qui tandem pressus senectutis sarcina, in Ordinem se redegit, & ad Cartusiam suæ professionis rediens, ibidem æternitati maturus, mortalitatis pondus deposuit, Ætatis An. septuagesimo primo, quem laudibus cumulant Dorlandus lib. 7. Chron. Cartus. cap. 31. Bostius Carmelita, cap. 34. Petrus d'Wallius in syllabo Visitat. Prou. Flandro-Belgicæ, Raissius, & collectores Athenarum Belgij.

LXXVIII.

1482. *Iacobus Volradi* professus Cartusiæ Erphordianæ gesta Iacobi de Clusa, cum quo familiariter vixerat, posteris commendauit, quæ Ms. in celeberrima Cartusia loci istius asseruata, eumdem recensione in hunc syllabum dignissimum efficiunt.

LXXIX.

1486. *Henricus Dissenius* Westphalus, ex Osnaburgo stipendia fecit sub Brunone in Cart. Coloniensi, in qua etiam Sacristæ, & Propræfecti partes diù sustinuit, & abijt ad meliores sedes Ann. 1486. postridie Diuæ Catharinæ virg. & mart. Reliquit in Schedis.

1. *Sermonum Dominicalium* volumina 4. sub titulo Fasciculi.
2. *Viridarij in Psalterium* volumina totidem.
3. *Postillas in Euangelia de Sanctis* duobus compræhensas voluminibus.
4. *In Euangelia* Dominicalia *alias, atque alias expositiones* 4. libellis distinctas.
5. *Collationes tres de Præsentatione B. Mariæ*.
6. *Collationem in Capitulo Generali de laude Ordinis Cartusiensis*.
7. *Epistolas quatuor ad Monachum tentatum*.
8. *Epistolam ad Principem quendam*.
9. *Quo pacto Hæreticorum fraudes deprahendi queant.*
10. De *multiplici bonorum verecundia*.
11. *Sermones de Sanctis*.
12. *Homilias XL. in officium Rorate* Cæli.
13. *Consolationum in Cantica Canticorum* volumina octo.
14. *Sermones capitulares*.
15. *Expositionem in totum Missale*.
16. *Expositionem Antiphonarij*, tribus contentam libris.
17. *Elucidationem nouem lectionum Officij defunctorum*.
18. *In Symbolum Athanasij, & Orationem Dominicam*.
19. *De Sacerdotij Dignitate*.
20. *Expositionem Apocalypsis B. Ioannis Euangelistæ*.
21. *Soliloquia quadam, idest Psalterium de SS. Trinitate, de B. Maria, de Angelis de,*

Omnibus

Omnibus Sanctis, de Venerabili Sacramento, & de Defunctis.

22. De *XIII. mansionibus.*

23. *Sermonem de venerabili Sacramento, collectum ex dictis Sanctorum.*

Vir doctissimis tot vigilijs suspiciendus encomiasticè describitur in Synopsi Scriptorum Matiæ à P. Marraccio compilata, & alibi.

LXXX.

1484. *Henricus Prudens*, Prior Vallis Gratiæ prope Brugas, elucubrauit *Tetralogum deuotionis*, seu opus in tres partes distinctum, secundum discrimen statuum virtuti anhelantium, incipientium nempe, proficientium, & perfectorum. *Dicendi copia, Ordinis grauitate, & sermonis iucunditate plurimum valuit*, inquit, Bostius. Petrus Sutor *Tetralogum deuotionis* præfatum *Henrico Froedio* adscribit, sed vel ipse fallitur in cognomine, vel id duplex Henrico fuit. Mortalitatis compedibus absolutus est Anno à Deo Homine 1484. sexto Iduum Nouembris in Cartusia Buscoducensi. Ita Trithemius, Snoecrtius; Sanderus, in Rerum Brugensium libro; Petrus Sutor, Vitæ Cartusianæ Tract. 3 lib. 2 cap. 7 & Iosias Simlerus, viro absoluto vitæ regularis exemplo, & scriptis nonnisi contentionem ad pietatem redolentibus cunctis spectatissimo coronidem promeritis encomijs imponentes.

LXXXI.

1489. *Arnoldus Beelensen*, de Tolembecque, Vicarius Domus Capellæ, concinnauit.

1. *Paruum Chron. eiusdem Domus.* Terris eripitur An. 1489. Ex Rafsio, in recensione Scriptorum Ord. Cartusiensis, Prou. Teutonicæ.

LXXXII.

1494 *Georgius Pirckamer* Domus Norimbergensis Prior scripsit. *Epistolam ad Magistrum Petrum Danhauser*, qua viro in eruditione prophana versatissimo lectionem SS. Patrum commendat, & studia quæ imprimendo Archetypo *Roma triumphantis* impendebat ad perennitatem nominis Sebaldi schreyers viri clarissimi, conferat, hortatur, cudendis Opusculis spiritualibus Thomæ à Campis tunc in vnum volumen recenter collectis, qua occasione calamum effundit in laudes pietatis eiusdem Thomæ Campensis sub Dat. Norimbergæ XVII. Kal Martias 1494. Hæc Epistola excusa est in præliminaribus eorumdem Operum Thomæ à Campis impressionis Parisiensis A. 1574. apud Michaelem Sonnium.

LXXXIII.

1494. *Ioannes de Lapide Teuto* apud Academias tres sublimis ingenij plenam notis omnibus famam sibi collegit; in Parisiensi, in qua laureatus, & in Doctorem electus, docendo, disputando annos plures insumpsit; in Basileensi itidem, ac in Tubingensi, quas inter primos plantauit, fouit, auxit. Plurima interea literarum monumenta protulit.

1. *Introductorium Grammaticæ lib. 1.*
2. *Dialogum de arte punctandi.*
3. *De propositionibus exponibilibus.*
4. *De arte soluendi sophistica argumenta.*
5. *Commentaria in omnes Logicorum libros.*
6. *In Physicorum libros.*
7. *In Metaphysicorum libros.*

Præclaris huiuscemodi ingenij fœtibus celeberrimus, locupleti insuper Mineruali à Basileensibus ditatus, nec non & pinguibus aliquot Sacerdotijs condecoratus, omnia pro Christo abiecit, secedens in Cartusiam eiusdem Ciuitatis, in qua A. 1494 mortali adhuc grauatus sarcina, typis parauit.

1. *Resolutorium dubiorum, circa Missarum celebrationem occurrentium*, excusum Coloniæ

loniæ 1506. cuius impressionis est in Bibl. Bodleiana, & deinde Venetijs An. 1516 apud Gregorium Rusconium, Constantiæ item Heluetiorum, apud Nicolaum Kalt, sub hac inscriptione; *Casuum, qui sacerdotibus in Missarum celebratione contingere solent.* Itemque Patauij apud Franciscum Bolzetam 1599. Auctore Ioanne de Lapide, Theologo Parisiensi, cum titulo *Decisiones aureæ casuum circa Missarum celebrationem occurrentium è sacris canonibus.*

2. *De his quæ ad dignum sacerdotem exiguntur.*

3. *Summarium Passionis Dominicæ.*

4. De *Ascensione Domini.*

5. *De conceptione immaculata, & Beatissima Virg. Maria.*

6. *Sermones ad Clerum, & ad populum plures.*

7. *Multos præterea diuersorum Auctorum libros per Tractatus, & Capitula distinxit, singulis argumenta præmittens, è quibus sunt Ciceronis de Amicitia, de Officijs, de senectute, de somnio scipionis, libri Ephrem Diaconi,* S. *Ioannis Chrysostomi De Compunctione cordis,* D. *Augustini De Contritione Cordis, lib. Epistolarum eiusdem, omnes fere libri S. Ambrosij, & alia.*

Inter scriptorum Nomenclatores Encomiastem sortitus est Trithemium, Iosiam Simlerum, Marraccium, Possevinum, & Bozium.

LXXXIV.

1500. *Cartusianus Anonymus*, ex Regnis tamen Hispaniarum oriundus elimauit metricè, & publicæ exposuit utilitati.

1. 12 *Triumphos* 12. *Apostolorum imp. Hispali* 1521 *& inscriptos Pontio de Leon* Duci de *Arcos*, typis Ioannis de Varela.

2. *Imaginem vitæ Christi* cusam Hispali 1530. Author, qui se Cartusianum notat, & professum Domus S. Mariæ de las Cueuas, subdit, primum se absoluisse An. 1518. secundum verò 1500. 24. Decembr. ex Bibliotheca Hispana Nicolai Antonij inter Anonymos.

LXXXV.

1500. *Anonymus Hispanicè vertit ex Latino Tractatum Dionysij Richelmij* De quatuor nouissimis; qui liber in Hispania prohibitus est. Doctissimus instaurator recensionis Biblioth. Hisp. inter Anonymos, & Index librorum damnatorum editus pro Regnis Catholicis, ex recognitione D. Antonij à Soto Maior Gen. Inquisitoris.

LXXXVI.

1500. *Henricus friso.* De hoc Auctore desideratur vbi sacra conceperit vota, vel emissa reddiderit, non ingenij vestigia, quæ patent in opusculis, ineditis tamen.

1. De *Nouitiorum Instructione.*

2. *De vita Mon.*

3. *Chronicon sui Ordinis.* Elenchus scriptorum Cartus. in Gallo-Flandria, Possevinus, qui reuocatum è viuis Anno seculari 1500, scribit. Iacobus Wimphelingus, cap. 52. Rerum Germanicarum; Suffridus Petrus Leouardiensis, lib. de scriptoribus Frisiæ, Decade X promeritis eum attollunt elogijs.

LXXXVII.

1502. *Vernerus*, alijs *VVernerus Laerius*, cognomento *RoleuincK*, VVestphalus, ex Diœcesi Monasteriensi, decubuit in Coloniensi cœnobio hoc Anno, clarus ingenij monumentis, quorum Elenchus.

1. *Doctrina Pauli, aut in omnes Epistolas Pauli volumina tria.* lib. 14.

2. *Vita Diui Pauli.* lib. 7.

3. *Paradisus conscientiæ.* lib. 1.

4. *De Sacramento Altaris.* lib. 1.

5. *For-*

5. *Formula timoratorum Episcoporum.* lib. 1. ad Ioannem Episc. Monasteriensem.
6. *Formula viuendi Canonicorum, & Presbyterorum secularium.* lib. 1.
7. *De dignitate, & potestate sacerdot.* lib. 1.
8. *De vera nobilitate, & eius origine.* lib. 1.
9. *De optimo genere gubernandi Rempub.* lib. 1.
10. *De regimine Rusticorum.* lib. 1.
11. *De Hospitalarijs, & operibus misericordia vacantib.* lib. 1.
12. *De fraterna correctione, & visitatione monastica.* lib. 1.
13. *Quæstiones duodecim, de his quibus conuenit tractare sacram scripturam, & de gradibus qui conferuntur in scholis.*
14. *Quæstiones decem* De *profectibus Religiosorum.* lib. 1.
15. *Octo quæstionum.* lib. 1.
16. *Fasciculus temporum, cum circulis ab exordio Mundi vsque ad tempora Sixti Papæ IV.* lib. 1.
17. De *laude VVestphaliæ, & eius conuersione ad fidem.* lib. 1.
18. De *origine Frisonum.* lib. 1.
19. De *contractibus an sint liciti.* lib. 1.
20. De *Kalendario, & Martyrologio.* lib. 1.
21. *Regula viginti pro Prælatis vtiles.* lib. 1.
22. *Sermo de S. Benedicto, dudum impress.*
23. *Quæstio si Christus in Cruce orauerit pro omnibus.* lib. 1.
24. De *Excellentia Alberti Magni.* lib. 1.
25. *Ad quendam nostri Ordinis Abbatem, coactum suscipere Episcopatum.* lib. 1.
26. De *fraternitate vulgari simul conuiuantium.*
27. De *Nouitijs instituendis.* lib. 1.
28. De *differentia passionum, & quid sit passio.* lib. 1.
29. De *securitate licentia Prælatorum.* lib. 1.
30. De *sanctis desiderijs, & modo se habendi in illis.* lib. 1.
31. De *contemplatione simplicium.* lib. 1.
32. *De horis canonicis deuotè persoluendis.* lib. 1.
33. *Sermones multi synodales, capitulares, & populares.*
34. *Epistola innumera, ad* Possuinum in primis, cui in sua cella inspiciendum præbuit operum prænarratorum elenchum. A. ætatis suæ 70. Monachatus vero 48. Indict. 13. sexto Idus Maij. Cartusienses Vallis viridis in nuncupatione Epist. Parænetic æ Martini de Lauduno ad Priorem Magnæ Cartusiæ VVernerum attollunt inter celebriores huius Ord. scriptores. Pauca de eo Perreius in prima editione Biblioth. Cartusianæ An. 1609, licet ex eodem Vbiorum Asceterio. Fasciculum temporum. XVI. præmissi Indicis laborem castigatiorem recudi Pistorius curauit, continuauit Ioannes Linturius ab Anno, quo VVernerus desijt, ad 1514. Gallica quoque lingua donauit circa A. 1495. Petrus Sarget Doctor Theologus, Ord. S. Augustini, ignotus Antonio Verderio in Biblioth. scriptorum huius Idiomatis, sed in medium productus per Franciscum à Cruce Nomenclatorem trium millium ex eadem natione Auctorum. De eo Suuertius in gestis Arnulphi Archiep. Lugdunensis habet. *Ille autem fasciculus temporum præ manibus nostris hæret quondam peruenust è dispositus Gothicis quadratis literis, ab aliquo deuoto Anachoreta Cartusiano sub initio pene ordinis inchoantis Anno 1084. & Domnis fratribus opusculum posthac vario incremento ab aluentibus ad An. usque 1476. quo volumen editum est Louanij.* Verùm sit ne integrus VVerneri labor, aut collectum ab alijs fasciculum auxerit, absoluerit, ac prælo supposuerit, ipse, qui tacito suo nomine, dixit tantùm ad calcem vltimæ pagellæ editum

tum per quendam Cartusiensem, eius Auctor consalutatur cum ab alijs Auctoribus, tum à Vincentio Placcio, qui reuelandis Anonymis Operum compositoribus egregiam nauauit operam. Cæterùm Historicos labores, sub hac Fasciculi temporum nuncupatione, edidisse, & alios, prodit Possevinus, qui V Vernero intimus, librorum eius syllabum ab eo acceptum cum laude recenset App. sacri Tomo 2. cum antea T. 1. pag. 478. de Fasciculo Temporum, Auctoris incomperti spicilegio, dixisset, *Fasciculus temporum, & Passionale meritò contemnuntur, præsertim cum fasciculus ille Marianum Scotum sit secutus, qui secum ipse, & cum veritate pugnat apertè.*

LXXXVIII.

1503. *Franciscus à Puteo.* Vide inter Generales.

LXXXIX.

1504. *Ambrosius Alcutsenius.* Prior Cart. Hortus Christi, & Visitator Prouinciæ Alemaniæ inferioris scripsit librum prænotatum *Fœdus Christianum*, qui hoc Anno Auctoris vitæ penultimo exijt in lucem Augustæ Vindelicorum in 4.

XC.

1505. *Antonius Surianus,* Patriarcha venetus. Vide inter Episcopos.

XCI

1507. *Gosuuinus N. Vide inter Episcopos.*

XCII.

1507. *Petrus Dorlandus,* Diestensis patria, & in eiusdem Cartusia Monachus, ac Prior multa fuit ingenij, morumquæ p obitate conspicuus. Annos natus LVI fe-licem mortem oppetijt VIII. Kal. Septembr. decurrente Orbis renati Anno 1507. Opusculorum nullum commemorat Petrus sutor, tria solummodo Possevinus, at Valerius Andreæ, & Suueertius plura, Petreius copiosiorem reliquis Catalogum depromit, ut sequitur.

1. *Corona de viris Illustribus Ord. Cartusien. siue Chronicon Ordin. Cart.* imp. Coloniæ A. 1608. apud Cholinum, illustratum Notis eiusdem Petrei.

2. *Dialogus de perseuerantia Nouitiorum.*

3. *Dialogus de stabilitate Monachorum.*

4. *Dialogus de vitio proprietatis Monachorum.* Louanij 1513. apud Theodorum Alostensem.

5 *Tractatus quomodo sancta religiosis instituta, corrupta, & reformata.*

6 *Dialogus de vera amicitia.*

7. *Dialogus de remedio amoris, practicus.*

8. *Dialogus de remedio amoris, heroicus.*

9. *Dialogus de opere amoris, & passione Christi.*

10. *Dialogus de mysterijs passionis Christi.*

11. *Dialogus de extremis hominum calamitatibus.*

12 *Dialogus de dominatu vitiorum.*

13. *Dialogus de dominatu virtutum.*

14 *Dialogus de vera hominis sapientia.*

15. *Dialogus de vera hominis beatitudine.*

16. *Dialogus de laude, & claritate vera iustitia.*

17. *Dialogi sex Theologiæ naturalis Raymundi Sebundij Hispani, inscripti, Viola Animæ; quibus addidit VII. suo calamo concinnatum.* Lucem aspexere Antuerpiæ 1533. in 12. apud Martin. Cæsarem, & 1543. in 16. apud Io: Hillenium.

18. *Dialogus de vera patientia, ex Chrysostomo* ad Stagirium. Monachum obsessum.

19. *Dialogus inter sapientem, & insulsum.*

20 *Dialogus inter Io: Diestemium Blaerum, & Seruatium de cognitione sui, concinnatus*

tum ad instantiam eiusdem Io: Blari, cuius etiam Tractatum de Reuelatione institutionis festi venerab. sacramenti correxit, prout liquet ex mutuis eorumdem Epistolis præfixis ipsimet libello, excuso opera P. Io: Maioris è soc. Iesu in Magni speculi exemplorum, 6. Duacenæ editionis, pag. 348. Tit. Festum.

21. *Dialogus de Vnione.*

22. *Dialogus de institutione optimi Pastoris.*

23. *Explicatio mystica habitus Cartusiensis.* Louanij 1514. in 8.

24. *De pugna, seu militia spirituali, Sermones tres.*

25. *De quadruplici hominum genere à spirituali prælio reuocando.*

26 *Dialogus de S. Cæcilia, cur Phœnici comparetur.*

27. *Dialogus de S. Vrsula, & sodalibus eius.*

28. *De inuentione, & passione S. Laurentij mart.*

29. *Sermones valde celebres de S Laurentio.*

30. *De S. Vincentio Ferrerio Ordin. Prædic.*

31. *Vita S. Romani Militis, & Martyris.*

32. *De varijs S. Antonij Abbatis tentationibus.*

33 *De Vita, & conuersatione S. Catharinae Virg. ac Mart.*

34. *De passione eiusdem ex Baptista Mantuano.*

35 *De septem B. Mariæ gladijs.*

36 *Dialogus de fraternitate Compassionis eiusdem.*

37. *Dua Corona rosacea B Mariæ* versibus heroicis.

38. *Psalterium B. Virginis, Maius.*

39. *Psalterium aliud eiusdem, minus.*

40. *Diadema S. Annæ versibus elegiacis concinnatum.*

41. *Vita ac res gesta Beatæ Annæ lib. V. imp.* Antuerpiæ, typis Reerbergianis Anno 1617. in fol. vnà cum vita D.N.I. Christi, Auct. Ludolpho saxone, cum prius in compendium redacta ab Ascensio, & Notis illustrata à Io: Dadraeo prodijsset Parisijs Anno 1581. apud Guerræos in fol. Itemque in 4. An. 1587. prælo Bonelliano.

42. *De laudibus S. I: Euangelistæ, lib.* Mſ. in Biblioth. Georgij Coluenerij.

43. *Lib. Epistolarum.*

44. *Lib. orationum ad SS. Trinitatem.*

45. *Psalterium de vita, & passione D.N.I. Christi.*

46. *Rosacea Corona.*

47. *De pane salutifero vitæ.*

48. *De laude meditationis.*

49. *Speculum humanæ vitæ.*

50. *Editio philomela, Christo comparata.*

51. *Disputatio Iesu duodennis cum Doctoribus in templo.*

52. *Tractatus de laudibus spiritus sancti prædicabilis*

53. *Sermones complures de tempore, & de sanctis.*

54. *Sermones notabiles ex sermonibus B Leonis Papæ de passione Domini.*

55. *Item nonnulla ad Moniales lingua vernacula.*

56. *Tractatus de tribus Cartusianorum votis.*

57. *Dialogus de duabus vijs.*

58. *Hymni aliquot deuoti.*

59 *Collationes de militia spirituali.*

60. *De Sacerdotum dignitate.* Hi quinque lib. vltimi seruantur Mſ. in Biblioth. Coloniensi. Reliqua oculis obuersarentur in Cartusia Zeelmensi, si Nouatorum seuitie excisa, funditus nequaquam corruisset.

61 *Dialogus inter Christum, & Franciscum super charitate procuratrice salutis* nostræ, legitur Mſ. in Bibliotheca Academica Louanij, teste Valerio Andreæ, cui notus fuit, sicuti & Sueertio, Posseuino, Gesnero, Marraccio, Petro Surorio, & Gerardo Io: Vossio.

XCIII.

1508. *Zaccarias Benedictus, patria Vicentinus*, in Cart. S. Andreæ de littore Venetijs Brunonis legibus obstrictus, eiusdem vitam heroico carmine pangebat circa An. 1508. Reperitur in calce operum eiusdem Diui Brunonis, antiquæ Parisiensis editionis typis Ascensianis. Ex Vossio dudum laudato.

XCIV.

1509. *Ioannes* Weitman liberalium artium Doctor, &, nondum Monachus, Parochialis Ecclesiæ alibi Pastor, vota emisit in Aula Beatæ Mariæ iuxta Memmingam. Conscripsit librum. *Meditationum vitæ, & Passionis Domini nostri Iesu Christi.* Et appositus est ad Fratrum cineres Seculi à partu Virgineo decimi quinti Anno nono.

XCV.

1509. *Gerardus Hael* edidit de *Missæ expositione, ac dubijs circa eandem occurrentibus* Mſ. in Cart. Coloniensi, cuius erat Ascera.

XCVI.

1510. *Gundisalaus de Sancta Maria* I. V. D. eximius compilauit *Constitutiones Sacræ Valentinæ Ecclesiæ in Aragonia*, Auctor Prospectus Chronologici Sacri Ord. Cartusiensis fidem facit.

XCVII.

1510. *Petrus Leidensis*, seu Lugduni Batauorum natus, agnomine *Blomeuenna*, matris peste sublatæ vberibus admotus est à Cognatis pingui illius hæreditati inhiantibus. At Deo fauente sospes, Anno 1489. Ætatis 22. Brunoni se deuouit in Cart. Coloniensi, in qua septuagenarius decubuit. Rexit eandem Cartusiam Coloniensem Annis 32. vno minus, quibus etiam præfuit Rhenanæ prouinciæ, publicus visor non semel renunciatus. Theodorico Loherio in Dionysij Cartusiani Operibus è tenebris eruendis præsto fuit. Quæ præterea eruditorum commodo ipse exposuerit, indicat admonitio ad quemdam amicum ab ipso transmissa, & excusa in prospectu opusculi de Sacramento Altaris, seu Enchiridij Sacerdotum impressionis Coloniensis apud Io: Dorstium 1532. in 8. seorsim ab alijs.

Agnoscat tua prudentia Frater in Christo carissime, opuscula pauca, modicaque, quæ edidi, sine meo nomine prodijsse, vt est liber; quem Candelam nuncupaui, quem secundò auxi, & recognoui. Et alius quem de effusione cordis inscripsi: Nec non, & ille prologus, quem præposui libro D. *Henrici Harphij, ex vulgari in latinam linguam á me in simplicissimo idiomate translato, eo quod Verbum, é Verbo pressius posui. Cum vero reprehenderent me amici, quod nomen meum fabricauissem, permisi vt alij apponerent; Quod & fecerunt in libro* Directorij *parui contemplatiuorum, & in præsenti isto Enchiridio. Edidi etiam vitam S. Brunonis initiatoris Ordinis Cartusiensis, & sermonem de eodem á me declamatum in Capitulo nostro generali sine titulo nominis mei. Si in hoc peccaui ignosce mihi.* Igitur Blomeuennæ opera sunt.

1. *Candela Euangelica.*

2. *De effusione cordis.*

3. *Introductiones ad* II. *librum Theologiæ mysticæ Henrici Harphij* vnà cum ipsis impressæ.

4. *Enchiridion Sacerdotum, seu de Sacramento Altaris.*

5. *Directorium Contemplatiuorum.*

6. *Vita S. Brunonis, cum sermone de eodem.* Petreius Syllabum ampliorem emisit, & recenset

recenset inter eius Elucubrationes etiam, quæ sequuntur titulo.

7. *De natura Dei*.

8. *Exhortatio ad iuuenes, idest de vera Religione*, lib. in quo agit de varijs casibus, qui accidere Nouitijs retro respicientibus.

9. *De bonitate diuina* .lib. iv. excusi seorsim ab alijs Coloniæ 1538. typis Nouesianis.

10 *De auctoritate Ecclesiæ*.

11. *Expositio in Psalterium 126*.

12. *Contra Anabatistas*.

13 *Appendix ad Candelam Euangelicam, contra abusus filiorum Ecclesiæ*.

14. *De Inuocatione Sanctorum*.

15. *Assertio Purgatorij* lib. 1.

16. *Epistola ad Doctorem Arnoldum Tungrensem*.

17. *Informatio succincta de diuersa ratione adorandi Deum, Sanctos, & homines*. lib. 1. Quæ omnia, eodem Petreio teste, euoluuntur in Bibliotheca Coloniensi typis consignata, vnà cum prænotatis.

Gisbertus Blochouius eiusdem Sodalitij professus scripsit Apologiam horum Operum, quæ legitur ad calcem libri iv. De bonitate diuina.

Posseuinus bis agit de Petro Leydensi, nempè (mihi) pag. 41. & 58. Primo loco ei attribuit. lib. iv. *De Bonitate diuina*, *De natura Dei*, *Enchiridion Sacerdotum*, *& vitam S Brunonis*; in secundo solius exhortationis ad iuuenes constituit Auctorem. Sed vel bis agit de eodem Auct. vel perperam vnum ab alio distinguit.

XCVIII.

1511. *Bernardinus Mastrillus*, nobilis *Nolanus* I. V. D. omnigenaque eruditione excultus, Prior Monasterij Neapolitani, & Anno 1508 Prouinciæ s. Brunonis Visitator mortalem sarcinam, honorisque pondus deposuit 12. Decemb. Anni millesimi quingentesimi vndecimi. Eius Mſ. Elucubrationes sunt.

1. *Commentaria in ius Canonicum*.

2. *Sermones de Sanctis*.

3. *Sermones in Euangelia per Annum disposita*. Nomenclator Scriptorum Regni Neapolitani Nicolaus Toppius pag. 46.

XCIX.

1515. *Rodericus de Valdepennas celebri illustrauit Glossa Carmina Georgij Manriquij de vanitate Mundi*. Professus fuit Mon: del Paular, & Prior Mon. Granatensis recens fundati. Hoc opus adornabat circa Ann. 1515. Franciscus de Pedraza in hist. Granatensi, parte iv. cap. XLI.; Instructor Bibl. Hisp. Tom. 2.

C.

1515 *Laurentius Iustinianus, Ligur*, non Venetus, Sacræ Anachoresis asperitates cælestibus sibi temperabat delitijs, quarum specimen dedit elucubratione Mediolani excusa M. D XV. inscripta *Hortus delitiarum*. Prodijt in gratiam Gasparis Bracelli Grimaldi viri præstantissimi, ad supremum Reipublicæ Genuensis clauum moderandum admotus Anno exacti Seculi vndequinquagesimo, quemadmodum liquet ex Epistola eiusdem Bracelli edita in præliminaribus operis, & ex Augustino Oldoino, in suæ Patriæ Scriptorum Atheneo.

CI.

1518. *Ioannes de Padilla* Hispanico idiomate, sed antiquata carminis forma edidit lib. titulo *Retablo de la vida de Christo*. Hispali apud Ioannem de Vela 1518. in fol. Nicolao Antonio Bibl. Script. Hispaniæ Tomo 1. referente.

CII.

1521. *Guillelmus Bibautius*. Vide inter Generales.

CIII.

1524 *Ioannes Picus*, Gallus, Luteriæ Parisiorum Professus, hoc Anno impressum ibidem concinnauit opus in Cantica Canticorum, quod incipit, *Rex pacificus* in 8.

Idem *Paraphrases, & Annotationes in Psalmos* conscripsit, eodemque Anno cudendas curauit, quæ tamen in Indice Romano legi prohibentur. Ita Miræus Script. Seculi XVI. cap. 31. Alius fuit à Io: Pico, in Senatu Parisiensi classium inquisitoriarum Præside, qui Macarij Ægiptij, Marci Eremitæ, Hippolyti Martyris, & aliorum opuscula ex Græco in Latinum transtulit.

CIV.

1524. *Martianus N.* ad S. Andream de Littore Venetijs Præfectus, Musis Amicus, carmine pangebat *Quare Cartusiani non colant proprios Sanctos*.

CV.

1525. *Iudocus Hessus*, circa hæc tempora Cartusiæ Pontis Beatæ Mariæ in Astheim moderator, & Anno 1530. ad Erphordiensis præfecturam traductus, præter Sermones Capitulares Guillelmi Bibaucij è tenebris erutos, suo Marte edidit.

1. *Vitam S. Brunonis* carmine Hexametro.

2. Orationes varias prosa eleganti, inter quas habitam à se Anno 1521. *De optimi Pastoris officio, deque ouium præfectura*. Conclamatus est Erphordiæ Anno 1539. in cuius effigiem ad viuum expressam quidam hosce lusit versiculos.

Lustra mea vita numerans vndena Iodocus.
Hessus, adhuc vegeto pectore talis eram.
Cartusianus eram Princeps, voteque disertus,
Hinc dedit ars nomen, vitaque Sancta mihi.

Vigilias laudatas vidi formis expressas in antiquo Codice Bibliothecæ Trisultanæ, vnàque varias eius Epistolas, in quibus se podagra laborare conqueritur.

CVI.

1525. *Gregorius Rieschius, Germanus*, Artium Magister I. V. primæ notæ Doctor Maximiliano Cæsari à sacris Confessionibus, ad Cartusiam Friburgensem se contulit, vbi breui eos de se excirauit clamores, vt primò quidem Friburgensis Prior fuerit renunciatus, deinde in Prouinciæ Rhenanæ Visitatorem adlectus. Edidit in Seculo.

1. *Margaritam Philosophicam*, quam deinde Orontius Fineus necessarijs aliquot commentarijs auxit Basileæ in 4. per Henric. Petri 1583.

2. *De memoria artificiali*.

Et in Ordine, grauibus curis Mineruam intermiscens, consignauit typis Ioannis Amorbachij impressoris Basileensis.

3. *Priuilegia à Summis Pontificibus Ordini Cartusiensi collata, & à se in vnum volumen redacta* Anno 1510. in fol.

4. *Ordinis statuta concordantijs marginalibus à se collustrata* Anno 1510., ambo in folio inscripta ad Reuerendissimum Patrem Franciscum de Puteo Ord. Gen. Huic Instituto adhæserat iam ante elapsum Seculum à Virgine Puerpera quartum decimum. Nam Io: Eckius de se, ait. *Friburgi Anno 1502. humanioribus vacans studijs, sæpè non nihil suffuratus temporis ad R. P. Gregorium Rieschium, in Cartusia accedebam, Auctorem Margaritæ Philosophicæ, & Mathematicam ab eo didici, & multa secretioris Theologiæ*. Vitalis cursus metam attigit 1525. 9. Maij, Maximilianus Cæsar in ea, qua defunctus est, infirmitate, hunc virum præcipuè voluit sibi adesse, cui interiores omnes conscientiæ latebras explicaret, & missis qui absentem magnis itineribus ad se accerserent, eo viso, inquit, *Hic est qui me ad Cælos promouebit*. Tantus vir haud latuit Posseuinum, Gesnerum, Iosiam eiusdem compendiatorem, qui de eo cum laude

nequa-

nequaquam merito impari ficut & Gerardus de Roo Bibliothec. Ferdin. 2.Hift. Auftriacæ, lib. 2.

CVII.

1526. *Henricus Eleri* per Annos viginti Cartufiæ Roftochianæ Prior, ac *Saxonicæ* Prouinciæ Luftrator, fcripfit *Vitam Domini Noftri Iefu Chrifti, eiufque Sanctiffimæ Genitricis Mariæ* in 4. ad quorum confortium euolauit hoc Anno.

CVIII.

1526. *Theodorus Harlemius Batauus*, poft Philofophiæ, & Sacræ Theologiæ fpatia Parifijs gloriosè emenfa, & Doctoratus infignia ibidem accepta, Coloniam fe conferens, illic in Sacram Cartufianorum Inftitutionem adfcitus, ornabat fua eruditione Seculi à Deo abbreuiato fexti decimi annum plus minus circa vigefimum fextum, licet modo ineditis eius vigilijs fola eorumdem Agrippinenfium Cartufianorum Bibliotheca locupletetur, quæ funt 1. *fermones varij*.

2. *Epiftola, feu Exhortatio infignis ad quemdam Cartufianum de folitudine ac filentio*. Meminere Theodori Petreius, Athenæ Belgicæ Suuertij, & Valerij Andreæ, nec non & Tocini profpectus Hift. Cartuf.

CIX.

1529 *Thomas Spenferus*, *Norfolcenfis Commentarijs illuftrauit Epiftolam* Diui *Pauli ad Galatas*, & veraciter informatus de grauibus, quas cum Repfo quodam grauiffimo Catholicorum Theologo, habuerant querelas Bilnæus, & Latimerus hæretici, Opufculum edidit, prænotatum. *Trialogus inter Bilnæum, Latimerum, & Repfum*. Lib 1. Alia elucubrauit, de quibus nil certi conftat, & naturæ debitum foluit in Cœnobio Hintonenfi, Comitatus Somerfetenfis, ubi facta vota Deo nuncupauerat. A Pitfeo, & Poffeuino Anglicæ, & Ecclefiafticæ Bibliothecæ inferitur.

CX.

1530. *Guillelmus de Branteghem*, Io: filius olim Borfaliæ apud Zelandos Præfecti, & Quæftoris, patria Aloftanus, materna lingua compofuit.

1. *Pomarium Spirituale, & myfticum omnigena veterum, recentiorumque animorum Chrifti fidelium fructuum vbertate excultum*, Antuerpiæ 1533. apud Mart. Cæfarem prælo fuppofitum.

2. De *Preparatione ad mortem*. Lugduni 1542. in 16. iterumque Antuerpiæ eadem forma Anno 1553.. Vixit Deo mancipes in Cartufia Antuerpienfi. Deuixit nefcio quando. Collectores Bibliothecarum Galliæ, & Belgij.

CXI.

1530. *Michael Dierick*, Prior fyluæ S Martini, vifitatoris in Prouincia Flandro Belgica munere functus, tranftulit è Germanico idiomate *Agalma Religioforum*, fiue Meditationes Dominicæ Paffionis, à Guilelmo II. Comite Hollandiæ confcriptas. Petrus d'V Vallius, in elencho Patrum, qui cum poteftate cenforia Prouinciam Teutoniæ luftrarunt.

CXII.

1530. *Iacobus Hieronymi*, Parifienfis Doctor, eiufdemque loci alumnus Auctor fuit.

1. *Concionum diebus feftiuis occurrentium* Parifijs imp. 1538. apud Cheualonium.

2. *Hecatoftichon, feu Apologia pro phrafi, qua Diuus Bruno in fuis fcriptis vfus eft, und cum ipfis dini Patriarchæ operibus excufa*.

3. *Idilliorum præcipuè in Auguftiffimas facræ Triadis perfonas*, de quorum impreffione fruftra Petreius ambigit, cum in Bibliotheca Bodleiana reperiantur emanata è prælo Parifienfi A. 1538. in 4. Recenfetur à Iofia Simlero, in Epitome Gefneriana; Poffe-

vino

vino, in Apparatu, & alijs, sub tempore quo erat in via ad Æternitatem, nempe vindicatæ humanæ salutis Anno trigesimo supra mille quingentos.

CXIII.

1533. *Ioannes Batmansonius* Cart. Londinensis doctissimus, ac pijssimus moderator, doctrinæ suæ argumenta reliquit.

1. *Cantica Canticorum Salomonis*, lib. I.

2. *In Prouerbia eiusdem*. lib. I.

3. *De vnica Magdalena contra Fabrum Stabulens.* lib. I.

4. *De Christo duodenni*. Homil. I.

5. *In Euangelium illud, missus est*. lib. I.

6. *Institutiones Nouitiorum*. lib. I.

7. *De contemptu mundi* lib. I.

8. *Aduersus D. Erasmum Erasmum*. lib I. iussu Eduuardi Leu. Archiepisc. Eboracensis.

9. *Contra Martinum Lutherum*.

10. *Retractationum quorumdam scriptorum suorum* lib. I. Memoratur à Theodorico Loerio in Ep. nuncupatoria Comment. Dionysij Cart. in 4. Euangelia ad Henricum VIII. Angliæ Regem. Londini in suæ professionis Monasterio mortem opperijt Decimo sexto Kalendas Decembris A. 1531. Pitseus, Nicolaus Brigamus, & Petreius.

CXV.

1531. *Nicolaus Brunsvichius*, Moderator Cartusiæ Argentoratensis posteris consignauit Tractatus 1 *De* Præparatione ad sacrificium missæ, 2 meditationes pientissimas pro Missæ, & Canonis intellectu imp. Coloniæ Agrippinæ impensis Io. *Dorstij* hoc Anno unà cum enchiridion Sacerdotum Petri Bloemeuennae, & opusculo Ioa Romberch *De* Ratione confitendi.

CXV.

1533. *Sebastianus Petri*, Amstelodamo-Batauus præfixit hymnis proprijs Ordinis Cartusiensis, quique à *Dionysio* Rickelio commentarijs illustrantur Cartusiasticon, distinctum elogijs, versu hexametro. Scriptis immortalitatem sibi comparabat, Ætatis superioris Anno tertio, & trigesimo.

CXVI.

1534. *Franciscus Talemanius*, *Edami* in Hollandia natus, Louaniensis Cartusiæ Prior, floruit illic Anno Domini M DXXXIV. homo literatus, & industrius *Dedicauit* Mariæ Halmaliæ Marchionissæ Aerschotanæ, Guillelmi Croy viduæ *Commentaria Dionysij Rickely in lib. Iob, Tobiæ, Iudith, & Hester*, *eisdem* præfixa doctissima Epistola, quo monumento dignus habitus est ab instauratoribus Bibliothecarum Belgij, & Kailsio qui suis laboriosis, præclarisque inferretur eruditorum elenchis.

CXVII.

1534. Ex officina Melchioris Nouesiani Bibliopolæ Agrippinensis prodijt in lucem hoc Anno 1534. liber de triplici uia Purgatiua, Illuminatiua, & vnitiua, Auct. Hugone de Palma, vel ut alij malunt *Henrico de Baldea*, cuius vitæ tempus incompertum Auctoribus. Thomas Bozius ei adscribit opus illud admirandum *de mystica Theologia*, quod Gersoni hactenus adiudicatum fuit. Lector consulat lib. 9. cap. XI. de signis Ecclesiæ, & memorabilem eamdem lucubrationem euoluens, adnotet, Auctorem non obscurè insinuare, se Cartusianam vitæ rationem amplexum.

CXVIII.

1535. *Ioannes Houghtonus* è Comitatu Estsexiæ in Anglia, in Academia Cantabrigiensi

g nsi

genfi artium Liberalium, & Philofophiæ Baccalaureus, in utroque poftea iure laureatus, ex Monacho in Domo Annunciationis Beatæ Mariæ, Prior Bellæ vallis, & claro Ioanne Batmanfonio, Londinenfis Præfectus, cum vifitandæ Angliæ munere, tandemque pro inuicta auctoritatis Pontificiæ affertione fub Henrico VIII. crudeli laniena fublatus, ficut iugulo fortiter dato martyrum agmen adauxit, ita quoque fcientiarum enciclopædia feliciter abfoluta Pitfeanam literatorum Angliæ recenfionem locupletat, penes quam hæc eius opufcula lego.

1. *Concionum.* lib. 1.

2. *Epiftolarum maximè ad Theodoricum Loherium Cartufianum*, lib. 1.

CXIX.

1535. *Michael N.* cuius apud Turinum memoria ad hunc Annum, regebat Cartus. Vallis S. Mariæ in Gyrio, fummumque puritatis ftudium prodidit duobus editis libris, De cuftodia virginitatis.

CXX.

1537. *Gifbertus Blochonius*, Trajectenfis defendit Opufcula Petri Leidenfis graui Apologia, quæ addita eft ad calcem operis eiufdem, de bonitate diuina. Claruit in Cart. Colon. An. 1537. quemadmodum indicant fyllabi Belgici.

CXXI.

1537 *Petrus Sutor*, Gallus, Parifienfis Theologus, ad regimen multorum Monafteriorum, immò ad vifitationem Prouinciæ Franciæ affumptus Seculo exacto præ cæteris in Ordine illuxit.

1. *Duobus de Cartufiano Inftituto*, libris, nec non & alijs elucubrationibus, Parifijs 1522. Editis, Coloniæ apud Gualterum, 1609. in 8. & Louanij 1572. in 8. apud Ioannem Foulerum.

2. *De triplici Diuæ Annæ Connubio.* Paris. 1523.

3. *De Monafticis votis aduerfus Lutherum.*

4. *Apologia pro vulgata Bibliorum editionis defenfione.* Paris. 1525.

5. *Antipologia contra Erafmi Apologiam aduerfus Sutorem.* Paris.

6. De *Poteftate Ecclefiæ in occultis imp. Luter.* 1546.

7. *Apologeticum in Antico maritas B. Virginis laudibus detrahentes.* Paris. 1526. in 4. Obdormijt in Domino A. 1537. 18 Iunij, & laudatis vigilijs Miræanum, Scriptorum Ecclefiafticorum Auctuarium, cap 32. Sacram Poffeuini, Clafficam Draudij, & Cartufianam Petrei Bibliothecas illuftrat.

CXXII.

1538. *Paulus Dionyfij*, quem omiffum in fua Bibliotheca producit in Appendice ad eamdem Petrelus, euulgauit Venetijs fummam breuem doctrinæ in Ep. B. Pauli Apoftoli contentæ, nihilque aliud fuggerit, quod de eius ætate, muneribus, aut profeffionis loco proferamus.

CXXIII.

Petrus Vafforius, Philippi Regis Caftellæ in literis probifque moribus inftitutor, aulam pertæfus Cartufienfem fe reddidit, inter quos Patrum Gandenfium diù Præfes, Prouinciæ Theutoniæ A. 1506. & 1527. iteratis calculis publicus Vifor adlectus, à Carolo V. condigno habitus in honore, Cæfarea qua pollebat gratia, & diuinis quibus elucebat fauoribus æternùm apud pofterorum memoriam victurus, mortalitatem expleuit feptimo Idus Augufti. Nonnulla elucubrauit nondum typis commiffa. Ex Petro d'Wallio in recenfione illuftrium virorum, quibus Infpectoris Prou: Belgicæ munus delatum, Dionyfio Harduino, & Sandero.

CXXIV.

1539. *Io: Iuftus, Lanfpergius, ex Lanfperga Bauariæ Ciuitate* Annis 30. quibus fuaue

Q Domini

Domini iugum inter Cartusienses portauit conuersationis probitate, Iusti re & nomine gloriam sibi collegit, cum qua aptissimi etiam animarum directoris celebrem famam promeruit suis opusculis, ut infra, euulgatis.

1. *In totius Anni Dominicales Epistolas, ac Euangelia Paraphases.* Coloniæ 1545. & ibidem 1553 in fol. Antuerpiæ 1578. & 1575. in 8. apud Hæredes Io: Stelsij.

2. *Enchiridion militia Christiana* multiplici editione distractum Nouesiana 1555. Colon. in folio. Antuerpiæ apud Lucam Bellerum, iterumque Coloniæ 1607. apud Mylium in 12. Gallica etiam versione ornatum à Ioanne Iarry Priore Cartusiæ Fontaneti. Lector abijciat impressiones Complutensem 1551. & Agrippinensem Birckmannicam 1607. nimirum in Indice Romano nota inustas castigationesque perare ex eodem syllabo recuso pro Regnis Catholicis, vnà cum expurgationibus corrigendorum Mattiti 1667. Class. 11. p. 716.

3. *Alloquia Iesu Christi ad animam fidelem.* Louanij 1572. Coloniæ 1590. per Horst, cum Colloquio Guitroedij Cartusiani, itemque apud Butgenium 1607.

4. *Exercitia, precationesque pro infirmis.*

5. *Epistolarum paraneticarum.* lib. 2.

6 *Exercitiorum Christiformium.* lib. 1.

7. *Vita saluatoris nostri Iesu Christi* 150. meditationibus descripta. Lucem aspexit viuente Auctore A. 1537. apud Gennepæum in 8.

8 *Pharetra diuini amoris.* Colon. 1607. in 12 apud Conradum Butgenium, cuius typis etiam recusa fuit 1620. Moguntiæ item 1616. Italicis quoque auribus accommodata prodijt Venetijs An. 1549. in 8. per Paulum Gherardum, ibidem 1586. in 8 & demum 1605 eadem forma apud Petrum Ricciardi, quæ impressio, quemadmodum & reliquæ, interpretem præfert D. Seraphinum à Bononia Canon. Regul. Lateranensem, cuius mentio in Bibl. Bononiensi Antonij Bumaldi, itemque in Hist. Tripartita Can Reg. Pennotti.

9. *Hymnorum diuersorum* lib. 1.

10. *Meditationum in XXII. Threnos.* lib. 1.

11. *Soliloquiorum* lib. 1.

12. *Threnorum de Beatissima virgine.* lib. 1.

13 *Homilia. 56 in totam passionem, & agoniam Iesu Christi, & alia nonnulla de hac eadem materia.*

14. *Demonstratio elegans, quanam sit vera Religio Euangelica, ad Carolum V. Imperatorem.*

15. *Dialogus inter militem Lutheranum, ac Monachum.*

16. *Speculum perfectionis Christiana.*

17. *Sermones capitulares, qui in pracipuis Anni festiuitatibus concionis loco capitulariter recitari solent, & religiosis pracipuè conueniunt.* Coloniæ 1536. Omnes hi labores excusi primo Coloniæ A. 1555. simul in 4. apud Ioannem Nouesianum, & Cholinum. & deinde alijs impressionibus seorsim editi.

18. *Manuale Equitis Christiani*, Gallico eloquio interpretatum à P. Ioanne de Bylli Priore Cartusiæ Montis-Dei, & in lucem edit. Parisijs 1571. in 4. apud Guillelmum Chaudiere.

19 *Exercitia spiritualia deuotissimis Rosarijs, & alijs precationibus distincta.* Venetijs A. 1575.

20. *Enchiridion vita spiritualis ad perfectionem* Parisijs apud Michaelem Roinlum 1575. Quæ duo notantur à Possevino.

21 *Vita S. Gertrudis.* lib. 5. Italicè interpretati, ac excusi Venetijs 1660. apud Io: Bapt. Combi, ibidem recusi. 1660. apud Nicolaum Pezzanam, traductore Vincen-

tio

tio Buondi, unà cum exercitijs spiritualibus.

22. *Liber quinque partibus spiritualis gratiæ Reuelationum, & visionum B. Mattildis Virginis*, Italicis auribus accommodatus ab Antonio Balladino Venetijs apud Pezzanam ibbo, in 4, unà cum præfatis vita, & exercitijs spiritualibus Diuæ Gertrudis.

23. Lib. titulo *Candela Euangelica* qui Coloniæ prodijt. A. 1527 apud Ceruicornum non esse genuinum Lanspergij fœtum senrit Posseuinus, sed ab alio Auct. elaboratum, qui noluit suum nomen prodere Pijssimam efflauit animam III. Idus Augusti 1529. Eminet in nomenclationibus Scrip. editis à Bozio lib. ix. cap. xi. Conrado Gesnero, Posseuino, Bumaldo, Verderio, & Marraccio.

CXXV.

1540. *Lambertus Pascualis* Confluentinæ Cartusiæ Moderator in promouenda editione operum Dionysij Rickelmij sedulò adlaborauit, ex quibus ipse Anno 1509. inscripsit Carolo Geldriæ, ac Iuliæ tunc Duci Commentaria in omnes Epistolas D. Pauli. Huic Pascuali Melchior Nouesianus percelebris Typographus virtutis, ac eruditionis ergo Anno 1540. inscripsit Ioannis Cassiani libros XII. à Dionysio Rickelmio paraphrasticè redditos.

CXXVI.

1540. *Petrus de Vinea*, cuius Ætatem, Annum nempe nostræ salutis quadragesimum vltra quintum decimum solus Totinus in laudato Prospectu exsignat, virtutes coronauit suas eruditione, cuius extat vestigium in opusculo prænotato *Corona Spiritualis*. Meminere huius Petri Posseuinus, Petreius, & alij eum distinguentes à Petro de Vineis Auctore Epitome Hist. *De gestis Friderici II. Imperatoris*.

CXXVII.

1540. *Vincentius Manerius, Calaber* è Terra noua, Græcis, Latinisque literis exculrus, nec leuiter in Poesi versatus, in Insula Capritana Religiosæ obseruantiæ Sacramentum emisit, cuius opera edita sunt.

1. *De Morte Christi*. lib. 3. heroico carmine Neapoli 1540. in 8. imp. apud Ioannem Sultz-bachium.

2. *De Ascensione Christi*. lib. 3., ibidem, & eodem anno. Inedita verò leguntur.

3. *De laudibus S. Catharinæ Virginis*, patrio idiomate.

4. *Summula casuum Conscientiæ*.

5. *De viris illustribus* Ord. Cartusiensis. Nicolaus Toppi, in Bibl. Neapolitana recensebat.

CXXVIII.

1542. *Laeuinus Ammonius de Harena*, primò Professus Cartusiæ Syluæ S. Martini prope Gerardi Montem, dein Cartusiæ Gandensis, in vtraque Procurator, & in postrema etiam Vicarius, Græcè pariter, & Latinè eruditus, scripsit, dum ageret apud Cartusianos prope Bruxellam, librum *De Filio Prodigo* impressum Louanij per Rutgerum Resenum A. 1542. & *De Institutione Nouitiorum*, de qua nonnisi fragmenta Ms. vidi. Idem, teste Sandero, edidit *Elegiam de piè viuendi ratione*, & *volumen Epistolarum* ad viros doctos plerosque doctissimè scriptarum, ac *Vitam Guillelmi Bibautij Ord. Generalis*, cuius sermones Capitulares ipse Laeuinus propria manu exaratos reliquit. Petrus Opmeerus non dubitat eum inter viros, quos Ordo Cartusiensis habuit pietate & varia eruditione conspicuos, connumerare. Laudatur, & ab Erasmo Epistola ad Vtenhouium his verbis. *Laeuinus Ammonius, vir eruditione iuxta, ac pietate insignis.* Extinguitur Gandaui 1556. & commendatur præter laudatos Erasmum, Sanderum, & Petrum Opmeerum, à Mireo, Scripr. Seculi xvi. cap. 53. & 118. Posseuino, Suueertio, ac Valerio Andreæ.

CXXIX.

1546. *Cartusianus Anonymus* compilauit *Chronicon Mon. SS. Brunonis, & Stephani in Calabria*. Ita Camillus Tutinus, qui opusculum adiecit in calce sui Prospectus Ord. Cartusiensis, & cauet libello edendo vacasse Ann. 1546.

CXXX.

1546. *Constantius Bononiensis*, Moderator Claustri Pontiniani contexuit.

1. *Genealogiam Primordiorum gentis Cartusia*.

2. De *Monasterij SS. Brunonis, & Stephani restitutione*.

CXXXI.

1548. *Ioannes Marocursius*, Tornacensis, Prior Valencenarum elaborauit.

1. *Brunoniados, seu Poema de vita S. Brunonis Cart. Patriarch.* Antuerpiæ 1540 typis Crinitii in 4.

2. *Hugoniados, seu Poema S. Hugonis*. Ibidem.

3. *Threnodiam contra Lutheranos*. Antuerpiæ typis Chriniti 1540.

4. De *Natiuitate Domini*.

5 De *rebus gestis S. Laurentij Martyris*. Desijt esse mortalis hoc Anno 1548. quarto Id. Octobris. Eius memoria apud omnes qui recensent Athenas eiusdem Prouinciæ, & eiusdem Ordinis, à nonnullis Marocursius, ab al js Morocursius dictus.

CXXXII.

1550. *Florentinus, Batauus, Harlemius* Prior aliquando Cartusiæ Louaniensis, conscripsit. lib. v *De Christiana vita institutione*, quos è Belgica in Latinam linguam transtulit quidam Nicolaus Zegerus Franciscanus Antuerpiæ 1551. typis Henrici Petri. Petreius inquit Anno 1551. ex officina Ioannis loci. Valerius Andreas, & Lucas Wadingus Anno 1564. in 8. librumque *Viam vita appellant*. Laurentius Surius idem opus accuratiùs vertit, ediditque Coloniæ 1595. cum Auctuario.

CXXXIII.

1550. *Godefridus Tilmannus*, Regij Vallis-Viridis Cœnobij secus Lutetiam, doctissimus Asceta, pari Græcæ ac Latinæ linguæ peritia emicans, sæpe sæpius venustissima eiusdem Vrbis præla aliosque gemere fecit in latinis suis versionibus edendis, quæ sunt.

1. *Antiochi Pandecta excusa* 1543.

2 *Elogium Michaelis Syngeli in Diuum Dionysium Areopagitam*, 1546.

3. *Ioannis Damasceni libri tres aduersus piarum Imaginum traductores* publicæ commoditati expositi Anno 1556. per Srelsium Antuerpiæ typographum.

4. *Theodori Presbyteri Isagoges, seu exercitatio ad eum scripta, qui doceri cupiat, quis sit modus carnis à Deo assumpta*. Parisijs 1609. Tom. 1. Biblioth. Vet. PP. Marg. de la Bigne pag. 285 Lugduni in Biblioth. Max. Anno 1677. Tom. 8.

5. *Quinque libri Anastasij Patriarcha Antiocheni De rectis fidei dogmatibus*. Ibidem in præfata Bibl. Vet. PP. de la Bigne pag. 293.

6. *Aliquot Opuscula BB. Basily Nazianzeni, Chrysostomi, aliorumque* sæpius typis recommissa.

7. Edidit præterea. *Vitam Flauij Iosephi*. Lutetiæ 1548., & publici iuris fecit,

8. *Librum Allegoriarum, & Tropologiarum in locos vtriusque Testamenti selectiores, excerptum è monumentis vnius, & triginta Patrum*. Prodijt Parisijs 1550. Auctore Anonymo, forsan quod lateret eum fuisse Bartholomæum Glanuilli, à Patria Anglum nuncupatum, & Ord Min. vt benè notat in Bibliotheca familiæ Minoriticæ Wadingus, qui recentiorem impressionem Anno 1574. ibidem indicat, præter secundam, Anno 1551. in 8. apud Carolum Guillard, cum præfatione eiusdem Tilmanni, & inscriptione ad Antonium de Essars Liriaci Dominum. Vitam cum morte dicitur commutasse

Anno 1562.

Anno 1562. Posseuinus; Miræus, Script. Seculi XVI. cap. 62. Sixtus Senensis, Bibliotheca classica; Elenchus Script. familiæ Minoriticæ, Auct. Wadingo:

CXXXIV.

1550. *Claudius Morellus* in laudata Vallis-Viridis Domo venæ exuberantis Poeta, Religiosum Caluarium, Musarumque Parnasum lepidè fœderauit. Extat inter reliqua eius carminum vestigia Epigramma ad præmemoratum Antonium de Eslais in Vestibulo libri Allegoriatum eidem à Godefrido Tilmanno nuncupati, quod incipit.

O, quem te memorem vir præstantissime Regni,
Florentis semper gloria liligeri.
Immortale decus Patriæ, velut anchora sacra es,
Vindice te nulli fas glomerasse dolos,
Tu mira causas dirimis grauitate forenses.
Nectareusque tuo manat ab ore lepos &c.

CXXXV.

1550. *Ioannes Parcenalensis*, *Anglus* Anno 1550. Prior Cartusiæ Parisiensis, & in Prouincia Franciæ censoriæ Lustrationis munere functus, publici iuris fecit.

1. *Diuini amoris compendium*, Lutetiæ typis consignatum Anno 1530. in 8. quod deinde Gallicè à se traductum ibidem recudi curauit Anno 1546. typis Vincentij Gauthetot. Anno 1583. tertiò impressum fuit à Leone Cauellat Typographo ibidem Lutetiarum, præfixo titulo, *Speculum diuini amoris*.

2. *Epistolarum ad solitarios*, Lib. 1 Ingenio florentibus accensetur ab Antonio Verderio in Bibl. Gallica, Baleo, eiusque expurgatore Pitseo, Iosia Simlero, & alijs.

CXXXVI.

1554. *Franciscus Queleim*, *Cœnomanus* Mortis Imaginem doctissimo expressit libello, prænotato *Descriptio Mortis*. Opus prostat Gandaui apud Gerardum Salensem hoc Anno 1554 è prælo emanatum. Auctor verò vbinam vitam egerit, vel quando mortis paruerit imperio, ignoratur. Consulendi Simlerus, & alij.

CXXXVII.

1554. *Theodoricus Loherius à Stratis*, cui opera Dionysij Cartusiani potissimùm lucem debent, & Epistolas præliminares, typis adornauit.

1. *Lib. de Miraculis, quæ in Sacrosancta Eucharistia (Bruxellis) acciderunt*. Coloniæ An. 1532. apud Ioannem Dorstium in 8. cum alijs Opusculis Petri Bloemeuenna, Ioannis Brunes Wich,

2. *Vitam Dionysij Cartusiani*, imp. Anno 1532. apud Gasparem, recusam, & Scholijs illustratam à Bollando Anno 1668. inter Acta SS. Mensis Martij pag. 247 Anno partus Virginei MDLV. 26. Augusti desideratus est, & sepultus in celeberrimæ Herbipolensis Cartusiæ Odeo, iuxta Fundatoris tumulum, à Theodoro Petreio hoc epitaphio condecoratus.

Nobile Cartusij, Dionysius Ordinis olim,
Et decus, & splendor, nil nisi sacra crepat.
Hac Loer excipiens, Theodoricus omnia tandem,
Præstitit Vt volitent docta, per ora virum.
Quem leuis hac tellus retinet, sed spiritus astra,
Scandit, vbi Æthereâ pace, potitur ouans.

Commendatur à Io: Romberck Kyrspen professionis Dominicanæ Theologo in Epist. nuncupatoria Tractatuli *De ratione confitendi*, excusi Col. 1532. apud Io: Dorstium, eiusque amoris ergo compositi.

CXXXVIII.

1555. *Bruno Loerius*, Patria Brabantus, præfati Theodorici germanus, etiam in

eruendis Dionysij Rickelij scriptis desudauit. Commendauit insuper posteritati opera Lanspergij, & Henrici Harphij inscripta S. Ignatio Loiolæ, tunc suæ Societatis Generali, Coloniæ 1556. Vitam diuino Numini sub religiosissima hac disciplina consecratam, in cartusia apud Vbios piissimè consummauit.

CXXX.X.

1555. *Petrus Gryel de Byel* testimonio PP. Herbipolensium apud Petrei catalogum reliquit Mf. sui ingenij monumenta 1. Viaticum Pauperum. 2. *Thesaurum Pauperum.* 3. *De Ascensionum gradibus.* 4. *De Passione Domini. V. De uanitate, & peccatis vitæ humanæ.* Camillo Turino A. 1534. Alijs 1555. pietate, & scriptis effulgebat.

CXL.

1556. *Ioannes de Torralua* Saguntinus, ad Ordinem receptus in Mon. Scalæ Dei, translatus ad Cart. Aulæ Dei prope Cæsaraug. concinnauit *Enchiridion Passionis Christi.* prodijt ibidem A. 1556. in 4. ex officina Stephani de Naxera. Item *Sermones, & experientias spirituales Mf.* Refertur ab eruditissi. Nicolao Antonio Bibl. Hispan. Tom. 1.

CXLI.

1557. *Gisbertus Theodorici de Rutemberch*, Procurator Cartusiæ Vltraiectinæ scripsit *Chronicon eiusdem Domus*, & alia, quæ desiderantur. Rexit Prior meritissimus Cœnobium Sion Ziericzeæ, & fati munus impleuit Anno 1557. Est Gisberti mentio apud Raissium in Hierogazophilacio pag 380. itemque in serie scriptorum huius Instirutionis per Belgium.

CXLII.

1558. *Valerius Gallus*, ita à natione nuncupatus, sacri tyrocinij rudimenta posuit, serosque absoluit Annos in cartusia Principe, in qua degens seculi reparationis humanæ decimi septimi Anno octauo vltra octuagesimum, doctissimas in hæreticos confutationes edidit, quibus Tintinnabulorum nomen fecit. A Petreio, & Camillo Turino æquis laudibus effertur.

CXLIII.

1558. *Gaspar, siue Iasperus Verhorst*, Amstelodamus, professus Cartusiæ Vltraiectinæ, Prior Campensis librum inscriptum; *Mons aureus* è lexicon Germanico latinis auribus accommodauit, prælo Ioan. Schoonder VVoerdij impressoris Vltraiectensis A. 1556. Abijt ex humanis biennio post. Laudibus inclarescit penes Valerium Andreæ.

CXLIV.

1561. *Ioannes de Billy*, Iacobi, ac Gaufredi de Billy, virorum eruditione illustrium frater, Burgi-fontis alumnus, & Cartusiæ Montis Dei, ac recentioris prope Gallionem Prior materna lingua transtulit, varijsque prælis exposuit.

1. *Tractatum Stanislai Hossij Episcopi Varmiensis in Polonia, De sectis Hæreticorum suæ Ætatis*, Parisijs 1571.

2. *Manuale equitis Christiani ex latino Ioannis Lanspergij* 1571. Parisijs in 4. apud Guillelmum Caudiere.

3. *Dialogum De perfectione Charitatis Dionisij Rickelmij*, ibid. 1570.

4. *Homiliam 9. S. Ambrosij prænotatam, Quod nemo læditur nisi à semetipso, duosque sermones à S. Augustino habitos in festo Decollationis S. Ioannis Baptistæ*, Ibid. 1571.

5. *Tabulam spiritualem Ludouici* Blessij Abbatis de Leyesses. 1572.

6. *Galliam ad opera misericordiæ excitatam* opus in 8. ipso Auctore 1572.

7. *Speculum spirituale Ludouici Blosij* Ibid. 1576.

8. *Historiam SS. Barlaam, ac Iosaphat à S. Ioanne Damasceno contextam.*

9. *Eiusdem*

9. *Eiusdem* S. *Ioannis Damasceni vitam*, *Auctore Ioanne Patriarca Ierosolymitano.*

10. *Libellum* S. *Ioannis Chrysostomi*, *titulo*, *De comparatione Regis*, *& Monachi*, 1568. Quæ omnia prodiere Lutetiæ typis Guillelmi Chaudiere. Parem eruditioni laudem nactus est apud Nomenclatores scriptorum Galliæ Antonium Verderium, & Franciscum à Cruce Cænoman. Memoratur etiam à M. G. Draudio Bibl. exoticę pag. 36. diemque extremam clausit labentis huius Seculi in limine.

CXLV.

1562. *Iacobus Criptinianus* Cartusiam Portæ Cæli sui Monachatus domicilium dupliciter irradiabat, & conuersationis scilicet integritate, & latini idiomatis elegantia, qua de eiusdem domus pietate claris alumnis hac Ætate scribebat. Camillus Tutinus sub Anno. 1562.

CXLVI.

1566. *Gerardus Hammontanus*, patria Brabantus annis ter denis ad S. Barbaram Coloniæ Cœnobiarcha, quàm sanctè tempus tereret prodidit libro prænotato: *Exercitia quadam valde pia*, *& salutifera de Psalterio gloriosa Virginis Maria.* Itemque alio, cuius Titulus, *Hortus deuotionis* varijs Orationum, piorumque exercitiorum, quæ mentem in Deum rapiunt, floribus peramænus. Prodijt Coloniæ Auctore Anonymo, ex typographia Gasparis Gennepæi 1541. Præfixit dedicatorias, & typographię lucem donauit operibus Io: Ruesbroechij, & Thauleri, quem etiam ex vetustis codicibus castigatum è germanico, latino idiomate loquentem fecit A. 1547.

Laurentij Surij sanctorum gesta præclaris commentarijs elucidantis Mœcenas fuit. Collectio diu desiderata opusculorum Dionysij Cartusiani, caractere Ioannis BirckKmanni Iunioris, Bibliopolæ Coloniensis, cum Epist. nuncupatoria ad Ioannem Gibhardum Electum Archiep. Coloniensem, eo Auctore, A. 1559. in lucem venit. Vitę fabulam gloriosè peregit. 4. Nonas Augusti 1566. in suo Coloniensi Cœnobio summa cum doctrinę, morumque existimatione, quemadmodum ait Henricus Helmesius Ordin. min. in Epist. præliminari Tom. V. sacrarum Concionum, ad eumdem Hammontanum inscripti. Valerius Andręę, in Bibl. Belgica; Vincentius Placcius, de scriptis, & scriptoribus anonymis; Surius, in Commen. rerum in orbe gestarum ad A. 1540. Petreius, & alij promeritis illum encomiis cumulant.

CXLVII.

1566. *Ioannes Baptista Vimercatus* euulgauit italica lingua *Tractatum De Horologijs solaribus*; typis Gabrielis Gioliti hoc anno Venetijs impressum in 4. & æneis figuris decoratum, cuius cum elucubrationis inditio in Athenæo D. Philippi Piccinelli Can. Reg: Lateranensis adaugetur Patritijs Mediolanensibus excellentioris doctrinæ.

CXLVIII.

1567. *Nicolaus Geliminius* natione *ex Heluetia*, patria Constantiensis, Nouitios sui Ordinis instruxit, edita hoc A. 1567. Formula exercitiorum spiritualium in 4. Petrelus in Bibl. Cart.

CXLIX.

1572. *Ioannes Moerenius*, Cartusiæ Ruremundanæ Vicarius, Scripsit *De cade Monachorum*, *quos Principis Arausicani exercitus Cartusia expilator sana internecione deleuit.* Arnoldus Raissius in Aucto Molani Martyrologio sub 23. Iulij, iterumque in recensione script. Belgij.

CL.

1572. *Iustus*, *siue Iodocus*, ab Hæreticis extrema passus Kal. sextilibus huius Anni, scripsit *Decem pracepta Decalogi*, *Flandrico idiomate explanata*, *sacra scriptura sententijs*

tijs illustrata, &c. Raissius in eius commemoratione, sub die, qua pro Christo spiritum piissimè emisit.

CLI.

1575. *Andreas Capiglia, vel Capillus.* Vide inter Episcopos.

CLII.

1575. *Albertus Theuto* apud Cartusiam Diest-hemiensem in Ordinem adscitus varia eruditè molitus fertur in mantissa ad Bibliothecam Cartusianam, & ad origines Cartusiarum Belgij, quæ in ipso originali authographo leguntur apud Patres Herbipolenses, quibus diu præfuit. Obdormiuit in Domino Anno ab eodem homine facto quinto, & septuagesimo vltra mille quingentos.

CLIII.

1575. *David N. Belga*, vitam quam superioris Ætatis Annó quinto & septuagessimo agebat expressit in opusculo prænotato *Compendium de Vita spirituali*, quod Ms. adseruatur penes PP. Soc. Iesu Antuerpiæ. Agit de eo Raissius in Synopsi Cartusianorum per Belgium eruditione pollentium.

CLIV.

1578. *Laurentius Surius, patria Lubecensis*, Coloniæ adoleuit, vbi Ioannis Lanspergij consuetudine allectus, sodalium Cartusiensium sacramentum dixit, vitamque pietati ac studijs totam impendit. Primò veluti in facultate literaria ludens latinè loquentes fecit, è germanico.

1. *Conciones omnes Ioannis Thauleri* 1556. Lugd. emanatas unà cum exercitijs Nicolai Eschij apud Barthol. omæum Honoratum.

2. *Conciones de sacrosancto Missæ sacrificio Michaelis sidonij Episc. Mersburgensis.* Coloniæ in fol. A. 1555. typographica arte expressas.

3. *Ioannem Groperum de SS. Eucharistia sacramento*, ibid. 1560, quam Surij traductionem Gallicè exposuit Nicolaus Chesnaeus, seu Queteulus unà cum quinque libris de Missa Euangelica, quorum quendam Fabiū d'Hailbrun, Auctorem facit Nomenciator scriptorum Gallicorum Franciscus à cruce pag. 339

4. *Libros V. Institutionis vitæ Christianæ Florentij Batani* Cart. ibid. 1552. excudebat Quintelius in 8.

5. *Sermonem Martini Eisengrenij; Cur tam multi ad Lutheranismum hodiè deficiant*, ibid. in eadem officina.

6. *Opera Ioannis Ruisbroechij ex Belgico idiomate*. ibid 1552.

7. *Henrici Susonis opera omnia*, 1562. ibid. eodemque impressore in 8. cum nuncupatione Episcopo Leodiensi D. Roberto à Bergis, quæ latina Surij versio prodijt Hispano idiomate donata Hispali 1622. in 16. excusore Didaco Perez, Interprete verò Fr. Io: Baptista de Chaues.

8. *Apologiam Friderici Staphyli* 1562. Quintelio typographo in 8. ibid.

9. *Prodromum eiusdem Staphyli aduersus Iacobum Smidelinum.* ibid. eodem sub prælo, & forma. Ætate verò adultior, & maturiori laborans matre contexuit.

10 *Homilias eximias 22 priscorum Ecclesiæ Patrum, additis Concionibus exegeticis.* in totius anni Epistolas, ibidem 1569. & 1576. inscriptas Maximiliano Imperatori ex typographia Materni Cholini.

11. *Collectionem sac. Conciliorum in Tomos* 4. 1567.

12. *Commentaria rerum in Orbe sua ætate gestarum* Coloniæ in folio per Geruinum Calenium. 1568. & 1574. Acceptissimum vbique gentium Chronicon Michael ab Isselt continuauit ab A. 1574. ad 1585. & Coloniæ emisit; Iacobus verò Estorneaux Xantoniensis Gallicè loquens fecit, & typis supposuit Parisijs A. 1573, & Henricus Fabricius, postmodum Spiræ suffraganeus germanicè tribus partibus interpretatas

tatus est.

13. *Gesta Sanctorum in singulos menses, & Anni dies Tomis sex distributa*, qui omnes desudarunt sub prælo Geruini Calenij ac hæredum Quintelij; Primus 1569. 2. 3 & 4. 1575. quintus, & sextus 1575. Egregium sanè opus, quo Dinis Pantheon, Ecclesiæ antemurale, suæ gloriæ capitolium Surius excitauit. Laudauit viros gloriosos in generatione sua, & suas ad laudes excitauit æquales, & posteros omnes, exemplo Pij V. sanctissimæ memoriæ Pontificis, qui in diplomate ad eum dato, inquit, *Librum sanctorum vitas continentem, à te nuper editum, atque ad nos missum libentissimè accepimus. Qui quidem eo etiam gratior nobis fuit, quod opus in se continet à nobis semper desideratum, & ad refellendas Hæreticorum, in easdem PP. Sanctorum historias, maledicta aptissimum. Laudamus itaque pium hunc laborem tuum, &c.* Encomia roseo etiam coronabat Galero Pius, nisi mors, quæ præmaturè sanctissimum Pontificem è Christi in terra vicibus, ad Christi in Cælo gloriam euexit, amplissimam tanto viro dignitatem ademisset. Ferunt, eo elato, repertam in cubiculo schedulam, in qua viros insigniori probitate, & sapientia Romana Purpura cohonestandos sua manu Pius descripserat, eamque prætulisse in fronte nomina Dionysij RicKelmij & Petri Canisij.

Tomum VIII. sacra eiusdem historia adornabat, cum 23. May A. septuagesimi octaui vltra millesimum, & quingentesimum à conscribendis SS. actis, ad consequendum SS. consortium assumptus est. Sub cuius germana effigie lepidus Poeta hisce carminibus ludebat.

> *Effigiem Surij dum cernis candide Lector.*
> *Quem capiat tanti fructus amorque viri.*
> *Qui lucrum duxit mundo latuisse superbo;*
> Delicias casta mente vacasse Deo.
> *Clara Lubeca necigenuit, sed carior illi.*
> *Quæ patet ad vitam, sedula cura fuit.*
> *Omnibus vt Pauli iuxta decreta, salutis.*
> *Ansa foret, cunctis, omnia factus, obit.*
> *Dum sermone colens latio monumenta piorum.*
> *Eximias sanè suppeditauit opes.*
> *Sanctorum præclara quidest certamina magnis,*
> *Sex celebrata Tomis, quod dedit vna manus?*
> *Septimus adiungi dum cœptus, turba beata.*
> *Cælicolum studijs præmia digna parans.*
> *Sat superis factum, dixit, donetur* Olympo,
> *Emeritis nostrum insere Christe choris.*
> *Nec mora, prosiliens Surio mors prompta sedenti.*
> *Intrepidum ad superos cuspide pandit iter.*

CLV.

1580. *Cosimus Festinus, Laudensis*, ex familia Mantuana, alius à Cosimo Abecedario, virtutibus cælicam inter *Diuos*, carmine vero Apollineam inter Musas coronam sibi contexuit, editis Poematibus, de quibus Posseuinus in Apparatu; D. Seuerus à Neapoli, in monumentis Cartusiensium virtute illustrium per Italiam, & Historia Ecclesiastica Ciuitatis Mantuanæ P. Donesmondi Minoritæ. Hoc Anno Æternitatis semitas ingressus est.

CLVI.

1580. *Ioannes Larry* Præfectus Cartusiæ Fontaneti Gallicè traduxit.

1. *Quamplura exercitia spiritualia excerpta ex scriptis S. Gertrudis, De pietate, diuina.*

vitæ.

2 *Nonnulla Opuscula Ioannis Lanspergij, & Henrici Susonis publicè utilitati exposita*, *Lutetiæ* Anno Seculi labentis octuagesimo in officina Guillelmi Chaudiere. Vitam protraxit ad Annum 1590.

CLVII.

1580. *Mauritius Chamnæus*, Anglus in Londinensi Cartusia degebat, cum sævus Henrici furor præstantioris probitatis viros, octodecim præcipuè Cartusienses è medio sustulit. Horum vt martyrium inspexit, in Belgium concessit, vbi mortalitatem exuit 12. Iulij Anni huius. Varijs nominibus laudabilis, Athenas etiam sui Ordinis adauxit, transmittendo ad posteros.

1 *Historiam Martyrum Cartusiensium*, quorum lanienam suis ipse oculis exceperat Imp. Colon. 1608. cum æneis figuris, itemque Mediolani 1606. apud Petrum martyrem Locarnum.

2. *Petrum Sutorem de vita Cartusiana* expurgatum à mendis prælo iterum suppositum Louanij A. 1572 apud Ioannem Poulinum, cum Epistola Dedicatoria ad Bernardum Carassum maioris Cartusiæ Priorem.

3. *De Martyrio Ioannis Roffensis, & Thoma Mori.* lib. 1.

4. *De Martyrio Reginaldi Birgittani* lib. 1. De eo Baleus licet Hæreticorum more veritati iniurius, Iosias Simlerius, Petreius, secundum quem obijt 1581. 12. Iulij. Pitseus, qui Petreium corrigit, & Chamnæum, non Chaneeum vocat.

CLVIII.

1582. *Ioannes Miricæus*, Louaniensis Patria, professione Bruxellensis, scripsit.

1. *Medicinam Errantium.* lib 1.

2. *De reductione Ouis errantis.*

3. *Enarrationem Catholicam Orationis Dominicæ.* Denatus est Rutilæ in Lotharingiæ confinibus, Domus illius Prorector Anno plenitudinis Christi 1582. Ioannes quidam Myrica, siue Myrinca Louaniensis, qui in Bibliotheca Tigurina memoratur cecinisse carmine heroico lib. III. *De coniugio Christiano*, excusos Argentinæ, alius videtur ab hoc Io: Miricæo Cartus:, cum libri illi Catholicam doctrinam non sapiant, nec condignam huic Miricæo Cartusiensi, qui celebri nomine, luculentisque vigilijs literarias illustrat feries Suwertij, & Valerij Andreæ.

CLIX

1582. *Nicolaus Cerneus*, alumnus Cart. Burgifontis, & Prior Cartusiæ Borboniæ pietate, ac eruditione celeberrimus equalgauit Gallicè *Dialogum Henrici Susonis, De vera sapientia, supernaque felicitate conquirenda.* Lutetiæ typis Guillelmi Chaudiere A. 1582 in 8. Occidit cum ipso Orbis restituti Seculo decimo sexto, æternùm vivus apud Auctuarium Petrei, & Antonij Verderij Bibliothecam Gallicam.

CLX.

1582 *Ioannes Mirabeaus Passionem Domini N. I. Christi*, *eiusque mysteria piissima quadam Epistola in capita distincta* expressit, quorum primum exorditur à verbis Petri Apostoli *Christo ergo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.* Legitur Ms. penes Ascetas Agrippinēses, inscriptaque Religioso viro VV. Ord. Cart. prope Vltraiectum. Nepoti meo charissimo, fr. Ioannes confrater, & conseruus in Domino salutem. Cæterùm cum præter nomen, de Ætate, ac filiatione Auctoris diuinandum, inquit Petreius, Camillus Tottinus inuestigauit agnomen esse de Mirabenis; cœnobium professionis, Vltraiectinum; Ætatem autem, Annum 1582.

CLXI.

CLXI.

1586. *Arnoldus Hauensius*, alijs *Haeuenius*, Syluæ-ducis natus Anno 1540. cum sophiæ præceptis Coloniæ imbueretur, Instituto soc. Iesu nomen dedit Anno 1558. Doctor S. Theologiæ 1573. renunciatus, publicè eam professus est, Rectorque Collegio Coloniensi præfuit. Post societatis Ann. 27. Cartusianos Louanienses adijt, professionem emisit, Cœnobium Leodiense bis, Louaniense, ac Bruxellense semel, Gandauense etiam rexit, in quo Belgicæ Prouinciæ secundò visitator mortalitatem expleuit Anno à Deo Homine 1609. ætatis suæ nono vltra sexagesimum. Compilauit,

1. *Historiam Cartusianorum Ruremundensium*, qui anno 1572. religionis ergo crudeliter interempti sunt. Inscribitur Innocentia, & Constantia victrix.

2. *Martyrium Cartusianorum Anglorum*, sub Henrico VIII.

3. *Exortationem de obseruatione disciplinæ Regularis, & præcipuè solitudinis ad Cartusianos* Gandaui 1608. in 8.

4. *Speculum crudelitatis hæreticæ*. Coloniæ 1609 in 8 penes Seruatium Erffers.

5. *De erectione nouorum in Belgio Episcopatuum, additis rebus gestis Guilielmi Lindani, ac Henrici Cuychii, Episcoporum Ruremundensium*. Ibid. 1609 in 4.

6. *Oratio quodlibetica De auctoritate SS. Patrum in decernendis fidei dogmatibus*, opus posthumum impressum Coloniæ studio Theodori Petrei 1610. in 8.

7. Fato interceptus nequijt absoluere aliud, quod parabat, opus, *De vita solitaria præstantia, ac utilitate*. Commendatur Arnoldus à Miræo, seculi XVII. cap. 169. à scriptoribus domesticis, & collectoribus Bibl. Belgij.

CLXII.

1587 *Siluius de Badulatis è Monte-Leone in Calabria*, Præfectus Cartusijs Capritanæ, Trisulti, S. Laurentij de Padula, denique, & Florentinæ, Censor quoque in Prouincia Neapolitana, otio grauissimas inter curas conquisito, *Epistolas Diui Pauli eruditis explanauit Commentarijs*, quæ lucem aspicere noluit, ut clarior humilitate, beatifico lumine æternùm frueretur, ad quod introductus est Anno Seculi regenerati octuagesimo septimo supra millesimum quingentesimum, Ætatis suæ sexagesimo, tertio decimo Kalendas Nouembris, testante Bibliotheca Neapolitana Toppij pag. 294.

CLXIII.

1587. *Zaccarias Lippeloos I. V. D. Antuerpiæ natus*, contraxit in Epitome *Vitas Sanctorum à Surio collectas*, quod compendium, ipso morte præuento, absoluit Cornelius Gralsius. Habitum induit Coloniæ 1587. Occubuit 1599 duodecimo Kal Decembris, in ipso Annorum flore, scilicet tertio & trigesimo. Indicatur à Raissio, & ab Athenarum suæ patriæ Auctoribus.

CLXIV.

1589. *Iacobus Mosander, ex Flandria*, abdicato Decanatu rurali, Cartusiensem vitæ rationem amplectitur Coloniæ 1570. ubi Surij laborum æmulator, absoluit *Tomum VII. de Gestis SS. ab eodem* inchoatum. Edidit præterea.

2. *Martyrologium Adonis auctiùs, & emendatiùs*. Apud Vbios 1581. in folio. Extremum vitæ spiritum edidit orbis restituti Anno octuagesimo nono, & milleno quinquies centesimo in Morauia, alijs in Seitz Slavoniæ Monasterio, notus Miræo, Ætatis sextæ decimæ cap. 108. Possouino, Raissio, Athenarumque Belgicarum collectoribus.

CLXV.

1590. *Petrus Carbo, Marius, Metropagita*, Cartusiæ Morauienſis Rector, Vir, quem neſcias Latina, Grèca, an Hebraica Lingua clarior, inſerendus venit huic ſyllabo vigilijs literarijs, *De Diuina Christi Ieſu generatione.*

2. *In Pſalmum 2. & 109.*

3. *Commentariolo in verba Geneſis* cap. 3 *Ipſa conteret caput tuum.*

4. *De Veritate Hebraica.*

Poſteriores hoſce libros inſcripſit Rodulpho II. Cæſari, cui in paucis carus erat. Debitum mortalitati penſum exſoluit circa Annum Dei in forma ſerui 1590. cum laude commemoratus à Petreio in Appendice; à Marraccio, in Bibliotheca Mariana; & à noſtro D. Iulio Bartoloccio, in additione quam climat ad Bibliothecam Rabbinicam.

CLXVI.

1590. *Lucas Breunoldus, Franco*, ex profeſſo Cartuſiæ Tuckelhuiſſanæ, Cœnobiarca Itingenſis, Linguam Hebræam, nullo in ea addiſcenda Magiſtro uſus, optimè calluit. Accurata Methodo, ac brevitate acceptiſſima perſtrinxit tres Bellarmini Diſputationum Tomos, quos conſignaſſet proculdubiò typographicæ luci, niſi temporalis huius vitæ occiduo lumini oculos præmaturiùs claudere mors inopina coegiſſet, quę in eum manus iniecit Anno Dei hominibus reconciliati plus minus nonageſimo cum ſeculis decem, & quinque.

CLXVII.

1592. *Guilielmus Chriſolmus Scotus*, Vide Inter Epiſcopos.

CLXVIII.

1592 *Stephanus ſalazarius, Gravatenſis*, Religioſo ſtatui in Salmaticenſi Auguſtinianorum Conuentu emancipatus, ad Indos transfretauit, Euangelium nauiter diſſeminauit. Artes etiam domi profeſſus. Reuerſus in Hiſpaniam, mox Parauium ad comitia Ordinis ſe cōtulit, in quibus S. Theologiæ alumnis Bononienſibus Mag. datus, maluit Cartuſianam profiteri ſolitudinem, quàm vltra ex Cathedra docens humanos promereri honores. Leges dedit Cartuſiæ Xerizienſi, alijſque domibus, clauſtralis ſeueritatis vindex vbique intrepidiſſimus. Tandem Anno Dei in carne ſexto ſupra millesimum, & quingenteſimum nonageſimum, ſexagenario maior, vitæ ſtrictioris ſexto & vigeſimo, quinto Kal Februarij mortalitatem expleuit. Depoſita terrena habitatione, quæ animam aggrauat, & deprimit, reliquit eruditos ingenij labores, qui famam perpetuò euehunt.

1. *Genealogiam Ieſu Chriſti ſecundum Matthæum, cui adijciuntur morales quædam Syncreſes, ſiue contuitus in vſum Concionatorum. Accedit & Commentariolus in caput 2. Matthæi, De aduentu Magorum, cum conſiderationibus moralibus.* Lugduni 1584. in 8. Apud Carolum Peſnot.

2. *Concionem habitam ad Conciſtorium Generale Cartuſienſis Ordinis, qua explicantur Religionis vota.* Ibid. 1584. in 8.

3. *Viginti Diſcurſus in ſymbolum Apoſtolorum*, pro clariori declaratione noſtræ ſanctæ fidei Catholicę, & Doctrinæ Chriſtianæ. Granatæ typis Hugonis de Mena 1577. Lugduni in 4. & alibi.

4. *Commentarium in Pentateuchum Moyſis*, Hiſpanicè, uti et duo ſequentia.

5. *Aduerſus Montanum.*

6. *Præparatio breuis ante celebrationem Miſſæ.* Qui eum haud vulgaribus cohoneſtant encomijs ſunt Poſſeuinus, Thomas Tamaius de Vargas; Petrus Auguſtinus Moris, in pręfatione Emporij Iuris; Nicolaus Antonius, in nomenclatione ſcriptorum Hiſpaniæ.

CLXIX.

CLXIX.

1594. *Hieronymus Lignanus*. Vide syllabum Priorum Generalium.

CLXX.

1596. *Ioannes de Madariaga Valentinus genere*, Instituto vitæ Cartusiensis in claustro Portæ Cæli addictus, vernaculo eloquio posteris Æuis porrexit.

1. *Vitam S. Brunonis Cartusiensium Patriarchæ, itemque consuetudines huius sacri Ordinis*, quæ primò lucem aspexere Valentiæ apud Patricium Mey. Latinè utrumque reddidit Gerardus Elisius, sed hactenus Ms. penes Petrum Wallium Cœnobitam Bruxellensem; Belgicè item Franciscus le Pippre, credo etiam ineditum apud suos consodales Gosnayenses.

2. *De senatu, eiusque Principe* materna itidem lingua, & prælo Patritij Mey.

3. *Litaniam encomiasticam sanctissimi Nominis Iesu ex sacra scriptura*. Ibidem, sed latino eloquio Annoque 1616. in 8.

4. *Vitam S. Romualdi Institutoris Ordinis Camaldulensis*, si in hoc fides habenda Petreio. Eius inferias celebrauit Ordo A. 1620. laudes verò concelebrant Miræus, scriptorum Ætatis XV. cap. 196.

CLXXI.

1597. *Ludouicus de la Tour, seu Turrianus*, sacris votis Deo emancipatus in Leodicensi Asceterio, recensuit Carmine numerali *Generales omnes Ordinis Cartusiani à Diuo Brunone ad sua vsque tempora*. Elucubratio prod. jt Coloniæ 1587. & VVirceburgi 1606. Auctor verò luce orbatus est Annum circiter nostrç Ætatis trigesimum sextum, cuius mentionem faciunt Arnoldus Raissius, & Valerius Andreç.

CLXXII.

1597. *Ludouicus Goudeys, patria Andegauensis*, Administrator Domus S. Trinitatis apud Diuionem Hebraicè, Grecè, & Latinè loqui peritus latina uersione, & scholiis illustrauit *Dionysium Areopagitam De mystica Theologia*. Desijt esse in humanis exacti Seculi Anno septimo cum nonagesimo. Possevinus.

CLXXIII.

1598. *Hieronymus Dalmata* meruit sub Brunone in eremo agri Romani sub nuncupatione S. Bartholomæi de Trisulto, in cuius Bibliotheca reliquit tractatum *De calesti Hierarchia* à se perdoctè, & elegantissimè contextum, quem ego perlegi, & Torinus indicat.

CLXXIV.

1598. *Ioannes Michael Constantiensis*. Vide inter Generales.

CLXXV.

1598. *Ludouicus Telm, Ilerdensis* unius & alterius Lusitaniæ Monasteriorum fundator, eiusdem nationis Lexicon typis supposuit *Opusculum de Oratione Mentali*. Exuvias humanitatis depofuit in Cazallensi Cœnobio Anno à Virgine matre 1598. xv. Augusti, æuo quinquagenarius. Optimè de Ordine benemeritum condignis ornant encomijs Ioseph Valles, in libro, cui titulus: Prima Institutio sacri Cartusiensium Cœtus, eiusdemque Monasteriorum per Hispaniam Origo; Nicolaus Antonius, Bibliothecæ suç gentis Tom. II. G. Cardosus, in Agiologio Lusitano.

CLXXVI.

1600. *Michael de Vera* Hispanicè interpretatus est ex Latino *Speculum perfectionis*

 Christiana

Christiana Ioannis Lanspergij excusum Valentiæ in 16. Aetatis In qua viuimus in exordio. Rexit domum Portæ Cæli, ubi etiam cum humo conditum narrat laudatus elenchi eruditorum Hispaniæ.

CLXXVII.

1603 *Guillelmus de Ebure*, curis licet pressus Monasterij Fontis Beatæ Mariæ, cui hoc tempore præerat Gallica veste adornauit opuscula nonnulla *S*. Teresiæ Lutetiæ impressa in 8. A. 1601. Additiones Petrei ad suam Bibliothecam.

CLXXVIII.

1603. *Iacobus Giraudi* Gallicum fecit ex Hispanico Volumen Alphonsi de Orosco Philippo II. Hispaniarum Monarchę à Concionibus, titulo *Memoriale sancti Amoris*. Prodijt Parisijs penes Iacobum Rese typographum, labentis Seculi Anno tertio

1. Ex Italico verò traduxit aliud eiusdem Auctoris opusculum prænotatum *Mons contemplationis*. Florebat A. 1609. Vicarius Domus Ligeri in Turonibus, Teste laudato Appendice Petrei.

CLXXIX.

1604. *Gislenus Hammius*, familiæ Gandensis Monachus, elegans Musarum cultor, serenissimos Principes Albertum & Isabellam Gandauum aduenientes Panegirico, versibus heroicis contexto, excepit, quem typographia Manilij publici iuris fecit in 4. A. 1604. Est huiuscè mentio apud Valerium Andreæ, & Sweertium.

CLXXX.

1604. *Iodocus Graffius*, familiæ apud Wesaliam Rector, Latij lingua donauit, quæ antea Gallicè legebatur, *Vitam B. Philippæ ex Lotharingia Ducissa inter Virgines Minoritas sanctimonialis*, euulgauitque Coloniæ typis Mylij in 12.

CLXXXI.

1604. *Ioannes Barba* præter censoriam in Prouincia Teutonicæ potestatem Præses Vallis Regalis, in qua solemni Cartusia sacra nuncupauerat vota, Reliquit in schedis *insignes Orationes habitas in admissione tyronum ad habitum regularem*. Hominem exuit 1604. Auctore Petro d'VVaillo, in syllabo Visitatorum Belgij n. 20.

CLXXXII.

1605. *Simeon Quintilius* In sæculo dictus *Lucius Quintilius, Romanus*, V. C. Auctor libri *De vera laudatione exquirenda, ac de circumstantijs quibus licita reddi possit ad Clementem VIII. Pont. Max.* Mundo calces illisit, & in Trisultana agri Romani prope Anagniam cella sacris votis Deo addictus 26. Iulij A. 1605. ibidem gloriosam mortem oppetijt Hæc Codex Professionum eiusd. Monasterij sub litera S.

CLXXXIII.

1605. *Ioannes Gerulphus, Hulstensis*, trium linguarum Græcæ, Latinæ, Hebraicæ gnarus, Orator disertus, Poeta facilis, concinnus, grauis ornauit, & exposuit.

1. *Librum sententiarum*, versu elegiaco Latino, & Græco.

2. *Fastos SS. Belgij*, vario metro.

3. *Cædem Martyrum Cartusianorum in* Anglia, carmine heroico.

4. *Ecclesiastem, & Prouerbia Salomonis*, Musa Epica.

5. *Latinè traduxit è Græco librum de Obedientia*, quæ omnia manu exarata habentur in Bibliotheca Mon. Louaniensis, in quo ritè vouit, Vicarium egit, & pridiè Idus Augusti ætates expleuit suas, iure merito in serie Patriæ Scriptorum ab eorumdem compilatoribus recensitus.

CLXXXIV.

1605. *Gisbertus Bobusius, Antuerpiensis* Belgicè exposuit opus R. P. Lucę Pinelli *de per-*

perfectione Religiosa, qua versione locum habet in Elenchis virorum doctrina præstantium contextis à Sandero, Flandriç illustrarç Tom. 1. Lib. 1. cap. v. Raissio, vtroque Collectore Prou. Flandro Belgicç Scriptorum, sicut rerum temporalium vrili administratione meruit acenseri inter Præfectos Cartusiarum Bruxellensis, & Brugensis, quibus ius dixit postquam Vicarij partes in Louaniensi exanthlasset.

CLXXXV.

1606. *Franciscus de Brunettis* Bononiensis. Kalendis Nouembris Brunonis soboli adnumeratus in suburbano S. Hieronymi claustro, ibidem viuendi finem fecit orbis restaurari Anno 1648. 23. Martij compilator quinque voluminum in folio, quç illic adseruantur, *in Pentateuchum, super Actus Apostolorum, & in concordiam Euangelistarum*.

CLXXXVI.

1606. *Reginaldus Cothaire*, ex alumnis Vallis S. Spiritus *Multa de vitis Sanctorum Gallicis auribus accommodauit*, mortisque somnum excepit sexto voluentis Ætatis Anno. Sui nominis, & laborum transmissam ad posteros famam Raissio debet, qui de eo in Mantissa adnexa Genesi Cartusiarum Teutoniæ.

CLXXXVII.

1607. *Ægidius Gutmaier*, Ordinis consodalis ad S. Mariam de Buxia secus Memingam typis supposuit Poemata.

1 *De vita, & moribus veri Monachi aduersus impostores.*

2. *Planctum B. Mariæ Virginis.*

3. *Votum ad eamdem pro felici morte obeunda.* Inscripta sunt Augustæ Vindelicorum Antistiti, in qua Ciuitate Anno 1607. desudarunt sub prælo, Auctore in viuis agente. Ne è memoria excideret, fecit Petreius illustri commendatione habita de eo in sua nomenclatione Scriptorum huius Cœtus, itemque Marraccius, inter Mariani cultus erudito calamo promotores.

CLXXXVIII.

1607. *Antonius Volmarus, Sarburgensis*, Ordini nomen dedit in Eremo Astheimiensi, latinè scientibus aptauit libellum, cuius Inscriptio: *Practica Orationis Mentalis, seu contemplatiua*, Gallica elocutione publicç vtilitari exhibitum à P. Matthia Bellintana Capucinorum Sodali. Gemuit sub typo in 12. primò Constantiç Heluetiorum, caractere Nicolai Kart., & deinde Coloniæ 1609. in Officina Gualtheriana. Viuebat adhuc septimo labentis Sęculi Anno.

CLXXXIX.

1607. *Erardus* Winheim *Albimœnius*, collega Herbipolensis, dum hospitaretur Coloniæ diligenter recensuit quidquid Sacrarum Reliquiarum apud Vbios adseruetur, & breui earum collectioni, quam ibidem typis Bernardi Gualtheri Anno nostri Æui septimo commisit, nomen fecit *Sacrarium Agrippinense*. idem adornabat prælo tria colloquia idiomate germanico *Christianum inter, & Iudæum, Sacerdotem, & Laicum*.

CXC.

1607. *Renatus Hensæus ex page Echerpenfeel in Ducatu Iuliæ*, deficiens à Benedictinis, quos inter fuerat ad S. Pantaleonem (Id est pernobile in Vrbe Treuirensi Cœnobium) Oeconomus, & Prior, ad Annum elapsi Seculi fermè nonagesimum octauum, Cartusianis se adiunxit in Matrice Ordinis domo. Promouendis domorum negotijs aptissimum iudicant quamplurium ei familiarium demandata cura, imprimis Brunæ in Morauia, cui leges dabat nostræ Ætatis Anno septimo. Diuini verò adaugendi cultus feruentissimum prodit opus, quod dixit: *Tyrocinium militiæ Sacræ, ac Religiosæ*, ibidem prælo Auberti Aurigç publicatum, & secundò typis recommissum Bernardi Gualtheri insignis Agrippinensi in Vrbe typographi Anno 1609. Vterque Bibliothecç Belgicç instaurator Renatum commendat, Petreius item, & alij. Quando emenso vitæ temporalis

poralis pelago Æternitatis ad littus appulerit, me latet.

CXCI.

1608. *Antonius Dulckenius, Agrippinas*, & Anno 1599. Brunonis Sodalibus ibidem admixtus, decorauit typographias patrias nonnullis opusculis, quæ materno ex stylo latinitatem in elocutionem transtulit. Elenchus est.

1. *Meditationes centum Christophori Vermontani*, in lucem prolatæ à Conrado Burgenio 1605. in 12.

2. *Lux animæ ad perfectionem anhelantis* Bartholomęi Salutij Ord. Minorum de Obseruantia, vna cum quarta eiusdem operis parte, cuius Inscriptio: *Paradisus contemplatiuorum*. Excudebat Io: Critnius in 12. Anno 1606. & 1608.

3. De *Oratione, ac meditatione S. Petri de Alcantara* Anno 1607 in 12. eodem typographo.

4 *Meditationes Andreæ Capellæ Cart. Episcopi Vrgellitani* in Euangelia totius Anni, & Manuale exercitiorum eiusdem. Publicabat Conradus Burgenius 1608.

5. *Responsio Card. Bellarmini ad Tractatum septem Theologorum Venetorum*, super interdicto Sanctissimi Domini Nostri Pauli V. publici iuris facta 1607. in 8. apud Bernard. Gualtherum.

6. *Stella Mystica R. P. Francisci Bonaldi Soc. Iesu* in officina Conradi Burgenij 1607. in 12.

7 *Exercitia Spiritualia d. Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento* R. P. Lucę Pinelli, cusa apud Io. Crithium 1608. in 12.

8. *Meditationes eiusdem Auctoris de Passione* Domini, *de quinque Christi vulneribus*, De *Rosario B. Virginis, de septem vitijs capitalibus, & virtutibus illis oppositis*, In eadem typographia.

9. *Meditationum Francisci Ariæ Soc. Iesu*, Lib. 3. eodem Anno, eademque forma, sed prælo Io: Kinckij.

10. *Tractatus de Rosario B. Mariæ Virg.* eiusdem Auctoris.

11. *Conciones vberes de quatuor nouissimis* P. Gabrielis Inchino Can. Reg. Lateranensis 1608. in 8. charactere Io: Crithij.

CXC.I.

1608. *Antonius Menna, Cremonensis*, ex Capucino Cartus. emisit in lucem Gallico idiomate, *Exemplar Christianæ Perfectionis*. Parisijs Anno Æui labentis sexto, apud Nicolaum Buon. in 4. Opus est tripartitum. Prima pars agit *de Charitate*.

2. *De Dei possessione ad eam obtinendam*.

3. *De effectione* Anno 1608. agebat adhuc in viuis incola Rutilanę, quę est Lotharingiæ, suæque filiationis Domus.

CXCIII.

1608 *Cornelius Grasius Antuerpiensis*, apud Vbios Sanctisimę huic disciplinę addictus ab Anno superioris Seculi nonagesimo secundo recensuit, & adauxit *Vitas Sanctorum* à Surio collectas, & à Zacharia Lippeloo in Epitome contractas, easque Tomis v. in 8 digestas ibidem consignauit prælo Henrici Falkenburgij 1595. & apud Walterum 160.

2. Scripsit secundò, *De Sacrosancto Missæ Sacrificio*, quod opus eloquio vernaculo contextum eisdem typis euulgauit 1603. in 16. Florebat adhuc 1609. Memoratur in recensione Scriptorum Belgij, edita à præfatis Auctoribus, nec non in Bibl. Pontificiæ. lib. 11.

CXCIV.

1609. *Benedictus Osanna, Mantuanus* Italicè vertit *Directorium aureum contemplatiuorum Henrici Harphy*, hac traductione locum promeritus in Apparatu Sacro Posseuini,

alijsque

alijsque eruditorum Elenchis.

CXCV.

1609. *Quirinus Goesseniius, Menapius*, Cœnobita Monasterij Iuliacensis, vir, vt haber Petreius in appendice, plurimæ lectionis, immò heliuo librorum, grata breuitate perstrinxit, sed non euulgauit.

1. *Libros V. Petri Canisij De Beatissima Maria Virgine.*

2. *Leonis de Castro Hispani Commentaria in Isaiam*. Huius in qua viuimus Ætatis Annum nonum sua eruditione Quirinus decorabat.

CXCVI.

1609. *Theodorus Petreius, Campensis, Transisulanus* Coloniæ Vbiorum Philosophi, ac Theologi insignibus decoratus, Cartusiensium se legibus ibidem subiecit Ætatis suæ duodevigesimo Anno. Optimè meruit de Historia huius professionis. Ornauit præterea typographias Agrippinenses alijs elucubrationibus, quarum Synopsis est.

1. *Gregoriana Confessio*, idest S. Gregorij re ac nomine Magni Scriptorum in succum, sanguinemque conuersio, in qua quidnam de Orthodoxę fidei dogmatibus ab hæreticis hac tempestate controuersis ante Annos plus mille senserit hic tam insignis Ecclesiæ Doctor, ad oculum demonstratur. Prodijt apud Arnoldum Iunntelium Anno à reparatione hominis 1597. in forma octaui.

2. *Confessio Cypriani, ac Tertulliani* eadem methodo, Lutetiæ, per Sebastianum Niuellium 1603.

3. *Confessio S. Leonis Magni* Anno 1604. mandata typis Arnoldi Mylij Bibliopolæ Coloniensis.

4. *Confessio Bernardina*. Imprimebat ibidem Antonius Hierat 1606. vnà cum Epistola Paræneтica Martini Laudunensis, & Elencho omnium per Orbem Cartusiarum.

5. *Compendiosa Orthodoxæ fidei Confessio P. Francisci Costeri S. I.* è Belgica Latinè reddita. Ibidem, impensis Hermanni Mylij.

6. *Conciones eiusdem* latij lingua interpretatæ, prælo Hierathi.

7. *Chronicon Cartusiense Petri Dorlandi*, quod primus à tenebris eruit, doctisque elucidationibus illustrauit. Ibidem 1608. impressore Petro Cholini.

8. *Bibliotheca Cartusiana*, siue illustrium Sacri Ordinis Cartusiensis Scriptorum Catalogus. Ibidem 1609. in Officina Hierathi, cui etiam consignauit Anno insequenti Appendicem ad eamdem.

9. *Harmonica quatuor Occidentalium Ecclesiæ Doctorum Confessio*, qua Augustanam, Wirtembergicam, Smalcaldicam, & Mansfeldicam confutat. Ms. in folio.

10. *Araneum Hæreticum Io. Dauid. S. I.* 1609. ex typographia Kinckij in 12.

11. *Lapis Lydius eiusdem* 1610. in 12. Ibidem.

12. *Labyrinthus Hæreticorum eiusdem*. Ibidem. Quæ Belgico eloquio ab Auctore conscripta, latinis ipse accommodauit.

13 *Sylua Anachoretica*. lib. 6. nempè illustrium Anachoretarum Pinacotheca cum Iconibus à Raphaele, ac Ioanne Sadolerijs Fratribus in ære incisis.

14. *S. Brunonis Patriarchæ* Opera omnia eius studio collecta, ac typo subdita Bernardi Gualtheri 1610 in fol.

15. *Chronologia Summorum Pontificum, & Roman. Imperat.* 1626. Ibidem in 4.

16. *Catalogus Hæreticorum ab ipso Christi Æuo ad hæc tempora* 1618. in 4. Ibid.

17. *Varia poemata*, inter quæ historia Ionæ versu heroico præfixa Commentarijs R. P. Francisci Feu-Alentij in eumdem Prophetam. Hæc Theodorus de semetipso in Bibliothecha sui Ordinis, quibus Belgici Athenæi collectores attexunt in lucem edita, post Bibliothecam ipsam iam euulgatam.

CXCVII.

1609. *Theodorus Stampuuickius*, patria *Harlemius*, dum Brugense domicilium incoleret, *Schema quoddam concinnauit*, quo per oppositas definitiones dilucidè pateant Mundi vanitas, ac fallacia, status verò Religiosi felicitas. Præerat Anno in margine prænotato Cartusiæ Diestensi. Meminere Stumpuuickij Sanderus, Tomo 1. Flandriæ illustratæ lib. 1., & Auctores quibus suam Bibliothecam Belgium debet.

CXCVIII.

1610. *Ioannes de Alba* ad Vallem-Christi iuxta Segobrigam Anachoreta, Ariæ Montani insignis Auditor; Linguis exoticis affatim imbutus, composuit *Sacrarum Semiscon Animaduersionum*, & *electorum ex Vtriusque Testamenti lectione Commentarium*, & *Centuriam*. Excudebat Philippus Mey in 4. In Bibliotheca Bodiciana extat opus typis recommissum Venetijs 1631. quo Anno prodijsse Valentiæ apud Philippum Mey refert Miræus, castigandus in hoc, impressum nimirum 1610. unà cum Centuria sacra, quam Manu exaratam typum desiderare idem est Auctor.

Alia monumenta calamo descripta reliquit apud suos Vallis-Christi sodales, in quorum sinu spiritum posuit Anno à filio Dei in forma filij hominis nonagesimo & altero, Seculo autem sexto decimo, sexto Calendas Ianuarij, sanctissimę conuersationis septimo vltra vigesimum, cui pietas, & studia nomen non incelebre dedere apud Miræum, & Hispalensem Hispani Athenęi collectorem, aliosque quorum spatta fuit censu operum, & nomenclatione scriptorum ingenia hominum rem-publicam facere.

CXCIX.

1611. *Iacobus Mauritius* Cartusiæ Parisiensis hoc Anno Asceta iam ab Anno Ætatis proximè elapsę octuagesimo quinto ediderat impensis Guillelmi Chaudiere, forma verò in 16. *Exercitia Vitæ spiritualis*, & *Directorium Horarum* scilicet Methodum attentè persoluendi laudem Diuinam, quam elucubrationem latinè ab Auctore Anonymo Ord. Diui Benedicti scriptam, Gallicè loquentem ipse effecerat. Eiusdem adnumerantur aliæ vernaculæ interpretationes, puta.

2. *Spiritualium Exercitationum P. Ioannis Michaelis Constantiensis* huiusce Cœtus summi Archimandritæ.

3. *De conuersione Peccatoris*. Lib. Auctore Dionysio Cartusiano.

4. *Speculum Monasticum Datriani Abbatis*, *alijs Abbatis Blosij*.

5. *Lib. Sermonum*, & alia multa suæ Mineruæ fœcunditate progenita.

CC.

1611. *Ioannes Suuertius*, *Francisci* Suuertij Athænei Belgici sępè sæpius laudati Auctoris, Nepos, in Brunonis album AEui nostro superioris Anno secundo, & octuagesimo illatus, patria Diestensis, professione Religiosa, Coloniensis, interpretatus est materna loquela.

1. *Ludouici Granatensis Opuscula*, Apud Vbios publicata 1611. in 4. typis Albini.

2. *Eiusdem Granatensis Conciones in compendium redegit*, elegantiùs, & accuratiùs quàm Cratepolius, nuncupauitque Sereniss. PP. Alberto & Isabellæ, Coloniæ in præfata officina 1611. Tom. 2. in 4.

3. *Sacra Meditationes de VII. Passionis Dominicæ mysterijs ex Luca Pinello S. I. & Henrico Cuyckio*. Ibidem apud Butgenium 1611. in 12. Spiritum reddidit Creatori Anno restauratę salutis M.D.C. XVII. Sexto Idus Aprilis.

CCI.

1612. *Ioannes Haickstein*, *Germanus*, sacris vocis ad S. Barbaram Coloniæ enuntiatis, Ibidem euulganit, teste Bibliotheca Mariana, aureum opus Ludouici Richeo-

mi Soc. Iesu à se Latinè ex Gallico conuersum, quod prænotatur: *Peregrinus Lauretanus Votum Deipara Virgini nuncupatum exsoluens*. Annus impressæ versionis, & quo enitebat fuit Æui præsentis duodecimus.

CCII.

1613 *Iodocus Lorichius*, in Academia Friburgensi S.Theologiæ Professor, senex Cartusiam apud eamdem Ciuitatem intrauit, & publicæ vtilitati, iacita Brunonis militia, exposuit *Thesaurum sacra Theologia*, magnum, ingensque volumen, in cuius vestibulo præmisit recensionem aliarum Vigiliarum, quarum agnoscendus Auctor. Æternitatis semitas ingreditur Seculi decurrentis, Anno plus minusque tertio, & decimo Ex Mirzo Aetatis septimæ decimæ cap. 196.

CCIII.

1613. *Bernardus Pellicionius*, Bononiensis, & illic Ordini accensitus ad sexto Kalend. Aug huius Anni patrijs typis supposuit Vitã B.Iulianæ Conciuis in 4.Cõcinnauit præterea *Arborem Virorum illustrium, Scriptorum, & General. huius Cætus*, ibidem excusã apud Io: Baptistam Ferronium 1664. Post regimen Monasteriorum Vedanæ, Paduæ, Maggiani, & Lucensis ibidem deuixit, ubi etiam Altissimo se deuouerat.

CCIV.

1614. *Cornelius Groote* è Sæculi æstibus in tranquillum Religionis portum sese Buscoduci recepit, è quo domicilio ad regendam familiam Campensem adscitus, cartis consignauit, non typis, *Collationes de Tempore*, *& de Sanctis* habitas ad Patres in Capitulo. Corporis pondere exoneratur huius Aetatis Anno quarto decimo. Hæc ex Raissio in syllabo, & Camillo Tetino in Prospectu.

CCV.

1615. *Bartholomaus Valpergam* Canonum in Colonia Maioricensi, cuius inquilinus, profundissimus Doctor, moribus spectatissimus, & doctrina clarissimus, suasore viro Dei Alphonso Rodriguez è soc Iesu, scripsit *De nomine Iesu ac de gestis Venerabilis Chatharina Tomas* præsentis Aetatis Anno xv. comprehensus ideo à Vincentio Mut. Hist. Maioricensis Regni T. 2. lib. 11. cap. 195. Cælo recipitur, ut credimus A. 1615.

CCVI.

1616. *Ioannes Valero*, *Segobricensis* non unum in se exhibet virum, quem contemplando admiremur, sed insignem Iuris Pontificij, & sacræ Theologiæ Doctorem, pium admodum in Cathedrali eiusdem Vrbis Canonicum, ac Io: Baptistæ Perez sapientissimi Episcopi Vicarium Generalem; inuictum Atlantem calamitatum, in captiuitate, cuius incommoda Algerij patientissimè hausit; Mundi contemptorem in Cartusiensis vitæ ratione, cui votis se obstrinxit inter Tarraconenses Scalæ Dei sodales Anno Ætatis huic proximæ sexto & nonagesimo; œconomum pervtilem in administratione rerum temporalium Barcinonensis familiæ, quam procurator renunciatus administrauit, superioris vigilantissimi, in Præfecturis, quas gessit laudati Cœnobij, sicut & Vallis Christi, Valentiæ; Vallis Misericordiæ, Vallis Iponæ; itemque Iesus Nazareni, Maioricæ, Religiosissimum Monachum, in conuersationes denique Reipublicæ literariæ promotorem egregium, ingenij fœtibus, qui sunt.

1. *Differentia inter utrumque forum, Iudiciale videlicet, & conscientia* excusæ per Emmanuelem Rodriguez in domestica Maioricensis Cartusiæ typographia 1616, in folio.

2. *Annotationes, & Glossa in Bibliam sacram, in Ius Canonicum, in Concilium Tridentinum, & in Ordinis statuta.*

3. *De virtutibus, & vitijs.* lib. 2.

4. *Institutio Pralatorum*. lib. 5.

5. *Vita S. Hugonis.*

6. *Nota pro celebratione Missarum.* Omnes, primo excepto, latij idiomate exarati, & Mſ. Pertexit ad patriam poſtridie Cal. xbris, Seculi in quo viuimus A. decimo ſexto, cum ſuis ſtudijs, tum Miræi, Nicolai Antonij, & Ioſeph de Valles lucubrationibus à nominis ſilentio, & gloriæ obliuione perpetuò vindicatus.

CCVII.

1616. *Ioannes Antonius Guercius, Ligur*, Genuenſis, ut in alijs promoueret, quam adſcitus inter Cartuſienſes Religioſam acquiſierat perfectionem, materna lingua, & torcularibus Vincentij Caſtellani edidit Romæ, opus, cui titulus *Electionis Vitæ perfectæ*, lib. 2. prout Nomenclatores ſcript. Ligurum omnes.

CCVIII.

1616. *Mattias Tannerus*, Sodalium Friburgenſium Collega, varijs, iiſque ſacris vigilijs adornandis vacabat, è quibus inſpexi lib. in 8. cuſum Friburgi Briſgoiæ formis Io: Iacobi Bockleri A. 1631. inſcriptum *Vallis humilitatis, ſeu vera, & profunda humilitas, noua Methodo explicata, & Sanctorum exemplis illuſtrata.* Extat in Bononienſi ad S. Hieronymi huius Propoſiti Bibliotheca.

CCIX.

1618. *Georgius Garneſelt* Mundo abrenunciauit apud Vbios, & cum pietatis exercitijs, in antiquitate indaganda totus communicauit prælo Ioannis Kinchij.

1. *Geſta B. Nicolai Albergati* ex optimis quibuſcumque Scriptoribus excerpta 1618. in 4.

2. *Necrologium Monachorum*, in quibus Diui Brunonis diſciplina clariùs eluxit. In appendice ad eamdem Eminent. Albergati vitam.

3. *Elucidationes ſacras* in quinque libros de Imaginibus antiquorum Eremitarum 1621. in 8. Ibid.

4. *Vitam B. Ioannis Chryſoſtomi* nitido Orationis genere. Ibid.

5. *Vitas B. B. Stephani Maconi, Bartholomæi Scalæ*, aliorumque Cartuſ. Mſ. penes Cart. Coloniæ.

CCX.

1619. *Bartholomæus Scala, Senenſis*, nomine, cognomento, pietate, ingenioque adamuſſim referens ſuis ex proauis præſtantiſſimum Bartholomæum Scalam Oratorem diſertum, Philoſophum profundiſſimum, Reipublicæ Florentinæ ad Innocentium 8. Ablegatum, monumentis in lucem prolatis apud Michaelem Poccianeium, itemque penes Ludouicum Iacob. à S. Carolo celeberrimum, Rempublicam literariam Ordinemque locupletauit, illuſtrauit rebus geſtis BB. Petri Petronij, & Stephani Maconi ex eadem hac eremitica diſcipl na. Prodierunt patrijs typis in 4. apud Hæredes Lucæ Bonetti A. 1619. & typis Herculis de Leris 1626.

Cæterùm Bartolomæus optimis diſciplinis ab adoleſcentia, S Philippo Nerio Præceptore, informatus, ad profundum vſque ſenium in hac clauſtrali arena glorioſè deſudauit. Leges dedit prudentiſſimè ac ſapientiſſimè omnibus propemodum Prouinciæ Tuſciæ Colonijs, mortemque oppetijt Nonis Martij, Cœnobiticæ initiationis ſexto & quinquageſimo, huius verò, in quo viuimus Seculi ſecundo ſupra quinquageſimum, cuius celebrem famam reddunt Miræus Seculi 17. cap. 197. Monumenta Cartuſiæ Florentinæ mihi communicata à P. Franciſco Bighio moderno eius Præfecto, viro integerrimo, omnigenaque eruditione exculto.

CCXI.

1619. Ad æternę ſalutis brauium reuocatur huius ætatis vndeuigeſimo Anno Antonius Molina, Cartuſiæ Burgenſis, Miraflores nuncupatæ, alumnus. Patrem habuit Antonium Molina, & Franciſcam de Herrera Matrem, natales verò in Oppido Villa-

noua

nona Infantum dicto. Anno 1574. Eremitarum S. Augustini Instituto animum adiecerat, cui præposuit sub Brunone stipendia facere, & inter Cartusienses adnumerari. Adornauit materno eloquio opus, cui Inscriptio: *Instructio sacerdotum ad sacerdotalis muneris sublimitatem noscendam, sanctèque exercendam*. Plus quam vicies prælo recommissum fuit Barcinonæ, Hispali, Gerundæ, Matriti. Post septimam editionem Hispalensem latinitate donatur à Nicolao Iansenio Belga Dominicano typis Coloniensibus 1618 in 8. & Antuerpiæ 1644. forma consimili. Sed & Gallicè loquens exhibuit Renatus Gaultier, & Rothomagi publicauit, ac Parisijs 1643. nec non Lugduni 1636. & ne Italica desideraretur interpretatio, hanc sibi Prouinciam assumpsit Thomas Gallettus I.V.D Sacerdos, edíditque Romę 1614. in 4. D. Virgilius Quignonius cauit, ne quis in sua Penciana Diœcesi ad sacrum promoueretur, qui hunc librum, post sextum ab edicti promulgatione mensem, non totum à litera initiali ad calcem vsque perlegisset. Eiusdem Molinæ è calamo excidere.

2 *Exercitia spiritualia pro personis varijs curis implicitis, & ad æternam salutem anhelantibus* Burgis 1613. in 16.

2. *Exercitia spiritualia circa vtilitatem, profectum, immo necessitatem Orationis mentalis ex Sanctorum Patrum & Ecclesiæ Doctorum auctoritate confirmata*, Ibid 1615. in 4. Cæsar-Augustæ 1616. Matriti, & alibi. Leguntur versione Italica ex studio Cæsaris Melloti Mutinensis, ad S. Laurentium in Damaso Romæ Canonici, & publicata Mediolani 1634 in 8. per Io: Bart. Bidelium.

3. *Epistola eruditissima ad Confessarium Philippi III. De eximendis ab omni vectigalium genere viris Deo emancipatis, eorumque fortunis.* Franciscus à Cruce Cenomanus meminit cuiusdam Antonij Molinæ Matisconensis, politioribus literis præstantissimi, quem alium ab hoc Monacho facimus. A. M. Antonio Arnaud S. Theologię Doctore Sorbonico ad censuram reuocatus, in libro de frequenti communione, vindicatur à sapientissimo nostro Theologo D. Petro à S. Ioseph insigni Apologia, seu Tomo III. Theologiæ modernæ, sub appellatione: *Defensio P. Molinæ Cartusiensis aduersus Auctorem libri de frequenti communione*. Parisijs 1649.

CCXII.

1620. *Polycarpus de la Riuiere, Velaunus*, in Principe Gratianopolitana domo huic sodalitio adiunctus, Prior demum Boni Passus nomen suum æternitati consignauit calami fœcunditate, qua peperit libros materna lingua egregios, dignosque, qui sæpè versentur à pijs. Tituli est.

1. *De contemptu Mundi*. Lugduni ære Antonij Pilehotte 1610. in 8.

2 *Sacra Redemptionis nostræ mysteria, videlicet de Passione Domini nostri Iesu Christi.* Ibidem, eisdemque forma, & charactere, sed Anno insequenti.

3. *Anima pœnitens ad Crucem prouoluta*. Ibid. 1625. in 24.

4. *Angelica, idest de excellentijs, & perfectionibus animæ* 1626. Ibid. in 4.

5. *Historia Ciuitatis Aueniononensis. Ms.*

6. *Hist. Ord. Cartusiensis. Ms.*

7. *Annales Ecclesiastici Cleri Gallicani in plures Tomos distincti Ms.*

8. *Annales Episcoporū Diœsū*. Quibus Ms. usū se tradit Auctor Galliæ Christianæ in prœloquio ad eandem seriem, cujus Polycarpi famigerato nomini nequaquá officere valent Launey Doctoris Parisiensis sannæ & sarcasmi. Enimuerò, qui eum capite quinto pag. 152. De causa secessus S. Brunonis in Eremum, damnat veluti profligatæ fidei Scriptorem cum apud exteros, tum inter Religiosæ eiusdem Anachoresis collegas, facilè reijcitur ex multiplici doctissimorum hominum testimonio, qui de eo cum laude tractant, puta Ioanne Plantauicio; Chronolog. Præsulum Lodou pag. 322. Honorato Bouchè, Tom. 2. Hist. Prouinciæ pag 77. Claudio Roberto, & Sammartanis,

nis, Galliæ Christ. Tom. 2. ubi supra, & Tom. 4. pag. 970. Iacobo Seuertio, In Chronol. Historia Arphiep Lugdun. & Theophylo Raynaudo S.I. in Antemurali Avenionensi, ac in Hercule Commodiano. Comitia etiam Generalia A. 1638. celebrata, Annales Ecclesiæ Gallicanæ absoluere velis remisque festinantem, eamq. ob rem misericordiam (uocabulum est domesticum) pro quo venit facultas se redigendi in ordinem, exposcentem, benignè audiunt, & regiminis munere, studiorum gratia, abire, indulgent, hoc rescripto, veriùs elogio, cui vel voculam in tanti viri commendationem addere, piaculum sit.

Priori Domus Boni-passus ad magnam, & sæpe sæpius repetitam instantiam suam ea sit de causa misericordia operoso, & diu expetito ut operi suo Annalium Christianissimæ Ecclesiæ Gallicanæ liberiùs, & quietiùs instare possit, & summam tandem aliquando ad maiorem Dei gloriam, *Ecclesiæ ipsius Catolica bonum, & exaltationem, & totius Ordinis decus adferre possit manum. Quem & ideò viribus ut suis tenui è filo roboris parui pendentibus mitiùs consulere queat, volumus ut abstineat ab Officio Chori diebus ferialibus; festiuis autem poterit interesse matutinis usque ad laudes, & Vesperis vsque ad Salue Regina; dispensamus etiam cum eo super ieiunijs Ordinis, & ut possit quoque tempore deambulare circa domum, & adire Ciuitatem Auenionensem, & circum vicina, & vbique locum teneat antiquioris.* Vtinam post tot elucubrationes, laudesque pietatem religionemque non abiecisset.

CCXIII.

1620. *Iulianus* in Cœnobio propè Barcinonam, vulgò Mont-allegre, Monachus euulgauit ibidem prælo Ioannis Cormellas in 8 librum, Ibero idiomate, Desenganno de la Vida humana, y instruccion espiritual para ella, nuncupatum. Exhibetur à Nicolao Antonio Bibl. Hispan Instructore.

CCXIV.

1623. *Ioannes Dagonens*, *Gallus*, olim Prior Montis-Dei, & Abbatis-Villæ, I. V. D. peritissimus meliores ad sedes abijt hoc Anno, nomine Aeternitati consignato quatuor egregijs suæ mentis partibus, quibus Orbis literarij opes, auxit, & titulum fecit.

1. *Susanna Danielitica*. Parisijs apud Chapelletum 1612.

2. *Ascetica varia*, Galliè, inter quæ maximè eelebrantur, *Scutum Solitudinis* & .

3. *Tablatura Spiritualis in Antiphonam Salue Regina*, itemque,

4. *Angelorum Poema*. Totidem adnumerantur à Mitęo, Script. Seculi XVII. cap. 197.

CCXV.

1621. *Faustinus Salernus* Cartusiæ S. Martini Neapolitanam supra Vrbem magnificentissimè prominentis Procurator latino Sermone conscripsit.

1. *De Beata Virginis præstantia, eiusque Sanctissima Conceptione, & Sanctificatione*, quod Aetatis labentis Anno vigesimo, & altero suo nomine Venetijs euulgauit Carolus Ramellius I. V. D.

2. *Commentaria in Psalmos*, hactenus inedita penes solemne eius conuersationis claustrum. Faustinum inter Auctores Neapolitanos Toppius adnumerat, inter Marianos verò Hippolytus Marraccius.

CCXVI.

1623. *Benedictus Plutinus*, è *Taurano* in Salentina regione, filius, & aliquando Præfectus Cartusiæ S. Laurentij de Padula elaborauit, sed typis non commisit codicem in 4. inscriptum. *Conclusiones aureæ in Canones Summorum Pontificum, vbi difficiliora dubia in Morali Theologia non minus disertè, quàm succinctè enucleantur*. Extat penes regias S. Martini ædes Neapoli, vbi vir ingenio florentissimus animam exhaluit Anno à Virginis Puerperio sexcentesimo vigesimo tertio vltra millesimum, septimo Idus Februarij. Est huiusce mentio apud Instauratorem Bibl. Neapolitanę.

CCXVII.

CCXVII.

1623. *Hieronymus Planes*, *Hispanus*, in Prouincia S. Ioa. Baptistæ Ord. Minorum strictioris obseruantiæ professor, emeritus S. Theologiæ Lector, Minister etiam sui Conuentus strictiores Cartusiensium leges prædilexit, in quorum Maioricensi Colonia vitæ metam attigit, cum elaborasset Tractatum.

1. *De examine verarum*, *& falsarum reuelationum*, *& raptuum*, *ecstaticarum motionum* in lib. IV. diuisum, forma verò in 4. Valentiæ 1634.

2. *Conciones varias* itidem in 4. Maioricæ 1623. Wadingus in syllabo Minoritano transitus ad Cartusienses nullam mentionem facit, quam patefaciunt Nicolaus Antonius, & Vincentius Mut in Maioricensi historia.

CCXVIII.

1623. *Petrus Daemsius* Patritius *Antuerpianus*, apud Lyram Sanctissimæ Cartusiensium Anachoresi addictus, & huius nostri à plenitudine temporis Seculi XVII. Anno secundo supra trigesimum Coloniæ Diesthemiensis Præses, nullam scientiam intactam reliquit, sed Ingenio ad Poesim magis apto emisit tantùm quæ facillori Mineruâ conceperat.

1. *Encomiasticon Solitudinis Cartusianæ.* Antuerpiæ in 4. 1623. ære Verdusij.

2. *Dictam Cartusianam*, carmine heroico.

3. *De Exercitijs pij Religiosi*. Quibus Apollineis laboribus præfixit nomen suum hoc anagrammate inuolutum; *Spes me durat*. Declarabat Valerius Andreę.

CCIX.

1624. *Gerardus Elisius* posteris exhibuit *Vitam B. Iudoci*, *seu Iusti Martyris Cartusiensis Brilæ in odium fidei suspensi*. Prodijt Bruxellis 1624. in 4. Idem calamo musis suauissimo pangebat carmina diuersa sparsim edita. Vicarij munere fungebatur in Monasterio Bruxellensi Anno 32. Seculi ab apparitione Messiæ septimi decimi; referentibus vtroque compilatore Athenęi Belgici, vnà cum Auctore Elenchi Scriptorum tantummodo Cartusiensium in eisdem Belgij Prouincijs.

CCXX.

1625 *Baptista Cabera*, Cartusię Portæ Cæli, in qua Sacra vota enuntiauerat viros morum probitate spectabiliores descripsit, cuius pii & eruditi compendij meminere Nomenclator Hispaniæ Scriptorum, & qui Primordia Ord. ac familiarum per Catholica regna originem, censum, Auctores, incolas pariter ab eruditione, Religiositate, & prudentia commendandos docta elucubratione perstrinxit Ioseph de Valles Tarraconensis Canonicus pag. 339.

CCXXI.

1625. *Basilius de Faria*, Ex Cantore Ecclesię Eborensis, in claustro huius professionis ibidem gloriosus mundi despector, excellens in Mathematicis quibusdam disciplinis, Latinè admodum disertus, Gallicè loqui doctus, atque Italicè, politicarum rerum non mediocriter gnarus concinnauit.

1. *Artem breuem linguæ latinæ*, eloquio, cuius elegantiam docet, exaratam, mano autem sermone.

2. *De vindicando Regio Patrimonio Regni Portugalliæ.*

3. *De ceremonijs Missæ.*

4. *Vitam S. Brunonis*, *& Historiam Ordinis Cartusiensis vsque ad Generalem XIII.* quæ sola elucubratio typographiæ luce decoratur. Nonis Aprilis Anni ab erectione lapsi hominis 1625. vitæ sibi filum sensit abscindi, cuius sextum, & sexagesimum Annum tunc complebat. Apud G. Cardosum in Agiologio Lusitano sub die V. Augusti nec non, & penes Bibl. Hispanicæ compilatorem promeritis coronatur encomijs.

CCXXII.

CCXXII.

1626. *Iacobus Dionysij*, Prior Cartusiæ Gandauensis selectiora carmina in labyrintho scripsit, quæ à pleri[s]que Monachis Prou. Flandro-Belgicæ adservantur. Denatus est sexto supra vigesimum nostræ Ætatis Anno. Ornabant hæc eadem tempora sua mox recensendi Auctores, quorum neminem immemoiatum abire passus est elenchus Raissianus.

CCXXIII.

1628. *Ludouicus Bourlat*, professus Domus Capellæ in lucem emisit 1. *Schema de Vanitate Mundi, & de Breuitate vitæ hominis*, impressum Montibus Hannoniæ apud Franciscum Wadræum duodetrigesimo huius Æui Anno.

2. Scripsit etiam metricè, *De illustribus viris suæ Domus*.

CCXXIV.

1631. *Antonius de Limon* Suorum Cœtus apud Tornaeum Prorector, quamplures codices Latinè, & Gallicè vertit, nonnulla etiam propria Minerua luculenter exarauit, quæ indistinctè à collectoribus adnumerantur. A. 1631. desiit, esse mortalis.

CCXXV.

1632. *Ioannes à Blitterswick*, Sacrario Domus Bruxellensis Præfectus varia opuscula exotica locutione excusa Flandricè vertebat circa hunc eumdem Dei saluatoris Annum 1632.

CCXXVI.

1632. *Ioannes Richardus, Belga*, ex Propræfecto Bruxellensi ad Syluam S. Martini Præses scripsit *Vindicias chorales aduersus effutientes Chorum in Religionibus introductum pro ineptis ad spiritualia munera*, & alios non paucos Tractatus Ms. Alius fuit huius nominis Io. Richardus, qui notis elucidauit Satyricon Petronij Arbitri excusum Lutetiæ 1585 de quo Antonius Verderius, & Franciscus à Cruce.

CCXXVII.

1623. *Franciscus le Pippre* inter Asceras Gosnayensis in Artesia claustri literatura præstans exposuit Belgico Sermone Vitam S. Patriarchæ sui, à Io. de Madariaga Hispanicè euulgatam: Alia præterea adornabat digna, quæ typis communia fiant.

CCXXVIII.

1631. *Antonius Brauo* huius militiæ Sacramento in Cartusia Hispalensi dicto, in eadem totius familiæ antiquior mortales exuuias deposuit Ann. 1660. Prudentia excellens, & ingenio, summopere dum vixit Ordinis amplitudini vacauit. Prudentia Præfectum domus suæ professionis, Cazallensis item in Montibus Marianis, ac Inspectoris Prouinciæ Lusitaniæ dignissimè gessit. Ingenio & labore collegit.

1. *Aduertentias in Priuilegia Ordinis Cartusiensis*. Hispali 1623. in 4. Francisco de Lyrâ impressore.

2. *Declarationem Apologeticam pro statutis eiusdem Ordinis*. Ibidem.

3. *Resolutiones Iuridicas* Ibid. 1633. Hæc Lexic. Hispanico edidit. Latio autem sermone,

4. *Iuris allegationes pro Prælatorum cuiuscumque Religionis iurisdictione asserenda in Subditorum causis iudicandis, & criminibus vsque ad degradationem puniendis*. Eisdem prælo, tempore, & forma. Antonium hunc profert Syllabus Scriptorũ Hispaniæ Nicolai Antonij.

CCXXIX.

1632. *Petrus d'Walline*, Brunonis in Brussellensi claustro sectator, typis mandauit seriem, nomina, ac dignitates omnium Visitatorũ sui Ordinis in Prouincia Theutoniæ, qui Elenchus legitur in folio excusus ad calcem Originum Cartusiarum Belgij, Raissio Auctore.

CCXXX.

CCXXIX.

1635 *Benedictus Fasolinus*, qui in splendidissimo suæ Patriæ Conuentu, S. Martino inaugurato, Neapoli, Sacri tyrocinij rudimenta posuit, vixit, & sexagenario maior viuendi finem fecit, Bibliothecam eiusdem Domus locupletauit insigni, sed inedita Summa, sub hoc Titulo: *Tractatus Theologicus collectus ex sacra Scriptura*. Continet ingeniosam vnionem Locorum omnium S. Scripturę spectantium ad grauiores Theologiæ Scholasticę quæstiones, quę passim in Academijs agitantur. Vidit, & refert Instaurator Bibl. eiusdem Ciuitatis, & amplissimi Regni.

CCXXX.

1636. *Seuerus de Trafaglionibus* in suæ originis Ciuitate Neapoli cælestis patriæ iter arripuit, Cartusiensium albo illatus, inter quos doctrina excultus occurrit Tractatibus, quos subtexo.

1. *Summula casuum conscientiæ*.

2. *De Viris illustribus Ord. Cartusiensis*, ex varijs monumentis.

3. *Chronicon omnium Priorum Monasterij S. Martini*.

4. *Vita V.V. P.P. D. Bernardi Sydgrauij, & Io. Angeli de Spenis*.

5. *Fundatio Cartusiæ Romanæ, eiusque Moderatorum Synopsis*. Omnia calamo expressa in Bibl. Domus suæ professionis, teste Toppio in collectione literatorum Parthenopeę Vrbis, & Prouinciarum leges ab ea accipientium.

CCXXXI.

1637. *Ioseph. de Sancta Maria, Americanus* cum stabilitatem suam sacro in hoc sodalitio ritè solemniterque votis obligasset, strenuè sustinuit impositas sibi Prouincias Rectoris familiarum Segouiensis del Paular, & Hispalensis de las Cueuas, cuius erat alumnus, vnàque lustrationem censoriam omnium per Castellam suæ Iustitutionis Monasteriorum. Eiusdem, Anno labentis Æui 1659. sublati, habemus hispanicè.

1. *Ritus, ac ceremonias Baptismales* in 4. Excusore Simone Faxardo typographo Hispalensi.

2. *Triumphum aquæ Benedictæ*. In eadem Officina, 1642. in 4.

3. *Informationes super possessione, & iure miraculosa fontis Baptismalis, vulgò S. Iuan de Alfarache in Oslet Betico, Diœcesis Hispalensis*. Ibid. 1630. in 8.

4. Non desunt qui asserant alium concepisse fœtum. *De exorcismis Ecclesiæ militantis*, quos inter laudatę Hispalensis Vrbis Patritius, & literatorum totius Hispaniæ condecorator eximius D. Nicolaus Antonius.

CCXXXII.

1638. *Nicolaus Riccius, de Taberna*, (ea est Calabriæ vlterioris Ciuitas) Religiosissimo huic Ordini in Domo S. Stephani de Nemore solemniter deuotus, spicilegio ex varijs autographis à se delecto nomen fecit.

1. *De viris illustribus Sacri Cartusiensis Ordinis*, cuius exemplar inspexi apud Reuerendissimum P. Alexandrum Montecatenum Ord. in Curia Romana Procuratorem Generalem. Expressit prætereà oratione elegiacè ligata.

2. *Laudes B. Mariæ Virg. & Gesta S. Brunonis*. Mutuatum à terra corpus terræ resignauit, plenus Annis, nec meritus vacuus, quæ Toppius, & Tutinus abūdè cōcelebrāt.

CCXXXIII.

1639 *G. Surianus Belga*, in Teutonia licet ad Brunonis Signa conuolarit, diù tamen Cartusiæ Calabritanæ hospes, reuersus in patriam edidit Bruxellis: *Vitam S. Brunonis Cartusiensium Institutoris primi, Commentarijs illustratam*. Opus in 4. impressore Godefrido Schouartio.

CCXXXIV.

1645. *Bernardus Gort, Præfectus vnius, & alterius Portugalliæ Monasterij*, Patriam

sortitus Barcinonam, animumque virtuti addictissimum & historiæ Cartusianæ illustrandæ percupidum, sed Anno à Salutifera Christi Natiuitate 1645. Idibus Maijs acerbo elatus funere, reliquit in Schedis.

1. *De viris virtutum merito in suo Ordine eminentibus*, seù Kalendarium, aut Martyrologium Cartusianum.

2. *Monarchiam Cartusianam*. Illum inter Cartusienses qui præcellenti eruditione inclaruere recensent G. Cardosus, in Agiologio Lusitano die v. Aprilis; Ioseph de Valles, in sua Cartusiana elucubratione; Nicolaus Antonius, in Bibl. Ibera.

CCXXXV.

1646. *Vincentius Surianus*, *Crotoniensis*, Oeconomus licet, vel Procurator Cartusiæ Neapolitanæ, otium literarium etiam sectatus, multa laboriosè collegit, sapienter dispofuit, luculenter adornauit, & copiosè posteris tradidit XIV. volumina.

1. *De sacramentis*. Tom. 1 & secundus, qui soli gemuere sub prælo Matthæi Nucij Bibliopolæ Parthenopæi in folio Anno 1646.

2. *Soliloquia erga Deiparam, & alios Caelites*. lib. 1.

3. *Homiliæ in Euangelium secundum Matthæum*. Tom. 1. & 2.

4. *Opuscula Ascetica varia*. Tom 1.

5. *De Sacramento confirmationis*. Tom. 3.

6 *Sermones in Psalmos, & præcipuas Deiparæ solemnitates*. lib. 1.

7. *De æterna Beatitudine*.

8. *Sententiarum*. lib. 1.

9. *De vitio Superbiæ*. lib. 1.

10. *De Deo diligendo*. lib. 1.

11. *De vita contemplatiua*. lib. 1.

12 *De Adam, & Eua*. lib. 1.

13. *De Virgine Maria*. lib. 3.

14. *De Christo Domino*. lib. 2.

15 *De laudibus Cartusianæ Religionis*. lib. 1.

Vincentij & nomen, & laudes euulgauit Instructor laudatæ Regni Neapolitani Bibliothecæ.

CCXXXVI.

1646 *Matthæus Valerius Mediolanensis* Insubriæ metropolis editus, Galeaziæ solemnis in agro Ticinensi Cartusiæ, ex Procuratore, Præses, domesticam œconomiam ita exercuit, vt Mineruæ deditissimus, nullam scientiam intactam reliquerit. Consueuit diù cum musis, eccin sque.

1 *Poetica*. Optimè tenebat quicquid ad prædecessores retrò spectat; Chronologiam s æ Patriç callebat, si quis alius; excusserat abditiora sui Ordinis monumenta, summamque eruditionem luculentç eloquentiæ coniungens, facilè, & fœcundè digessit.

2. *Tractatum de Antiquitatibus*.

3. *De rebus Mediolanensibus*.

4 *Historiam Ecclesiasticam, & prophanam Ordinis Cartusiensis, & de hominibus præclaris illius*.

5 Condidit *Opusculum de Theologia*, nam & diuinç facultatis arcana penetrauerat. Animi præterea sui ad cælestia absorpti specimen dedit in libello.

6. *De contemplatione*; Omnes denique humanæ sapientiæ exhaustos à se fontes exuberare fecit in pernobili elucubratione, quàm.

7 *De varia eruditione* inscripsit.

Obijt eripitur Anno eiusdem regenerationis 1640. IV. Nonas Ianuarias, nunquam sapientum abolendus ex fastis, id prohibentibus Æternitatis regestis, seù doctissimorum

rum hominum vigilijs, & præ cæteris Philippi Piccinelli, in Mediolanensi Atheneo, Bernardini Ferrarij, de Veterum Acclamationibus, lib. VI., cap. VII. Philippi Ferrarij, Lexicon Geographico, in nuncupatione eiusdem operis ad ipsum Matthæum Valerium; Iosephi Laurentij, Epistola dedicatoria Dissertationis 26. lib. I. Polymatum; Ferdinandi Vghelli, Additionibus ad Ciaconium, Benedicti Soffaghi, Cæsaris Meloti Eminentissimo Montalto à secretis, in inscriptione exercitiorum Spiritualium Patris Antonij Molinę, præfixa Italicè eorumdem interpretationi; Augustini demum Terzaghi, qui summam casuum conscientiæ Ioannis Baptistæ Bizozzeri sub eius auspicijs, præmisso hoc Epigrammate, typis communem fecit.

Hunc tibi debuerem Censor Matthee Libellum,
Quod fastum docti e posteritatis habes.
Quod te posse domus curis, Musisque vacare,
Fama ait, & veterum scita placere tibi.
Quod quercus non sola beat, vel laurea Phœbi,
Sed redimunt meritas ciuica serta comas.
Quod pius es, nec te sincerior alter habetur,
Inseruitque suo carmine Soffagius.
Artibus his facilem famam Matthae mereris,
Atque tua aratas vincit auena tubas.
Auspicijs prodire suis rogat ecce Valeri,
Si facis, æterno tempore viuit opus.

CCXXVIII.

1648. *Henricus Murer ab Ilstein* professus, & œconomus domus Itinganæ fato functus 1658. 28. Februarij præio parauerat *Heluetiam Sacram*, Idest nomen peramplis codicis de Monast. & Ecclesijs Heluetiæ unà eum Iconibus eorumdem ære incisis, & gestis virorum in eisdem confinijs pietate illustrium. Prodijt in lucem A. 1628. Opera P. Brunonis Molinarij Prioris Itingensis.

CCXXIX.

1649. *Simeon Fornarius*, Sæculo cum calces illisit in celeberrimam SS. Brunonis, & Stephani familiam adscitus, Ariostum inter Etruscæ linguę Musas famigeratum eruditis commentarijs ditabat, elucidabat, cum violentas sibi manus sæuam iniecisse mortem sentiens, calamum, & carnis sarcinam deposuit, referente Camillo Tutino ad huius Æui, & Cartusiensium Annalium, si non mauis Annalium Idæam dicere Anno 1649.

CCXL.

1654. *Andreas Cancellerius Neapolitanus* vitæ claustrali, mundo posthabito, se donat, in domo, quæ ibidem sub S. Martini inuocatione magnificentissimè assurgit, Anno reparationis humanę septimo decimo suprà millesimum sexcentesimum. Archimandrita ibidem designatus, & Præses Prouinciæ S. Brunonis, aut, quod idem sonat, Neapolitanæ Interfuit Generali PP. Concistotio A 1659. 12. Maij celebrato, submisitque Typis Francisci Sauij excusoris Gratiopolitani Cóciọnem à se habitá ad Patres conscriptos in 4. Ad extrema deuenit 21. Februarij nostri Seculi, suęque Ætatis Anno octauo ultra sexagesimum. In eius laudes affatim sese effundunt Blasius Cusanus in sacra Poesi, fol: 241. Ioannes Donatus Epiphanius, in Parnaso, seu Poetico plausu; Leonardus Duardus, in Epistola dedicatoria commentarij super caput *Omnis utriusque sexus*; Ludouicus Bozzotus in elucubratione, titulo *Veri Amantes*; Petrus Mangrella, in opusculo prænotato, *Famosa Scio*, Vincentius Scoppa, in Panegirico Laconico, fol. II. L. E. Demum series scriptorum Regni Neapolitani per Nicolaum Toppium contexta, pag. 12.

CCXLI.

1656. *Benedictus Costa fortis* Pedemontanus, Fossanensis. Vt primum ex ephebis excessit Ordini ad Vallem Pisij, quam inter asperrimas Diœcesis Mont s Regalis Alpes pijssimam huius Sodalitij Domum mox dicemus, sese aggregauit, & diuinis obsequis solemni votorum Sacramento addictus, nonnumquam ibi, aliquando etiam & alibi rei domesticę administrator,

1. *Scripsit Res gestas Serua Dei Isabella Costa-fortis Virginis* Fossanensis. Taurini in 4. A. 1656.

2. *Annalium Theorema cum Priorum stemmate domus Vallis Pisij.*

3. *Historiam Montis S. Petri, & S. Mariæ Lauretanæ prope Sauonam* Quæ duo eiusdem Institutionis domicilia in Genuensis Reipublicæ confinijs prope Sauonam, & Albingam superioribus Annis hospes incoleb it. Narrata partim ex Ep Salutiensi, & nostri D. Andreæ Rossoti Subalpinorum Auctorum ex serie scripsimus, alia verò didicimus ex eiusdem Epistolis duobus supra Annis sub Die xx. Xbris Sauona ad me datis.

CCXLII.

1658. *Iacobus Desiderius Romanus* apud S. Christophorum Ferrariæ eremeticę huic conuersationi iure iurando deuinctus maiori, facultatum tempotalium Domus Maggiani prouidus dispensator, Bonon. Typograph. A. 1658. decorabat editione voluminis in 4 italicè elaborati, quod complectitur *Vitam Beati Brunonis Cartusier sium Institutoris.* Post laudabilem Motralitatis Clausulam Æternitatem exorsus est Anno voluentis Æui sexagesimo, in præfata Maggiani Domo.

CCXLIII.

1659. *Cyrillus de Michal à Monte* Regali in Subalpinis sub Anagrammatico nomine, Michel Colandrio prælo supposuit Vitam Beati Guillelmi Casularum Domus Conuersi Lodani, seu Loani ad Oram occidentalem Maris Ligustici A. 1659. Verùm, vt Auctor datis 29. 9bris Anni superioris cauit, plus labor absque superiorum Claustralium censura excusus, eorumdem animadversione luce orbatus est, quam impressionis beneficio acceperat, & distrahi prohibitus.

CCXLIV.

1659 *Nicolaus de la Iglesia* ex filijs Cartusiæ Miraflores nuncupatæ commendatur ab Alua, col 1102. militiæ vniuersalis ob quamdam elucubrationem, quam ineditam notat Nomenclator clarissimus Auctorum Iberiæ, Hispal. Patritius, edita verò Burgis 1659. in 4. haurio ex Mſ. Auctuario P. Marracij ad suam Bibliothecam Marianam. Titulus vernacula Auctoris lingua est: *Flores de Miraflores, Hieroglyfici sacri, veritates figuris expressæ, vmbræ veraces Mysterij Immaculatæ Conceptionis Dominæ nostræ.*

CCXLV.

1660. *Ioseph Rosell, Barcinonensis* ex Cœnobita Mont-Allegrensis versatissimus in Theologia speculatiua, & Morali, vtriusque nobile vestigium expressit in Tractatu, seu *Praxi deponendi conscientiam in dubijs, & scrupulis circa Casus morales occurrentibus*. Excusoribus Philippo Borde Lugdunensi Bibliopola 1660. in 8. & Balthassar Viueen Bruxellensi 1661. itidem in 8 Huius vitæ fabulam peregit. 1665. Nicolaus Antonius docet hunc Ioseph Rosell filium extitisse Francisci Barcinonę Physici, qui illustrauit suis commentarijs libros Galeni De Differentijs, & Causis morborum.

CCLVI.

1667. *Bernardus de Castro* Stipendia fecit sub Brunone in Segouiensi del Paular statione, in qua licet iamdudum in cinerem abierit, etiam nunc viuit in Libello manu exarato, cui nomen, *Triumphus Imperatoris nostri Iesu Christi*. Ex Ægidio Gonzalez Dauila in Hist. Henrici 3. & sepè laudato Athenæi Iberi compilatore.

CCXLVII.

CCXLVII.

1667. *Martinus de Alcolea*, Theologiæ, cui à moribus formandis nomen addictissimus, digessit, distinctas, ac dissociatas loco ligauit Resolutiones R. P. Antonini Dianę in eadem facultate Doctoris insignis, nouemque Tomis in folio complexas Lugduni communes fecit A. 1669. in Officina Io: Antonij Huguetam, & Guillelmi Barbier sub inscriptione ab ipsomet Antonino Diana formata, quę est *Antoninus Diana coordinatus seu omnes resolutiones morales eius ipsissimis verbis ad propria loca, & materias fideliter disposita, & distributa, sed titulis nouis, notis marginalibus, & Indicibus necessarijs clara luce, & clariori dispositione illustratus, ac in nouem Tomos digestus, nunc primùm prodit per Ven. P. Martinum de Alcolea Monachum Cartusiensem ex Regali Canobio del Paular.* Viuere, & scribere desijt Anno humanitatis à Deo assumptæ 1673. nonagenario maior iure merito consequutus Encomium Anagrammaticum, quod ex eius enucleato nomine eduxit Andreas Noel *Martinus de Alcolea, Cole, sum alter Diana.*

CCXLVIII.

1667. *Bernardinus de Planes*, ad Barcinonaense de Mont allegre Asceterium sodalis, Auctor censetur libri Hispano sermone compilati, quem à triginta Annis in Monasterijs Prouincię Cataloniæ adseruatum ipse in prçloquio ad Lectorem advertit. Productus est in lucem formis Antonij la Caualleria Barcinonę A. 1669. in 4. Pręnotatur . *Concordantia Mystica*. Agit verò tribus libris de totidem perfectionis vijs Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua, comprobans simul Seraphicam Carmeli Restauratricem S. Teresiam à IESV, nihil in Mystico, speculatiuo hoc dicendi genere effatam, non consonum SS. Patribus, cæterisque Vitæ spiritualis Institutoribus.

CCXLIX.

1660 *Blasius Bonellus è Melanio* Prouincię Catacensis Oppido, Neapoli in S. Martini Ædibus huius disciplinę Conuersus, inter Musas Parthenopęas calami haud insuauis propè diem apponet extremam manum Operi Italico Parnasso iucundissimo, sub nomine. *Angelicum Solamen, seù Anima amantis delitia*. Idem nedum Brunonis Asceta pangebat carmine spirituali. *De Christi incunabulis*, quod Titulo Pastoris felicis, nomine verò Francisci Bonelli Pisis emanauit è prçlo Anno 1670. Fidem facit Nicolaus Toppi, Bibl. Neapol. pag. 49.

CCL.

1674 *Fulgentius Cecheronus, vel Ceccaronius* Alumnus, & Antiquior domus Bononiensis, cuius ob Belriguardi, Lucensis, Maggiani, nec non & laudati eius professionis Monasteriorum optimum regimen, æternùm vigebit memoria, elaborabat materno idiomate, *Coronam virorum illustrium Ordinis Cartusiensis* in plures Tomos digestam. Comes Manzinus Ceneius, & Cozzus Nestoreos ei adprecabatur Annos, ne vitæ antequam huiuscemodi Operis finem faceret, prout in gestis D. Brunonis sub titulo, Incentiua ad perfectionem, ab eodem Comite eruditissimo Bononię editis cap. 11. pag. 63. Verùm in Cartis Capitulorum Generalium, quibus ad instruendam huius Historiæ veritatem potissimum usi sumus, vtrumque fati Imperio breui post tempore paruisse lego; Fulgentium quidem Anno prænotato 1674. sexagesimo Religiosi stadij, cunctis venerabilem: Comitem verò infra Triennium, ob gesta Antesignani Brunonis nitidè, & floridè edita, alijsque nominibus dignus habitus, qui in Necrologijs Ordinis adnotaretur Anniuersaria Hostiæ Incruentæ Oblatione suffragandus.

CCLI.

1674. *Iannarius de Simeone* Partenope, ubi natus, Claustrale amplexus institu-

tum, prçcellenti Doctrina, & exemplari probitate eminens compilauit, non typis exposuit.

1. *Totius Sacra Scriptura flores cum Scholijs Glossa ordinaria, & interlineatis Nicolai Lyrani, & Emanuelis Sa.* haud mediocri accuratione collectos A. 1642.

2. *De Preparatione ad Mortem*. Opus in quatuor Tomos distinctum, quorum duo in folio, reliqua in 4. In his elucidantur turbæ tentationum, quæ Dæmone classicum canente, circumobsident animam agentes, ac tenebræ, & multiplices errores earumdem &. Animum despondentibus vires adduntur ad Cçli ineundam possessionem in ipso statim transitu. Proponuntur obiectiones, & refelluntur. Expenduntur Aduersariorum contradictiones. Declarantur natura, & finis exemplorum Diuinç Misericordię, & Iustitię, eorumque admirabile Fçdus. Exhibentur spe destitutis ratio Indulgentię consequendç, actus expressi, & apti ad Beatificam mox adeundam Eternitatem, comprobata simul ineluctabili argumentorum ui, equitate sperandç Gloriæ ob merita Sanguinis Effusi, mortisque à Christo salutis restauratore pro nobis perpessç, siquidem adsint Fides, Spes, Charitas, Conformatio diuinç voluntati, & aliç ad id requisitç virtutes. Absoluebat Anno 1674.

3. *Contra abusus Missa breuioris*. Exprimuntur tredecim causç vnaque deflentur inaduertentię, quorum crimine nec ad congruam horç medietatem protrahitur. In folio.

4. *Contra Ineptus, & confabulationes in Ecclesijs tempore Sacri*. Eius notitia tribuenda Bibliothecç Neapolitanç fol. 106. Viuit adhuc.

CCLII.

1675. *Innocentius Le-Masson*. Vide inter Priores Generales.

CCLIII.

1678. *Benignus Gherardi* diuinis obsequijs ad S Bartholomeum Genuç deuotus, suauem, quàm Mundo mortuus, fruitur in Christo vitam, luculenter expressit Opusculo, quod ibidem emersit è prælo Antonij Georgij Franchelli 1628. in 16. cum inscriptione. *Vita mortis abscondita, siuè Mystica Dissertatio in illud D. Pauli Apostoli ad Coloss. 3. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Alia habet sub lima.

CCLIV.

1681. *Petrus Antonius de Loche* nobilis Allobrox, Cartusię reliquas fonio, & dignitate prestantis Alumnus, diuturna mihi amicitia intimus, Pietate, & Literatura generis splendori fœderatis elaborauit.

1. *Catenam sacram* in Cãtica Canticorũ, Opus in 4. propè diem typis supponendum.

2. *Fasciculum Sermonum Capitularium*, quos inter editum pro Comitijs Generalibus proximo verè celebrandis.

Vir varijs nominibus commendabilis nuper ex Moderatore S. Bartholomæi de Trisulco, quç duodecimo ab Anagnia Agri Romani Vrbe, Lapide floret huius Institutionis Colonia, eaquè PP. antiqui rigoris Obseruantia, & eruditionis nitore numquam non insignis, cuius etiam Rector, Petri Antecessor, prçclaram elucubrationem de Horologijs solaribus concinnauit, quàm cum Figuris ære sculptis dum Romç gemere sub prçlo curaret, vitam absoluit, impressione vix inchoata, & Ms. demonstrationes in ære delineatç habentur in Trisultana eiusdem familiæ Bibliotheca, accersitus est ad regimen domus Taurinensis, in qua iampridem Procuratorem egit.

CCLV

1681. *Leo le Vasseur Prior S. Iuliani* excitus fama meç huius elucubrationis festinat vltimam manum imponere Historiæ eiusdem sui Cartusiensis Ordinis, in qua adornanda Annorum fermè viginti spatio egregiam nauauit operam. Cuius Operi eruditissimo,

ditissimo, & diuturni otij commodo expolitissimo si prævio hoc labore nihil addidero, sat erit ardens in hanc Institutionem comprobasse studium, eiusdemque præclara monumenta hactenus desiderata, tandem aliquando, & ab exteris, & à domesticis vno eodemque tempore typis supponi.

AVCTORVM CARTVS. INCERTÆ ÆTATIS ALPHABETICA APPENDIX.

I.

Anonymus libros cond.dit, quibus titulus Gallicé, Le Chateau peril leux, ad Sanctimonialem Fontis Ebraldi.

2. *Horologium sapientiæ*.

3. *Soliloquia S. Augustini*, omnia lingua materna. Asseruantur MSS Lutetiæ in Bibliotheçę Regiæ Xysto 11., referente P. Labbeo Supplemento 8. nouæ Bibliothecę MSS. 439. pag. 316.

II.

Gerardus N. Auctor fuit libri de Oratione, aliquando recusi sub nomine Nicolai Plouc, teste Martino ab Azpilcueta Doctore Nauarro, libri de Oratione, & Horis Canonicis cap. 8. n. 5.

III.

Henricus Kemenadius De vtili Institutione Venerabilis Sacramenti Ms. in Cart. Moguntina. Petreius.

IV.

Hieronymus Broenick PP. Legnicensium Collega iussu Prioris Generalis Magnæ Cartusiæ compilauit *Sermones nonnullos Capitulares, seu diebus solemnibus legendos in Capitulo loco concionis*. Ex ijs qui etiam nunc habentur in Cartusia Buxiana liquet Collect. Broenickium virum fuisse præstantia doctrinæ atque pietatis non incelebrem. Complectitur in censu scriptorum huius Institutionis edito à Theodoro Petreio.

V.

Hippolytus Candidus Ciuis Neapolitanus, vbi genitus mundo, ibi regeneratus Deo, raptus est ad plures dum Theologus celeberrimus, studijs, & orationi enixè deditus expoliret opus tripartitum,

1. *De Summo Deo.*

2. *De eius Generali Vicario Romano Pontifice.*

3. *De ipso Regno, & Ecclesia. Refert Nicolaus Toppius*, Bibl. Neapolitanæ P. 1. pag. 101.

VI.

1. *Iacobus de Fauernijs*, Patria Friburgensis, domus verò Itinganæ Senior, quemadmodum diuini amoris incendio aestuans, continuis iaculatorijs precibus totus in eum mente ferebatur, ita illius amore posteros inardescere docuit, libellis quatuor earumdem precum conscriptis. Vixit Cœnobita Annos ad quadraginta, quorum ter denos in Sacrarij præfectura, & Vicarij munere expleuit. Memoratur à P. Fulgentio Ceccaronio T. IV. Coronæ D. Brunon.

VII.

Iacobus Cartusiensis Theologus eximius composuit, *Disputationem pro vtraque parte Concilij Basileensis*. Extat manu exarata pęnes Marcum Dresserum, teste instauratore Bibl. Pontificiæ Ludouico Iacob à S. Carolo lib. 11. pag. 344.

VIII.

Ioannes de Blederodo Flander, in Colonia Diest-hemiensi Conuersus seruilibus va-

cans

cans laboribus. Mineruæ litauit, & ipse accommodatione, ac Belgica loquutione non-nullorum opusculorum. Recenset in Elencho suo Raisius.

IX.

Ioannes à Louanio solemni iure iurando Eremiticę huic conuersationi Antuerpiensi in claustro deuotus, totius antiquitatis peruestigator solertissimus, elucubrauit Historiam Summorum Pontificum, & alia multa luculenter edita: Commendatur ab Apparatus Sacri, Athenarum Belgicarum, Bibliothecæ Pontificiæ Instauratoribus, itemque à Bostio, & Sutore.

X.

Laicardus N contexuit Vitam Amblari, qui ex Episcopalis dignitatis in Ecclesia Diniensi fastigio Monasticam ad humilitatem descendens, meruit sub Brunone Anno à Deo in forma serui quinquagesimo sexto supra duodecim Secula. Laicardi memoria deprompta ex Sammartanis in Elogio Amblari, Galliæ Christianę T. II.

XI.

Marcellus Geistius, Ignotus & ipse quoad ætatem, ac domicilium, in quo stabilitatem suam Deo vouit, innotescit ex solis ingenij monumentis manu exaratis in Cart. Moguntina, nempè.

1. *Sermonibus super Epistolas, quibus Ordo Cartusiensis vtitur in piacularibus defunctorum sacrificijs*.

2. *Summa de VII. Ecclesiæ Sacramentis*.

3. *De natura Vniuersali*. Meminit Appendix ad Bibliotecam Cartusianam Petrei.

XII.

Michael Boquain gallico sermone Tractatum reliquit, *De Ceremonijs Missæ Ms.* In Xysto II. Bibl. Regiæ n. 372. Ita docet supplementum VIII. P. Labbe ad recentiorem Mss. Bibliothecam pag. 229.

XIII.

Philippus N. egit de Brauio, & cursu Spirituali libellum in 8. Eius memoria in monumentis Cartusiæ Herbipolensis.

XIV.

Philippus Belle professus Domus Louaniensis præterquamquod æneis figuris, luculentisque notis quædam Opuscula Lanspergij illustrauit quamplures eruditorum vigilias materno idiomate donauit, quas indicat, haud tamen exprimit, Raisius in Indiculo.

XV.

Walterus Borm vitæ claustrali solemniter addictus in Cœnobio ab amplitudinis, & sacræ magnificentiæ nitore Domus Monachorum nuncupato, scripsit materna sua Geldrica lingua, *Vitam B. Annæ cum nonnullis miraculis ab eadem gloriosissima Dei Parentis genitrice patratis*. Recensetur in serie Arnaldi Raissij.

THEATRI

THEATRI CHRONOLOGICI SACRI CARTVSIENSIS ORDINIS

PARS QVINTA.

FASTI SACRI.

I.



GRI Cartusiensis primitias in Cælum inuehit *Landuinus*, qui alter à Brunone supremus Ordinis Archimandrita, cum puriores Eremiticæ disciplinę latices à sacrę eiusdem Conuersationis fonte haustutus in Calabriam congessisset, in regressu à Guiberti Antipapæ Satellitibus comprehensus, & in carcerem trusus, prò constanti in verum Pontificem studio gloriosam oppetijt mortem, sequutus à Rodulpho Professionis, itinerisque collega. Landuuini meminere Surius, Vitæ Sancti Brunonis cap. 26. Ferrarius, & Canisius, in suis Martyrologijs, alijque, quorum nonnullis denascitur 1100. 30. Martij, alijs 14. Septembris.

II.

1101. *S. Bruno Patriarcha*, consummato peregrinationis agone, mortales exuuias deponit pridie Nonarum Octobris, æternùm in Cęlo beandus. Sarcophagus Epigraphe subiectâ condecoratus.

Primus in hac Christi fundator Ouilis Eremo,
Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, Genitrix Germania, meque,
Transtulit ad Calabros, grata quies nemoris.
Doctor eram, præco Christi, Vir notus in Orbe,
Desuper istud erat, gratia, non meritum.
Carnis vincla dies Octobris sexta resoluit,
Ossa manent tumulo, spiritus Astra petit.

Ab eodem tumulo diù emanauit fons viuus, quo epoto quamplurimi conclamatæ salutis incolumitati restituti sunt. Vitę Commentaria edidere inter exteros Comes Manzinus Bononiensis, Meleagrus Pentimallus, & alij rerum á Diuis gestarum centuriatores.

Ex domesticis verò Petrus Bloemeuenna, Petrus Sutor, Franciscus à Puteo, Laurentius Surius, Zaccarias Benedictus, & Iacobus Desiderius; G. Surianus Belga, apud quem quemadmodum dilucidè patent miracula, luculenter etiam comprobatur Sacerdo-

cerdotio initiatus, olim apud exactiores Historicos dubium. Anno 1514 à Leone 10. Diuis accensitus est, coliturque Officio Ecclesiastico Sancito Greg. XII.

III.

Sole occidente syderum agmina aciem explicant, & lucis spiculis vmbras eliminantes, noctem propellunt. Brunone ad superos euocato, & luminari adeò præclaro hominum ex oculis aufugiente, prodit luculenta eius filiorum acies, virtutum meritorumque armis corusca, quæ Cælo expugnato, Sæculi quoque caliginem, densas nimirum vitiorum tenebras sanctissimæ conuersationis valet irradiare nitore. Elucescunt minorum veluti Coriphæi astrorum primi sanctissimi Institutoris alumni, duo *Stephani Burgensis*, *& Diensis*, *Vgo Capellanus*, (*Landouini* iam meminimus) *Andreas*, *& Guarinus Conuersi*, qui om nes sex stellarum symbolo diuinitus præsignati, conuersationis splendore, cælestia æquarunt auspicia. *Stephanus Burgensis* renunciatus Prior Cartusiæ Maiorevi recenter conditæ, ait enim Auctor vitæ Pontij de Balmeto eius conditoris, illum contignasse dotem familiæ, quam moliebatur *Fr. Stephano Patri sibi carissimo vni ex septem primis heremitis Cartusiæ pro Priore ibi misso*, somnum mortis excepit Anno millesimo centesimo duodecimo Non. Ianuarij. *Vgo Capellanus* apud quamplures scriptores profundè consenuit, & Anno 1137. Generalis Cœnobiarca adscitus, post biennium supremo munere volens, lubens abiuit, expleuitque ætates suas Anno circiter 1145. Reliqui viam vniuersæ carnis ingressi sunt Anno, dieque incompertis, ante Annum tamen 1139. quo Cartusia matrice niuibus obruta, ideoque paulò infra montis crepidinem translata ipsi, qui iamdudum in Cœmeterio S. Mariæ de Casalibus quiescebant, traducti sunt ad Ecclesiam S Crucis inferius extructam, ciusque sub ara Principe conditi, vbi à Deo miraculis illustrati, ab indigenis quoque, aduenisque humili deuotione venerantur. Certo nonnulli, allj Anno adhuc desiderato sublati, propius hi omnes Brunonem subsequuntur, ne primogenita soboles, vel funere dissocietur à genitore, vnàque commemorati, sint quasi filij Aaron in gloria sua, victoresque Athletæ, quorum trophæis Antesignanus Bruno coronetur.

IV.

1114. *Lanuinus Normannus* S. Brunonis primò Cartusiæ in Eremo, postmodum in Italia socius, eidem Romæ adfuit, Calabriranam stabilienti propaginem, egregiam nauauit operam, quem etiam vita defunctum in munere Rectoratus excepit. Apud Vrbanum II & Paschalem huius itidem nominis secundum magna in æstimatione, gratiibus oneratus est curis. Sedit in Concilijs eorum tempore habitis Romæ, Florentiæ, Guastallæ, Beneuenti. A. 1104. demandata ei electio Abbatis S. Iuliani, & 1180. au ctoritate Apostolica Catacensem Prouinciam Censor perlustrat, prauosque mores euellit. Gratia quoque pollens apud Rogerium Calabriæ Comitem, ab eo cooptatus est in Patrinum filij ab Adelasia suscepti, S. Brunone eumdem facto è fonte leuante. Amplissimum Monasterium, & Ordinem grauissimis ornauit moribus, præclarisque virtutibus, quibus inter PP. Ordinis Beati titulo condecoratus est, & eodem quo diuus Bruno tumulo conditus, post Annos sex, & quadringentos cum ipso eleuatus, in magnificentiori S. Stephani Ecclesia recolitur. Celebratur à Necrologio Cart. Squillacensis, Breui Chron eiusdem domus, Camillo Tutino; Maraldo, in Rithmico Baptismatis Rogerij Calab. Comitis; G. Suriano, in scholijs ad Vitam S. Brunonis, vbi producit, Ep. Vrbani II. aliaque diplomata Pontificia ad eum directa.

V.

Odilo S. Hugonis Ep. Gratianopolitani Pater, de quo Guigo §. 1. Vitæ eiusdem S. Hugonis. Pater, Odilo nomine, præter alia quamplurima, quæ militari licet in habitu laudabiliter gessit, vel habuit, veritatis, & castitatis amator extitit. Nam, & mendacia ingenua mentis affectione religiosis quàmplurimis ampliùs euitabat,

& li-

& licet duas, priore defuncta citiùs fuerit sortitus vxores, nullos tamen, quod his temporibus, & hac temporum labe, præsertim in potentibus, monstro simile ducitur, præter vxorios est expertus amplexus. Idemque ipse æuo iam grauis, sanctissimo monente filio, tanto feruore contempsit Sæculum, vt senectutis immemor, & delicatæ consuetudinis, duras, quas Cartusia propter verba labiorum Dei custodit, vias aggredi non dubitauerit. Vbi Annis ferè decem, & octo in tanta sobrietate, tanta vixit humilitate, vt cunctis ibidem Deo famulantibus charus, cunctis haberetur veneratione dignissimus. Cui viam vniuersæ carnis ingresuro (erat quippè fermè iam centenarius) venerabilis affuit filius, eum que proprijs, & inunxit, & sacra communione refecit manibus. Expletoque condigna veneratione tam Sancto funere obitus diem sicut & matris eleem. quoad vixit, celebrè duxit, & sacrificijs, siquidè & ipsa mater proprias iuxta ædes, quod fœminarum ritus Cartusiensis nulla adhuc clausura extaret, cum nonnullis eiusdem deuotionis socijabus, vitam filio & consorti consimilem ad supremam vsque diem peregit.

VI.

1125. *Lambertus Burgundus* Calixti II. affinis, secundus qui post Diuum Brunonem familiæ Calabricæ regimen sustinuerit, ibidem tertiæ mai datur 8. Calendis magno cum elogio Sanctitatis, inculpatæ nimirum vitæ senex, austeritatis initialis constantissimus prosecutor, & dignus, qui in sphera ignea, circumgaudentibus & plaudentibus Angelorum Choris Cælo inuehi visus sit. Consulendi Auctor Chronol. Monasterij SS. Brunonis, & Stephani; Camillus Tutinus in Prospectu hist. Cartus. A. M. C. XXV. G. Surianus Belga, in Auctuario Vitæ S. Brunonis pag. 4 6.

VII.

Agnes de Bressieu. Recenti Excubiarum plantationi præposita, nouas in ædes omnem secum inquilinam induxit probitatem, eamque feruentissimè Deo famulandi contentionem accendit, quæ tunc temporis solum ordo clarguit, cum afflictis Sæculi malitia rebus sanctimoniales tutioribus accersitæ sunt Colonijs, & claustrum solitudine squalluit. Nicolaus Chorier, in hist. Delphinatus.

VIII.

1127. *Leo* Lanuini, & Lamberti in regimine domus apud Squillacum successor. Leo nuncupatione, Agnus moribus, ampliauit gentem suam adeptus gloriam in conuersatione eius, & in eadem Eremo Sancti Institutoris alumnus, illum etiam encomiastem habere promeruit in Ep. ad Ascetas Gratianapolitanos. in qua de sua in Italia propagine agens, monachis eam probitate præstantissimis fecundam tradit.

IX.

1132. *Gualterius Calnesius* Corpore excessit post Annos consuetudinis Anachoreticæ fermè viginti proximè sequutus ad coronam Gratianopolis Antistitem S. Hugonem, Ducem videlicet inuictum strenuus miles, is enim fuit, de quo Guigo in vita. Vir Deo charus Gaulterius, cognomento Calnesius, qui apud nos in Monachatu diù laudabiliter vixit, & obijt, solebat referre, quod cum in Sæculo positus, suasei confiteretur offensas (erat enim in Ecclesia Gratianopolitana literis, & honore præclarus) incubuerit ipse super caput eius, & tantam vertici lachrymarum infuderit copiam, vt madefactis capillis, deorsum etiam riuuli per confitentis ora defluerent.

X.

1132. *Rodulphus à Crucifixo Calaber*. Sextus à S. Brunone Cœnobium S. Stephani rexit, in quo, eodem magistro, tyrocinij rudimenta posuerat. A Crucifixo nuncupatus, & Crucifixi egregius æmulator, viuebat ipse, iam non ipse, viuebat autem in ipso Cristus, ad quem humanis abiens pijssime migrauit quinto nonas Octobris. Ex præfatis instauratoribus Prospectus hist. Cartus. Chronol. gæ Domus S. Stephani,

XI.

1135 *Arduinus Lotharingus, & Socij*. Cellæ Cartusiæ Maioris n'uibus, saxis, humoque dæmonis opera ex imminenti montis vertice subitò delapsis, ferè omnes obrutæ sunt, & Monachos incolas compressere Excidij adeo funesti nuncio ad Petrum Venerabilem perlato, is à stupore exorsus est Epistolam xii. lib. ii. Guigoni, & paucis qui effugerant scriptam. Audita dilectissimi, & vix credita Apostolici numeri, & Cælestis Collegij vestri tam subita, & inopinata imminutione: Fateor, quasi in extasi raptus diù stupui. Occurrebant, & quasi violenter cordi meo se immergebant, hinc rei nouitas, illinc abyssus consiliorum Dei, hinc pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Et infra ostensuros defunctos, è Cellarum ruinis ad Cæli gaudia translatos, dedecere inquit eorum exequijs fletus, qui lachrymarum omnem materiam exhauserunt, qui ad vitam illam peruenerunt, de qua in Apocalypsi Ioannis vox de Cælo ait, Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & mors non erit vltrà, neque luctus, neq; ie dolor.

Sed abbreuiata Congregatio felici licet suorum exhilarata consummatione, fletibus nequaquam parcebat. Vberrimis defluebat lachrymis, quod funeratum vnà cum ipsis instrutionis suæ feruorem, zelumque contumuiasset. Enimuerò ipsis occidentibus luctuosam nimis Eclipsim passa est. Antelmo qui infra Annum Guigoni in Generalatu successit strenuè adlaborandum fuit, vt ædificia moresque restitueret.

Intepuerat enim Ordinis obseruantia, (inquit apud Surium vita ab eius æquali conscripta §. v.) post decessum memorati Prioris, nec erat is, qui antea fuerat, religionis feruor, siue seueritas disciplinæ propter defectum virorum fortium, qui inde accidit, quod beatus ille Sanctorum Conuentus, paucis periculum euadentibus, vno die, vel potius vna hora pariter extinctus, laboris sui præmium à Domino percepit; quando ab altissimis montibus nix, humus & saxa in cellas Monasterij ruentia, fratres sua mole oppressere.

Horum vnus natione Lotharingus duodecimo à strage niuali die viuus effossus est integer sensu; memoriaque repertus. Qui ad claustrum deportatus, pauca quidem verba, sed miræ dulcedinis, & suauissimi affectus sciscitantibus, respondit. Dehinc confessus, inunctus, & post longam inediam, Dominico corpore, quod auidissimè requirebat, saginatus, placidissimo fine quieuit. Hæc Dorlandus Chron. cap. 3. lib. iv. euenisse scribit Guigonis vitæ Anno penultimo, idest 1136. Sutor verò, lib. 2., Tract. 4. cap. v. pag. 5. contigisse vult triennio ante, qui etiam Lotharingi nomen, Arduinum fuisse refert. Garnefelt eadem tenet.

XII.

1137. *Conuersus Magnæ Cartusiæ* circa hæc tempora floruit, viuente scilicet Guigone V. Priore, de quo Petrus Celiensis Abbas. Lib. 2. Miracul. cap. 20. Et ecce in multo iam processu noctis, ipsi adhuc vigilanti, & cælestia meditanti, dæmonum turba in specie potentum agrestium apparuit. Sed cum impotenti in Dei famulum cateruę furere tantum per ceiiam, discursu insano, rictu horrendo, dentibusque longissimis velut ad eius necem exaeutis extrema minari Cælitus daretur, enormis magnitudinis Gigas cellam ingressus segnitiem arguit sociorum. Vncum ipse ferreum longis, ac recuruis vngulis manu ferens, conijcit ad eundem capiendum. Præda se potituiū fidebat acrior hic hostis, cum Mater Misericordiæ Maria visibiliter apparuit, ac virga leui manu prætensa; Quomodo, inquit, huc detestandi venire ausi fuistis? Non est, non est hic vester, nec iam contra eum in aliquo præualere poteritis. Dixit, ac dicto velocius totum illud Infandum Collegium, vt fumus euanuit. Perstitit illa post Dæmonum fugam cum homine adhuc tremente, cumque his verbis con-

consolata est. Placet, inquit, quod facis, tuique animi deuotionem, Deo, mihique gratam esse noueris. fac ergo quod facis, & de his ad meliora perseueranter proficere stude.

XIII.

Sub Praefati Conuersi Magisterio vitam innocentissimè transegit Adolescentulus Nouitius, qui in aetatis flore collectus expleuit tempora multa. Optimę indolis iuuenę tam celeri funere sibi raptum egrè ferebat suus idem preceptor, lachrymas, pro corporis morte, & preces pro animae salute iuges fundebat. Placuit Deo à pio moerore famulum suum leuare, cumque subdio oculis in Caelum intentis aliquandò oraret, aspexit, Dilectum puerum, immò in Deo filium suum, prosequitur Venerabilis Abbas, eum luce descendere, atque vsque ad se laetum, & radiantem venire. Ille verò in insueta visione gaudio simul, & timore turbatus haerebat. Ad quem is qui apparuerat puer, quid inquit, turbaris? An non agnoscis filium tuum? Redi ad animum, & mecum vt solitus eras loquere, Sed vt ea quae circa me aguntur tibi aperiam, noueris multum profuisse mihi quod me tam tenerè pro Dei causa dilexisti, quod morti meae tam benignè compassus es, quod pro me tam solicitas, & continuas Deo orationes fudisti. Amodo, per Dei gratiam noueris me ad Illum statum peruenisse, vt sicut tu hactenus profuisti, sic ego tibi amodo apud ipsum prodesse valeam. Claruerunt ambo Guigone de quo infra Praeposito Generali.

XIV.

1137. *Guigo quintus prima Cartusiae Antistes.* Hominę exuit 27. Iulij aeternū apud hominū memoriam victurus ob Scriptorum eruditas lucubrationes; consolidatā Ordinis disciplinam, aequalium SS. Patrum Bernardi Claraeuallensis, Petri Mauritij, Venerabilis nuncupati, commendationem, luculentū imprimis testimoniū Scriptoris anonymi in vita S. Anthelmi suorum temporum Taumaturgi, qui cum in Generalatu paulo post excepit, ait enim. Fuerat eius, loci Cartusiae intellige, *Prior, sempiterna memoria dignus Guigo vir venerabilis, qui pro diuinitus ipsi collata gratia, Mellislua doctrina, hanc obtinet praerogatiuam, vt bonus Prior vocetur ab illis, qui de illo loquuntur. In Cartusiensi Instituto modum, certosque limites statuit, Regulam etiam ipse conscripsit, quam consuetudines voluit appellari: subditos instituit verbo, & exemplo. Solerti & vigilanti cura, honestè, religiose, ac sobrie, quae ad ipsum pertinerent moderabatur: qui ab eo consilium peterent, ijs rectè, & salutariter consulebat. Cuius celeberimi viri idcirco hic mentionem facere voluimus, quod seruus Christi Anthelmus Prior creatus ad eius se imitationem composuit.* A Canisio ideo, & Saussai Germanico, & Gallico martyrologijs inseritur, Sanctorum norma, Sanctorum Elenchis iure meritò accensitus.

XV.

1138. *Hugo*, quem nomine, & perfectionis eminentia sibi consimilem, gradu quoque sibi aequandum S. Hugo Antistes Gratianopolitanus censuit, ideoque Pastorali in sollicitudine successorę proposuit. Gratianopoli Viennam Allobrogum commigrauit Archiepiscopali illius gregis pedo ad auctus. Amplissimis cumulatus muneribus, amplioribus dignus, summa apud omnes gratia, & existimatione polluit, locum ideo nactus in Canisij, Martyrolog Germanico; Nicolai Chorier, Hist. Delphinatus. p.11. lib. 11. §. 19. Garnefelt, in recensione virorum illustrium huius professionis.

XVI.

Garnerius de Balmeto, qui cum cerneret in dies magis magisque pietatem ab hominum malitia praefocari, nihilque amplius Sanctum, nihil sincerum in hominum moribus inueniri, statuit exemplo charissimi fratris, (Pontij de Balmeto, è cuius gestorum narratione haec excerpsimus), relictis omnibus huius turbulentae vitae negotijs, in tranquillum Religionis portum secedere, quod animo statuit, opere compleuit, &

V 3 Maiorem

Maioreui sodalibus adiunctus germanum suum præcessit ad gloriam, cuius in claustralis vitæ Proposito vestigijs inhæserat.

XVII.

1140. *Pontius de Balmeto* dudum laudatus, cuius charismatum exuberantiam præmisimus in tertia huius Theatri parte ad Annum 1121. auulsis nempe vitijs, satisque virtutibus Sanctissimum Belliecensium Episcopum; condito Maioreui Asceterio, propagatorem Religiosæ huius Institutionis; arrepta ibidem Anachoretica conuersatione, humilimum Dignitatum abdicatorem; peregrinatione deuotissimè ibidem consummata, dignissimum, qui vitæ serie ab Anonymo compilata, á Guicenonio autem, ex vetustissimo Codice Ms. typis commissa, recensione in Andreę Saussai Fastis Gallicanis, alijsque illustrium Galliæ virorum nomenclatoribus, ad posterorum memoriam nunquam non floreat. Enimuerò citra eloquentiæ hiperbolicæ mendacem fucum, fęcundus de eo Poeta, aiebat.

Optimus heu fato rapitur nunc Præsul iniquo,
Pontius heu patriæ gloria summa suæ.
Cui similem toto vidit nec Sequana Regno,
Nec Rodanus quantis circuit arua vadis.

XVIII.

Nanthelmus ex Belliecensis Ecclesiæ Secretario, *monitis Pontij de Balmeto, duras Cartusiæ vias apud Eremum Portarum sequens, qui & in eodem Episcopatu successit, & miraculis claruit, ostendit quantum incrementi Ecclesiæ D. Pontius attulerit*, necnon & qualibus quantisque lilijs cælestem redolentibus fragrantiam solitudo Cartusiensis exuberet. Ex vita Pontij de Balmeto.

XIX.

Stephanus Maioreui Administrator, cuius itidem mores ex Pontij Historia innotescunt, Commentatore innuente, *Non solum D. Stephano quarto Maioreui Domus Priori, miræ patientiæ, & admirandæ simplicitatis viro*, sed etiam fratribus se subijciebat Balmetus, tantæque inter eos virtute, ac sanctitate versabatur, vt facilè in quouis pietatis, humilitatisque studio primas sibi vindicaret.

XX.

1145 *Hugo* Ordinis Cęnobiarca VI. de quo supra inter primos Patriarchę Brunonis Symmistas,

XXI.

1145. *B. Vldricus*, quem si ingenti lætitia perfusus S. Hugo, Gratianopolitanus Hierarca habitu Regulari donauit; Vrbs quoque Diensis summè exhilarata Pastorem excepit; longè iucundior Cartusia abeuntem ex Episcopali fastigio Eremicolis adscripsit suis, gestiens nimirum alumno se augeri, qui tandem Cælites foret adaucturus promerito Beati titulo vita notis omnibus absolutissima, Orbis plausu, scriptorumque suffragijs, Sammartanorum imprimis, Canisij, Sausay, in suis Diuorum Elenchis ad 16. Kal. Ian. qua die fatis concessit.

XXII.

1148. *Tundalus* Hybernus suarum Scriptor Apparitionum, & diuinis reuelationibus ad eam Sanctius instituendam vitam excitatus, qua abiret tandem ad superos, Deo reuelata facie fruiturus. Auctores, qui de Tundalo, habes in Athenęo.

XXIII.

1148. *Gerardus Cartosiæ primus Conuersus*. Ex nobilissimo, opulentissimoque Niuernensium Comite, humilem, propudiata sęculi pompa, Christo famulatum impendit. Apud Renatum Choppinum Polit. lib. 11. n. 20. & in Ms. Cęnobitæ S. Mariani Autissiodorensis Guillelmus dicitur. *Guillelmus Niuernensium Comes ditionem hanc Ere-*

mo

mo postposuit Cartusiana pietatisque studio fragrantissimus ibi permansit; diuini cultus ministerio continenter obeundo. An. 1147. Eodem modo appellatur ab Hugone Pictauino Monacho Vizeliacensi Auct: breuis Chronicon Comitum Niuernensium An. 1168. scripti. *Guilelmus II. Renandi filius --- Comitatum obtinuit, & auxit circa Ligerim, & Ateriam; hic genuit alios nom. I. Guillelmum, alium Renanaum, quibus militia prouectis cum vterque Hierosolimitanum iter cum Ludouico Rege Francorum, & Duce Aquitania arripuisset, pater illorum terrena cælestibus commutans, Cartusia Conuersus factus est*. Sed fortè nomen ipsum cum mundi gloria abiecit. Quæ dicta sint ad nominis conuersionisq; tempora dilucidanda, hoc enim Anno 1147. Ludouicus Christiana signa in Palestinam intulit. Ad eum inuisendum cum quodam tempore perrexisset filius, egregiæ indolis adolescens, non tamen *paruulus, quem sibi in Comitatu successurum, in patria reliquisset*; vti Dorlandus lib. 4. cap. 14. verùm ætate prouectior, & post transmarinam expeditionem, ad quam cum Rege Ludouico adscitus contenderat, didicit eum in superiori montis tondendis ouibus operam dare. Quem diutius expectatum, tandem conspicit in habitu pauperrimo descendere, ac vellera recenter tonsa, ceruicibus deportare. At filius eum non agnoscens, accepit à fratribus, qui illi astabant, hunc suum esse genitorem. Tum ille valde animo compunctus, occurrit ei tenensque vestigia eius, & exosculans, præ gaudio cœpit lachrymari. Qui cùm ad Patris amplexus & oscula erectus, intueretur sinum, & collum ipsius barbonum & pediculorum examine scatere, nimium exorruit, & vermes mordacissimos tollere cupiens, hoc à Patre viro fortissimo responsum accipit: *sine inquit, sine fili charissime, illos vermiculos, vermi qui non moritur suam præripere prædam. Votiuus, & delectabilis est mihi morsus istorum, quibus inexplebilem generalium vermium edacitatem, me, Domino miserante, spero euasurum*. Sed quid mirum sancta adeò conuersatione verè Cartusiensem expressisse, grauissimis qui moribus, nunquam vanum, inflatum, otioue distentum Principem ipsas inter mundi dignitates egerat? Nemo ante ipsum, vel Optimatum, vel etiam Rex ipse ludicrum verbum aut factum proferre audebat. Corripientem auscultabant omnes, & obiurgationem *Rex Sanctus Ludouicus humiliter excipiebat, sciens se à viro iustissimo & optimo reprehendi*, prosequitur idem Dorlandus, quamuis Ludouicũ 7. tunc Regẽ Sancti titulo minus equè decoret, cum regnaret potius insimulatus prauitatis, quàm virtutibus ad Sanctitatem illustris. Enimuero sacrum bellum ob eius in primis vitia malè gestum Baronius comperitur An. 1146. § 6. & 9. quippe qui se ipsum edomare non valens fidei hostibus fundendis meritò impar euaserit. Petrus Blessensis in Comment ad 2. cap. B. Iob. quemdam huius professionis Conuersum, Gerardum nomine, animi à mundo exulantis, & in Deum rapti exemplum profert. *Nudius tertius*, eiusdem elogium hoc est, *vidi quemdam Gerardum nomine, Cartusiensis Ordinis fratrem. Qui super omnia desiderabilia sua iam per septennium desiderauerat mori; cupiens exire de carcere, & de vinculis huius carnis. Hic singulis noctibus in principio vigiliarum surgebat, immò anticipabat vigilias noctis. Ego, & quidam alij, qui eramus cum eo, dabamus requiem temporibus nostris, & palpebris nostris dormitationem. Ipse autem pernoctabat in oratione, semper tamen cum fletu, & gemitu. Vix aliqua hora comedebat panem sine lachrymis, sed & poculum suum cum fletu miscebat. In omni opere suo suspirabat ad Christum, despiciens terram, suspiciens Cælum, vtens Mundo, quasi non vtens, & inuiendo & fruendo quodam intimo sapore discernens, transitoriè transitorijs vtebatur. Et licet laicus esset, & literas non nouisset, habebat tamen scriptam in corde suo digito Dei scientiam vitæ, & disciplinæ. Sanè docuerat eum qui docet hominem scientiam: Et vtinam litterati omnes sic essent docibiles Dei, & infudisset illis gratia, quod non contulit disciplina. Deum testor non minus circumspectè, & sanè de articulis fidei Christianæ respondebat, quam si maximam vitæ suæ partem in Scholis Parisiensibus expendisset*. Fuerit nec ne hic, Ge-

tardus

nardus, de quo in præsentiarum loquimur, res est admodum implexa ipsos etiam inter Ord. Scriptores, Teste Perreio in notis ad lib. iv. cap 14. Dorlandi. Quibus si meam interponere sententiam fas est, nomen, tempus, professio, mores, doctrina adeò cohærent, vt vnum solummodo Gerardum componant. Eadem vtrique Gerardi appellatio. Par laicalis status & pietas. Lachrymas in oratione vberrin è effluentes celebrat Blesf. at Gerardus Niuernēsis, vel in ipso caduci fastus splendore, *inter consules, & nobiles viros sepè cum in regia conueniret sederet, horis solemnibus exiens ad Orationem, secedebat in partem, flexis genibus aut corpore toto fusus in terram, cum lachrymis, & singultibus diuinam super se clementiam implorans. Hac sæpè etiam, cum in campis, aut pratis esset, actitabat*, quod ex Dorlando transcribimus. Præterea sapientes supra laicalem statū, in arduis de fide disseratationibus, respōsiones miratur. Verū nequalis humili sub lacena lateret virnequaquam dignouit, quandoquidem, preter magistram gratiæ unctionē vixi ter Gallicos Oprimates paucos dederis scholasticis disquisitionibus, si non profundè, saltem leuiter tinctos, cum pro innato ingenij acumine, discend que contentione Philosophica, & Theologica lyceа à puero terant. Quod si fortius argumentum deducendum: perspicuè liquet, omnimodè commiscendos.

Nimirum ex Fazello, Hist. Siculę cap. 5. lib. 7. Dec. 2. Io: Busæo In præloquio ad lect. eius oper præfixo, & Card. Baronio A 1167 § 72&73 constat Petrum Blessensem non transfretasse ex Sicilia in Angliam, vbi Iob doctissima paraphrasi illustratum Henrico II. Inscrib. bat, ante Annum 1168. tunc enim inuidentię ęstu iactatus ex Trinacria digressus, Galliam reuisit, paucisque se expediens, Britannicis oris citius festinauit appellere. Ibidem ex eodem Blessensi patet, eum, non quandocunque alloquutum Gerardum inter Cartusienses professione Laicum, sapientię verò præstantia Theologos ęquantem, sed *nudius tertius*, scilicet pauiò antequam elaborandis Commentarijs animum adiecisset. En igitur Niuernensem, esse Gerardum à Blessensi commendatum; quem scilicet ex aula Sicula ad Anglicam per Galliam transeundo, enauigans nouerit. Nec diū immorabor refellendo Petreio, qui Gerardum, apud Blessensem celebrem: vota sub Guigone Generalium v. emisisse gratis dicit. Cum enim Guigo collocatus fuerit ad Ordinis clauum A. 1110. expleueritque in sedendo ad eumdem 1137. fas est asserere, nullum Gerardi nomine virtutibus sub Guigone coruscasse, aut Gerardum Blessensi notum minimè extitisse; vel grandæum nimis, senectam ad A. 1167 protraxisse, & quas 1147. ęternitatis semitas ingredi ardentibus iam per septennium votis cupiebat, nec quadragesimum post Annum circiter, adhuc corporeo reclusum carcere, attigisse.

XXIV.

1152. *Bernardus de Portes*. Portarum Rector huius nominis secundus, Bellicensium autem Hierarcha. Effusæ pietatis præcones habuit Canis. Martyrologium Gallicanum, Guicenonianam Bressiæ historiam, & Synopsim Virorum illustrium. Domus Portarum, post Diui Bernardi Clareuallensis Abbatis Ep. ad Innoc. II qua Summum Orbis Christiani Pastorem meditantem promouere Bernardum hunc de Portis ad Infulam Longobardorum, monet. *Dilectum Deo, & hominibus Bernardum de Portis, Pater venerande vocatione vestra cogi ad opus, & onus Episcopale audiuimus: Probabilis res ac digna planè vestro Apostolatu, ponere in lumine, lumen absconditum, ut sibi soli viuat, qui & alios ad vitam trahere possit. Vsquequo namque latet, & ardet tantummodo, qui & lucere valet. Leuetur si placet, super Candelabrum, vt sit lucerna ardens, & lucens*. Infrà verò ostensurus, vberiori cum cum fructu alio præficiendum gregi, quam Longobardorum, sequitur. *Quando possit conuenire tanta Sanctitati, & tanta peruersitati; tanta simplicitati, & tanta dolositati: Reseruetur si places congruentiori loco, atque alio populo*.

XXV.

XXV.

1152. *Bernardus Portarum moderator*. Huius nominis primus, æuo autem, secundo, quem ideo præmisimus, diuturnior, quod ille 17. Kal. Ianuarij diem obierit suum, hic verò Pridie Id Februarij Anni eiusdem. Vita, qualis exhibetur ab Instauratore gestorum S. Anthelmi est. *Per id tempus in Portarum Carthusia primi Prioris locum obtinebat eximius Pater Bernardus: Qui quanti apud Deum meriti sit, qua memoria celebritate dignus, multa, & præclara tam in spiritualibus, quam temporalibus eius opera, & studia testantur: Nempè eius Monasterij amplitudo, terra spatia abunde sufficientia, domus ipsa ædificata, & strenuè gubernata, plurimisque referta bonis, fratrum diligens cura, disciplina Monastica integritas, & boni mores fratrum, puraque religio, larga manus in Christo, & ad dandum & benignè faciendum egenis porrecta, aliaetiam loca, quibus suæ facultates non sufficerent, crebris, & magnis fota beneficijs, è quibus sanè nonnulla pessum issent, quæ iam eius suffulta liberalitate consistunt. Dabat namque ille indigentibus liberaliter, imprimis autem religiosis siue Monastica vita cultoribus: & suppetebat abundè quod largiretur. A que hoc illi diuinitus collatum erat munus, vt ab omnibus qui vel viderent eum, vel de illo audirent, mirè diligeretur, non à vicinis modo, sed etiam procul degentibus, adeo vt etiam plerique in longinquis regionibus, quicquid ille mandasset, libenter eius parerent voluntati. Innumeros peccatis deditos, & implicatos ad bonam frugem, & vitæ emendationem adduxit, & ad diuersa Manasteria, & propinqua, & remota remisit, illic Deo seruituros. Vbi autem senectute premi se sensit, ab externis laboribus quiescere cupiens, vt posset accuratius vni vacare Deo, simul etiam indignum se existimans, qui semper alijs dominaretur, tandem apud se statuit alijs subesse potius quam præesse* Hactenus ille.

XXVI.

1153 *Humbertus de Bauge Archiep. olim Lugdunensis*, vt iam diximus. Occubuit cum Sanctitatis fama in Cartusia Sellionis, cuius paupertati amplissimum Galliarum Primatum posthabuit. De eo Guicenonius, Martyrologium Ecclesiæ Lugdunensis, & noster Episcoporum Syllabus.

XXVII.

1160. *Ioannes ab Almantois Iberiae Vrbe, in qua natus, Hispanus dictus*, puber adhuc Arelatem in Gallia se contulit, animumque philosophicis, & Theologicis studijs excoluit. Bonis fortunæ locupletem ciuem nactus, qui diu eius Maecenas, etiam de adoptione in filium serio cogitauerat, maluit in Eremum Agri Arelatensis, S. Basilio sacram secedere. Ibi austeritatis exercitio Anachoretas præcellens cæteros, eorumdem Seniorem passim audiebat sibi reperentem. Frater Ioannes, ne bis nescientibus vos abstineris, vnde dignum esse arbitror vos perfectionis Magistrum & Patrem habeamus. Proximè igitur sociorum moderator consalutandus, honore declinato, ad Cartusiam Montis Riuij perrexit, in qua virtutum encicloepediam breui absoluisse visus, Anno sexto postquam in Brunonis verba iurauerat, Priorem agere adactus est, quod ille munus impleuit maiori cum virtutum, iuriumque temporalium incremento, quam nonnullis nobilitate Sæculi illustribus viris placeret. Inde recedere, eorumdem molestijs, coactus, iubente Cartusiæ Matricis Rectore ædificium aggreditur solitudinis, cui Repausatorij nomen, eamque supremo imposito lapide absoluit. Syluas etiam disiecit, vias strauit, conflauit dotem, totque cumulauit beneficijs, vt cum Dominis de Fauciniaco Auctoribus, fundatoris sibi, ex æquo titulum diuidat. Ibidem laborum, & dierum finem attigit 25. Iunij An. 1160 ætatis septimo, è trigesimo, à votis autem inter Cartusienses nuncupatis vigesimo. Humo opertus est extra Monasterij septa, quod ille antequam supremum decumberet à mærentibus filijs enixè poposcerat, leuis noxæ, grauem, vel post mortem subiturus pœnam. Cum enim immemor statutorum Guigonis inhibentium laicorum quempiam, siuè intra siuè extra

X Mona-

Monachorum Cemeterium, intra tamen Monasterij fines tumulari, duos Pastores in ascensu ad Cartusiam niue obrutos exquiri, & paulo secus claustri murorum ambitum sepeliri mandasset, sanciti transgressionem indecora sui corporis depositione puniendam censuit. At Dei consilia ab hominum cogitationibus quàm longè dissita! Eodem in sepulcro continuis elucescit miraculis. A dæmonibus obsessi quotquot accedunt, spiritu nequam extemplò absoluuntur. Ægrotantium quispiam homo, quo operitur, incubans si obdormiat, incolumis expergiscitur. Immo puluis ipsa sepulcralis, ne sacra dicam Lipsana, animam agentibus admota, actutum eosdem à faci limine reuocat. Frequentissimi ideo ad Ioannis conditorium indigenæ confluunt, & exteri, quos sacellum superstructum amplissimè excipit. Videtur proinde, mulcta, quam Ioannes sibi indixerat, Deum in sanctis suis mirabilem prospexisse faciliori populorum ad miraculis inclarescentem accessui, nec non & corporis huiuscemodi ratione aliorum à cineribus vllo absque negotio seiuncto eleuationi, quam Carolus Salesius Ep. Gebennensis eidem decreuit. Omnia excerpta ab eius vita ab Auctore contemporaneo latinè contexta; Bibl. Sebusiana, in notis ad fundat. Cart. Repausatorij, Ceccatonio, alijsque.

XXVIII.

1167. *Ayraldus* ex Priore Cartusiæ Portarum Ep. Maurianensis, Confule Infulas.

XXIX.

1170. *Terricus* Friderici Augusti filius, spiritum liquit in Eremo syluæ benedictæ, in qua magnificentissimè à se condita, & locupletata nihil humile intueri passus est præter se ipsum, abiecto Conuersorum indutum sacco, soloque Cæsarei sanguinis, & amplitudinis calcato fastigio sublimem.

XXX.

1170 *Simeon* ad Montem Dei Asceta, & post Geruasium Priorem tertium eius regiminis clauo admotus. Apud Ioannem Sarisberiensem, lib. IV. Collectan. Hist. S. Thom. Petrum Cellensem, lib. 3. Ep. 1. 2. 3. 4. 5. 6 itemque xii. & xiii. Garnefelt, variosque Scriptores ab ordinis propagatione, alijsque meritorum manipulis apprimè commendatus, & viri sanctissimi titulo euectus, quemadmodum, & penes Card. Baronium Ann. Eccles. Tom. xi. vbi ipsius ablegationem ad Henricum Angliæ Regem describit, producta ex Codicis Vaticani, lib. 4. Ep. Alexandri iii. qua abiret ad ineundam reconciliationem inter ipsum Henricum, & S. Thomam Cantuariæ Archiepi copum, Bernardo eiusdem professionis socio addito, iubetur. Strenuè munus suum ambo impleuerunt, rescribens, enim Simeon ad Alexandrum, gestorumque seriem enarrans, concludit. *Placeat itaque sanctitati vestræ opem ferre Ecclesiæ laboranti, & perseuerare in eo quod laudabiliter cæpistis. Quia (sicut à multis audiuimus, & credimus) si perseueraueritis Ecclesiæ pax, & salus in ianuis est.* Properauit autem ad patriam, paulo postquam legatione huiusmodi An. 1169 completa, redijt ex Anglia.

XXXI.

1173 *Basilius* summus vniuersi cœtus Archimandrita, qui sacris institutionibus, & exemplis Ordinem mirificè irradiauit, suoque nomine adauget Martyrologia Canisij, & Andreæ Saussai in supplemento ad 14. Iunij diem, qua beatitudinis candidatus migrauit è corpore.

XXXII.

1174. *Bernardus ex Priore Portarum Ep. Diensis* defunctis ad vitam reuocatis, leprosis mundatis, innumerisque alijs ad tumulum patratis miraculis maximum suorum temporum decus, ad quem magno apud accolas in honore cæci, aridi, claudi, paralytici, energumeni liberantur, nec vlla adeo maligna vis sæuit, aut tàm incurabilis ægritudo, cui illic si fides adsit, Sancti Confessoris virtus non comperta sit posse mederi, testantibus Diuorum Elenchis à Canisio, & Andrea Saussai diligentissimè conscriptis,

nec non

nec non, & fyllabo Virorum illustrium Asceterij Portarum à Gulcenonio edito.

XXXIII.

1174. *Bernardus* Præsul Sistaricensis, in cuius Ecclesiæ tabulis pietate summus celebratur. Sed de eo iam inter Episcopos.

XXXIV.

1176. *Asceta Gratianopolitanus* notæ virtutis, incomperti verò nominis, qui prodigijs in Cœmeterio inclarescens, circumpositas regiones suos ad cineres venerandos excitabat. Cumque turbas confluentes auuerso intueretur oculo Iangelinus Præpositus Generalis, quòd eorum frequentia Monacorum quieti officeret, accedens ad conditorium, eum iussit à miraculis deinceps cessare, eiusque imperio ille extemplò paruit. Rarum planè exactæ obedientiæ exemplum: Denatus enim hic Cartusiensis Monachos edocuit, quo vinculo implendis Superiorum præceptis obstringantur: quandoquidem ipse eorum vocem etiam in tumulo audierit, & naturæ licet solutus legibus, mandatis obtemperandum duxerit. Hæc sine temporis nota ab Auctoribus relata An. 1176 attribuo, non quòd pro certo comperterim sub eo contigisse, sed quòd Generalatus Iangelini primus fuerit. Alio sub Anno exsignat S. Antoninus P. 2. Tit. 15 cap. 22 alio Bzouius T. 14. n. mpe 1335, quem emortualem facit eidem Iangelino, non maiori deceptus temporis distantia, quam integræ ætatis; is enim prima in Excelsa collocatus 1176, vita, & munere abijt 12,5.

XXXV.

1176. *Sanctus Anthelmus* Bellicij Præsul, & Protector Episcopalem post sedem ab Anno 1163. gloriosissimè occupatam cœleste conscendit solium, ijs sibi nominibus præparatum, de quibus Surius ad 26. Iunij ex Chronologo coæquali.

XXXVI.

1176. *Haymo, & Girardus*, de quibus, egregia cum laude Surius commeminscitur in vita S. Anthelmi.

1184. *Raynaldus, vel Reginaldus* In sacro Bellicensium regimine Sancti Anthelmi successor, exactissima obseruantia perfectos inter Monachos, Pastorali vigilantia optimos inter Episcopos recensendus, inculpatæ verò vitæ tenore Martyrologio insertus Gallico, sicut & Illustrium Cartusiensium Indiculo hoc lemmate: *Renaldus ex Cartusiano Bellicensis Episcopus effusa, sanctaque be itatis obijt An. Dom.* 1184.

XXXVII.

1184. *Guido Guiscardus* Rogerij Siciliæ, ac Calabriæ Comitis Nepos, huius obseruantiæ Sacramento Eremi S. Stephani alumnus, sapientia, & probitate vndecimus eiusdem Præfectus, & quinquennio moderator Mundi despectu, Cælo potitur decimo Kalend. Februarij An. 1186. ex Necrologio eiusdem domus, & Breui Chronologia à Camillo Tutino euulgata.

XXXVIII.

1186. *Boso* Maioris Cartusiæ Cœnobita magnus, summæ Religionis, & spiritus prophetici vir, Auctor precipuè vt Anglorum Regi S. Hugo dareiur, Witheamensi præficiendus propagini, in Patrum Congregatione vltro asserens à Deo exijsse verbum Regis, & de Hugone subdens: *Credite mea paruitati. Inter præcipua Ecclesiæ Sancta luminaria ipsum in breui audietis, super candelabrum Ecclesiastici regiminis sublevari. Dudum mihi virtutibus Hugo, Episcopus potius visus est, quam Monachus extitisse*. Ita habetur in vita prolixiori eiusdem S. Hugonis ab elucubratore domestico quinque libris digesta. Cęterùm in Angliam, & ipse profectus, Hugoni An. 1186. in gregis Lincolniensis Pastorem adlecto, in regimine Witheamensis familiæ subrogatur, quo in munere obijt. Ad eumdem extat liber de quadripartito exercitio Cellæ, in cuius Epistola præliminari Guigo summus Ordinis Præsul, & operis Auctor se spiritualis eius veri filium vocat, multisque commendat. Lege prolegomena Chiffletij ad Manuale solitariorum,

 XXXIX.

XL.

1187. *Engelbertus, alijs Inicheltus.* Impleuit sedem Cabilonensem Antistite in paucis solemni. Decorauit Monasteria Vallis S. Petri, & Montis Dei Priore, si quis alius, insigni; propagauit Ordinem, Colonijs magnificè excitatis; Decorauit Ecclesiam arduis prouincijs nauiter gestis, Cęlum exhilarauit, gaudium Domini ingressus Anno 1187. scriptores occupat gloriosis rerum gestarum monumentis disertiùs productis in prima huius Chronologiæ parte sub Anno restauratæ salutis tertio, & septuagesimo supra millesimum.

XLI.

1188. *Guigo* inter Generales numero nonus, huius vero nominis II pium spiritũ ad lucẽ emittit duo decimo An. postquam supremæ dignitatis onus excusserat ob inexperientiam rerum humanarum, quas multa diuinarum rerum contemplatione neglexerat: non tam viuendi ratione commendabilis, quam quibusdam supra humanæ naturæ cursum dictis factisque admirabilis. Appellabatur ideo à plerisque omine non inani Angelus: qui ob vitæ innocentiam, Angelorum ferias postera á morte luce apud superos agere meruit F. Chiffletius in præloquio ad lectorem edito in vestibulo opusculi de quadripartito exercitio cellæ ab eodem editi, Dorlandus, & Sutor.

XLII.

1200. *B. Guillelmus de Fenolij* è Garrexio celebri Emporio. Anachoreticam iampridem vitam agebat, cum sanctimonia captus enascentis Casularum sodalitij, eius Conuersis adijci festinus poposcit, suique nominis accessione ad eius splendorem maximopetè contulit, vt ex Archiuij tabulis paucæ è multis delibatę, adstruunt.

1233. 24. Iulij Guilielmus Mazochius de Petriola donauit Deo, & Sanctæ Mariæ, & Sancto Guilelmo de Casotulo, D. Vberto Priore id accepiante duas petias terræ, cum arboribus castanearum in territorio Petriolæ in starea.

1234. 2. Februarij Ogerius Luen de Pamparato amore Dei donauit Ecclesiæ S Mariæ, & Sancti Guilelmi de Casotulo Petiam vnam terræ, & Castanearum in plano Turris, & hortum in Rauerijs Pamparati.

1243 Indictione prima 2. Septembris. Illi de Pamparato donauerunt Deo, & Beatæ Mariæ, & Beato Guilelmo de Casotulo Alpes Lauaceri.

1304. Iacobus de Naticino vẽdidit Fr. Matthęo Cõuerso Sãcti Guilelmi de Casotulo Petiam terræ in posse Albinganæ.

1442. 7. Aprilis Angelinus Gallineta de Garrexio se sponte contulit in Donatum Monasterij Beatæ Mariæ & Beati Guilielmi Casularum, & consimilia.

Sed & alia supersunt monumenta, quæ spectatissimæ probitatis Anachoretam concelebrant. Enim verò prætcrquam quod fons, vno tãtum milliari à Casoto dissita, iuxta quam vitam nonnunquam transegisse dicitur, etiam in præsentiarum fons B. Guillelmi audit, Titulus dedicationis Ecclesiæ est, *Templum B. Mariæ in Purificatione, & Beato Guillelmo Conuerso Cartusiano de Casotulo, & Garrexio sacrum*, & Pius v. diplomate Romæ signato nono Kalend. Martij 1568. pro translatione eiusdem Monasterij ad locum Conuerij, passim repetit Ecclesiam illam conditã sub inuocatione SS. Mariæ & Guillelmi. Dorlandus lib. 5 Coronæ Cartusianæ cap. 2. inquit. *Domus Casularum non longè ab illustri Ianuensium Vrbe vicinioris Lombardiæ sita dignoscitur. Hæc olim habuit virum beatissimum Guilelmum nomine Conuersum Laicum, Doctrina, ac Scientia simplicem, sed vita spirituali moribusque doctissimum. Hunc ferunt innumeris claruisse miraculis in vita hac, ac pariter post mortem. Vno dierum cum pro negotio emissus iter ageret, contigit, vt super eum repentè prædones irruerent, asinum, quo vehebatur, rapere molientes. At Sanctus sciens asinum auferri non oportere (quippe quem commodatum reddere suo oportere Conuentui) post*

breuem

breuem orationem aduocato Christi auxilio pedem aselli ipsis cernentibus ocyus auulsit, quem manu arripiens, minanti similis in pradones vibrans intorsit. Illi verò nimio terrore agitati (quippe quos Dei furor præsens tremefecit) in turpem omnes fugam lapsi sunt. At Dei Sanctus Domino adiutore pedem auulsum suo mox loco restituit, & asellum scandens captum iter permeauit. Hic vir beatus solitus erat magna sæpe pietate affici ad Christum Deum nostrum Crucis Ligno confixum. Vno dierum cum ipse lachrymans staret ante Imaginem Crucifixi, & tanquam coram Deo præsente, & patiente dulci murmure mussitaret, Christus ostendere volens gratam sibi esse hanc pietatis industriam, de Cruce cœpit Gulielmo benignissimè loqui, & cor eius immensa dulcedine consolari, ac se se in viscera animæ eius traijciens: Spiritum Sancti sui secum plenissimè crucifixit. Hinc factum est, vt totus ille Christo imbibitus, & penetratus numquam posset nisi cum maximo fletu Crucifixi Saluatoris meminisse.

In conterminis oppidis alijsque remotioribus locis Diœcesis Montis Regalis, & Albensis quam plures cernuntur antiquissimæ imagines Guillelmum exhibentes candido cucullo Cartusiensem, barba protensa è laicorum numero, radijs, ceu laureola redimitum, apposita muli coxa ad miraculi prænarrati comprobandam fidem, cui alludens vates Musis nequaquam insuauis, canebat,

GVLIELMVS
ANAGRAMMA
MVLILEGVS.

Qui flores legit, is florilegus inde vocatur,
Membra muli religas nonne Mulilegus est
Omen habes cum nomine praxi à numine ductum,
Sic erat in fatis; Sic tua facta ferunt.
Par Sampsonis in hostes: Zelus idem Guillelmi.
Crure Muli ille fugans: Mandibula ille necans.
Crus licet auulsum, at viuax viuosque repellit,
Mulctat vt ad mortem: mortua mandibula.

Vitæ seriem disertè olim contextam, sed post incendium, quo Casularum ædes conflagrarunt desideratam, suppleuit erudita lucubratione D. Cyrillus de Michal Patritius Montis-Regalis, ediditque Laudani ad oram Ligustici maris Anno 1659. suo nomine Anagrammati Michaelis Colandrij inuoluto,

Sacella, Pilæ, Tabulę eidem Guillelmo erectæ. Miracula Dei virtute ab eo patrata, vnaque piorum anathemata aris appensa, auctoritate à Sede Romana impertita, seruataque iuris forma, extant in Archiuio laudatæ Casularum domus, ibidem recondita ad Apotheosim quandoque vrgendam.

Suprema dies adnotatur vndeuigesima Xbris, Annus certior creditur ducentesimus vltra millesimum. Corpus post tres Ætates effossum, repertum est incorruptum, & à domo inferiori, ad Superiorem multoties translatum; semper priorem dormitionis locum repetijt.

XLIII.

1200. S. *Hugo Episcopus Lincolniensis*. Scelerum insectator acerrimus, Regum terror, Ecclesiasticæ instaurator libertatis, absolutissima denique, seu Monachi, seu Præsulis norma, vitam ad miraculum sanctissimè transactam, consimili quoque clausula absoluit. Extremis proximus cœpit spiritum colligere ad verba Psalmi nonagesimi. *Eripiam eum, & glorificabo eum*, quem tandem glorificatoris sui resignauit in manibus ad verba Chori circa lectulum Completorium persoluentis. *Nunc dimittis seruum*

tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Animam Cælituum stipatam cateruis, Cælum ouans excepit, corpus, Londino vbi excessit, Lincolniam delatum est, & in Ecclesia Matrice depositum, vbi uniuersis Vrbis Ordinibus, Regni Optimatibus, Archiepiscopis tribus, Episcopis XIV. ipsis denique Scotiæ, & Angliæ Regibus ad augustiorem funeris pompam astantibus, & feretrum deferentibus, magnificentissimè ei parentatum. Hugonem luculentis commendant vigilijs Auctores supra in eius ad Episcopatum assumptione relati.

XLIV.

1200. *B. Odo Nouariensis*. Religiosis planè dotibus instructus à Summo Pontifice vnus suspicitur, qui disciplinam Monasticam in quadam Abbatiæ Iaderæ, quæ Slauoniæ Ciuitas est, pessundaram, restitueret. Auctoritate igitur, cui nefas est reluctari, à cellula abstractus, Iaderam è uestigiò perrexit, sed ab Episcopo malè habitus, multaque aduersa passus, vasa collegit.

Io regressu curam suscepit sacras audiendi confessiones Virginum Monasterij SS. Cosmæ, & Damiani in Oppido, Tagliacutium indigenę vocant, Prouinciæ Marsorum Regni Neapolitani. Ita Clemens III. iussit ad preces Adaluisiæ Abbatissæ affinis suæ, quæ Odonis illic transeuntis Sanctitate mirificè capta, eumdem ad id muneris expetierat. Degebat vir Dei in Cellula Partheniæ Sanctimonialium adsita, Cartusiensium mores seruans, & populo solitudine, iugi psalmodia, virtutibus, ac miraculis venerandus. Animam agens auditus est dicere. *Expecta me Domine, ecce venio ad te*. Sciscitante adstantium vno cuinam hæc diceret, respondit. Iam Regem meum video, iam in conspectu eius assisto, & manus sursum eleuans, expirauit. Effossa ad tumulum humo, in angulo publici cœmeterij, vbi consuetudines Cartusienses adamussim seruaturus, sepeliri rogauerat, reperta sunt ossa alterius cadaueris per scrobem dispersa, quæ ad Sacri eius corporis aspectum se in angulum collegere. Cum Annos plus minus 40. ibi quieuisset, apparuit Aderitio Archipresbytero, admonens, vt suum corpus eleuaret. Negligentem iussa exequi, quòd illudi suspicaretur, tertiò minaci se vultu ostendens, obsequeretur impulit. Cadauer ne deperdito quidem colore repertum est. Infirmi, quotquot aderant salutis beneficio gauisi sunt. Modo laudatarum Virginum in Templo conditus, satisque sumptuoso decoratus Sarcophago, magna cum veneratione colitur. Quę pauca ex multis hausimus à Bzouio in Ann. Ecclesiasticis ad Ann. 1240. Richardi à S. Germano, Chronologia, cusa ab Vghello ad calcem Tom. IV. Italiæ Sacræ; Mutij Febonij Trasacci Abbatis, & Vicarij Generalis Ep. Marsicani vita disertè concinnata, editaque inter reliquas SS. Prou. Marsiæ, imprimis verò à cælestium charismarum, & miraculorum inquisitione prosolemni illius Apotheosi, facta ab Abbate Turanensi Reatinæ Diœcesis, & fratre Petro Ordinis Minorum Custode Marsicano, de mandato Gregorij XIII. cuius processus antigraphum, ingenti miraculorum gloria luculentum euolui in Cartusia Trisulti.

XLV.

1202. *Ioannes* Can Regularium S. Mariæ de Abūdātia Pastor. Properabat ad perfectionē religiosi iam professor Instituti, sed Brunoni in Claustro Meyriacensi initiatus & sub S. Artholdi magisterio accepto brauio, generosiùs stadium absoluit, visus, non cucurrisse, sed ad virtutum attingendam metam humilitate, ac caritate euolasse. Somnum mortis excepit tertij decimi gratiæ Seculi Anno altero. Hauriebat Guicenonius ex obituario præfatę Meyriacensis Cartusiæ.

XLVI.

1203. *Guillelmus de Veneian Ep. Vicensis*. Eremum Vallis-bonæ in Gallia Narbonensi suis sumptibus hoc Anno construxit, ad quam moribus etiam ædificandam Exepiscopus postea transijt, & raro cum humilitatis, & abstinentiæ exemplo peregrinationem

tionem suam consummasse tradunt eiusdem domus monumenta.

XLVII.

B Victoria Genere, & virtutum splendore nobilissima in Priorissam Excubiarum euecta, ad miraculum prudens, & humilis, & multa patientia fortis mirificè gubernauit, meritisque diues abijt ad sponsum. Necrologium eiusd. Cartusiæ, & Ceccaronius inter gemmas illustriores Coronæ Diui Brunonis.

XLVIII.

1206. S. *Arteldus, vel Arthaudus*. Reperita post Bellicensem infulam Arueriæ solitudine viuis valedixit, Indici passim relato hoc Elogio insertus. *S. Artholdus ex Cartusiano Bellicensis Episcopus, stupendis clarus miraculis. Obijt Anno* 1206. *pridie Nonas Octobris*. In Ordine fit eius commemoratio tanquam Beati his Verbis. *Vir Dei Arthaudus ex Cartusiano grege ad Bellicensem Præsulatum arctatus, senio confectus ad claustri sui quietem rediens, in Arueria Eremo in pace Deo spiritum reddidit*. An 1680. eius cadauer repertum fuit foris Ecclesiam sub tumulo lapideo, quæ insolens inter Cartusienses depositio, singularem in Arthaudo virtutum eminentiam concelebrat. Nomenclatores Ep. Bellicensium, Hist. Delphinatus, Instructor vitæ S. Hugonis Ep. Lincolniensis, qui Hugo An. 1200. quatuor ante obitum mensibus ex Anglia in Galliam sexagenarius veniens, Arthaudum tunc temporis fortè nonagenarium inuisit.

XLIX.

1209. *Bernardus* à Sammartanis adnumeratus inter Hieratcas Bellicenses, ab ipsis verò Ordinis monumentis inter clariora recensitus sydera, que sub huiuscemodi viuendi norma Sæculi noctem, suæ conuersationis irradiarunt fulgore. En Indiculi verba. *Bernardus ex Cartusiano Bellicensis Episcopus, omnis virtutis, & Sanctitudinis speculum.*

L.

1213. S. *Stephanus* Episcopus Diensis, cuius probitas quotidiana commemoratione in eadem Eclesia recolitur; Corpus per Annos plures incorruptum, & singulari honore seruatum, Vrbe ab Hæreticis expugnata, combustum est. Vitam meritis, & prodigijs insignem exscripsit ex compilatore incomperto Surius Tomo v. 7. Septembris. Elogijs decorant Dorlandus, Instaurator Martyrolog. Gallici, & tertia huius Theatri pars ad A. 1208.

LI.

1220. *B. Humbertus* de Mirabello ex administratore Syluæ-benedictæ Valentinensium Pastor, in eorumdem regimine sese ad æternitatem composuit, magna Sanctitatis fama relicta. Testantur Io: Colombus Manuacensis, Nicolaus Choriet, & Syllabus piorum, qui illustriori probitatis nitore in Gallijs coruscarunt.

LII.

1221. *B. Desiderius de Forcalquier*, compendiosam cuius Panegyrim præmisimus P. 3. A. 1214. quo Diensium Sacerdotio inauguratus.

LIII.

1221. *Pontius de Thoire*. Matisconensium Præsul, in eadem Theatri parte meritis cohonestatus laudibus Anno Ætatis nostræ salutis duodecimæ interitum præcedéte.

LIV.

1226. *Randulphus*, natione Gallus, religioso tyrocinio alumnus Cartusiæ in Ordine principis, prudentiæ, morumque probitatis fama ad Regiam Scalæ Dei in Catalonia plantationem constabiliendam ablegatus, & sextus eiusdem moderator, fidei catholicæ zelo ad auertendam hæresis Albigensis luem Generalis Inquisitor delectus, idque petentibus Iacobo Rege, Sparacco Barca Tarraconensi Antistite, & S. Raymundo de Penafort Immortali Seculorum Regi, & Ecclesiasticis, ac Secularibus mundi Principibus gratiosissimus occumbit Idibus Aprilis 1226. Ioseph de Valle

inter

inter præclaros Scalæ Dei viros. LV.

1233. *Iangelinus.* Generalatus munere Annis sexaginta ea cum Sanctitatis laude functus, quam supra in Priorum Magnæ Cartusiæ synopsi commemorauimus, traduntque Diuorum Germaniæ, & Galliæ elenchi, Dorlandus, Sutor, alijque.

LVI.

Fercoldus de Grossis apud S. Ægidium in Gallia Narbonensi natus, Pater Clemẽtis IV. in summum rerum sacrarum Principem An. 1265 assumpti, Iangelino maximo Ord Cœnobiarca Brunoni adhæsit, & apprehensas semel iustitiæ semitas, viasque Sanctorum ad vltimam vsque vitæ periodum custodiens, occubuit circa hæc tempora, Deo gratiosus, & hominibus, celebraturque ab Oderico Rinaldo Tomo 14. Annal. Ecclesiast. Anno vero 1265 §. 2. ab illustratoribus Hist. Pontificiæ, imprimis autem ab ipso Clemente filio in diplomate relato à Gregorio Riesehio inter Priuilegia Ordinis.

LVII.

1254. *Iocerannus* ob virtutum præstantiam S. Ludouico Galliarum Regi in paucis carus, & ab eo in primum Vallis-Viridis moderatorem adscitus; Dæmonibus formidabilis, quos solo ad eamdem Eræmum accessu eliminauit, dictamque Valiem Inferni, Vallem viridem, ceu Valiem Paradisi deinceps nuncupari fecit, Deo imprimis acceptissimus, qui eum Anno plus minus 1254. ad præmium seruorum fidelium euocauit. Memoratur ab Auctore Antiquitatum Parisiensum, vbi de Vallis Viridis origine agit.

LVIII.

1255. *Martinus de Laudano*, teste Posseuino, in recensione eius Epistolæ Parænetica ad Nouitium, sanctitate celebris. Vide Arhenæum.

LIX.

1257. *Amblarus.* ex Diniensi Hierarca humilis hoc Anno Asceta, Pedi depositione gradum sibi fecit ad humilium celsitudinem, ad quem euolauit. An. 1257. 13. Cal. Octob. Consule Ep. Catalogum.

LX.

1257. *Catharina* Religiosarum Pratimollis Priorissa illas gradu, & probitate præcedebat, & veluti sol inter sydera illustriori conuersationis fulgore radiabat. Nicolaus Chorier in Hist. Delphin. p. 2. lib. 1. §. 9.

LXI.

1260. *Ioanna de Bellsioo* filia Margaritæ de Beauge, & Monasterij Poletarum ab eadem instituti Præfecta, inculpabili conuersationis sanctimonia emicabat. Guicenonius in Hist. Bugerij, & P. Theophilus, Parthen. SS è Brunonis disciplina n. 3. tradunt Ioannam obitum prænunciasse duobus miseris in suarum Virginum locutorio procantibus, qui mox repentino fato sublati sunt.

LXII.

1276. *Claudina Monte maurensis*, tanti apud Deum meriti, vt bimula adhuc funera prædixerit Patris, ac fratris natu maioris. P. Theoph. Raynaud. num. 3. Parthenon. Sacra è Brunonis disciplina.

LXIII.

1286. *Margarita de Duyn*, filia Comitis de Duyn in Sabaudia, amabilissima Christi Virgo, qui se se illi in cibum proprijs dedit manibus, frustulo Ostiæ de manibus Vicarij celebrantis rapto, eiusque ori admoto, passim etiam familiari consuetudine ad colloquium admissam, tandem ad gloriæ thalamum assumpsit. Pridie Kal. Maij 1286. Hęc suggerunt Genesis Partheniæ Poletarum, in Hist. Bugerij, Supplementum Martyrologij Gallicani, 30. Aprilis; Dorlandus, Lib. 5 cap. 3. & Garnefelt in paruo suo Kalendar. ad calcem vitæ Eminen. Albergati excuso, qui duo postremi, variantibus

cæteris

cæteris, claruisse sentiunt quinto Æui insequentis Anno.

LXIV.

1305. *Beatrix de Ornacien* B. Margaritæ spiritu filia. Memoriæ proditum est Hist. Delphinatus P. 2. lib. 1. §. 9. in tabulis claustri Poletarum, & Martyrologio Gallico ad Id. Februarij eam ad sensum aliquem plagarum Christi capiendum, forasse sibi manus, & vulnera singulis sextis ferijs reuocasse, adacto clauo ferreo ad illarum obductionem prohibendam. Quæ tandem post magna gratiæ fluenta ex Agni patientis doloribus delibata A. 1305 Nonis Februarij penexit ad beatarum Virginum cæleste consortium ab vbere consolationis eius perpetuò beanda.

LXV.

1305. *Hambertus Delphinus* huius nominis primus. Excitato Salettarum Monasterio sub appellatione Aulæ B. Mariæ, & Anna quæ ei Delphinatum pro dote subegerat, solemni vororum emissione ibidem diuinis emancipata obsequijs, ipse Humbertus apud Vallem S. Mariæ terreni Principatus apici abrenuncians, ad asperrimi Instituti consuetudines se adamussim composuit, quarum obseruantia gradum sibi fecit ad cæleste Solium, reparati generis humani Anno quinto supra millesimum trecentesimum. legitur in Hist. Delphinatus P. 2. lib. vi. §. 1.

LXVI.

1313 *Boso* annis ter denis sapientissimus, & piissimus Vniuersi cœtus Archimandrita, præter multa ad Dei honorem, ac proximorum vtilitatem exiantia, lingua, manu patrata, defunctum reuocauit ad vitam, De quo audiendi Bostius Carmelita, Saussejus, Canisius, Bzouius, Doriandus, Surot, al. jq; laudesque præmissæ in Præpositorum Generalium elogijs.

LXVII.

1319. *Petrus Fauerij*. Virtutum omnium pulcherrimo inter se nexu fœderatarum corona decorus agebat Procuratorem Generalem Ordinis apud Curiam Pontificiam Auenione tunc temporis commorantem, eum subitò tactus languore peremptorium illum esse præsciuit. Adueniente itaque Heriberto Cartusiæ Boni passus Priore eum ęgrotantem inuisendi gratia: Opportunè, inquit, aduenisti Heriberte, vt meo huic corpusculo quantocyus parentes. Quo postea, ad horam recedere graue illi certamen cum spiritu nequam subeundum fuit, quod mox redeunti enarrauit. Vbi hactenus fuisti suauissime fratrum inquiens? Perieram, nisi pietatis Mater, Virgo Deipara Maternis mihi visceribus occurrisset. Perieram certè. Anxius de Æterna gloria, supplicioue intra memetipsum recogitare cæperam; Cum ad lectuli caput ferox adstitit Satan, ingens noxarum mearum volumen expandens & exprobans. Tu nè aureis caracteribus in libro Vitæ descriptus, quem cœlestem adeo traduxisse vitam, exactissimus hic codex, atro culparum atramento exaratus, euincit? Tibi ne Diuorum consortium, Dei Creatoris beneficijs iniurio, & diuina de indulgentia temerè confidenti? Ad hęc ego salutis omnem penè spem abieceram, pallore suffusus, tremore correptus, teterrimo enim hęc vultu, flammiuomis hæc oculis improperabat. Vix se continens quin violentas in me manus injiceret, reum gloria exhæredem, meritam tapturus ad gehennam. Sed acri hortendoque in hoc congressu, quam citò votiuæ ad me Marię conuolarunt suppetiæ! Stetit cominus formosa illa, & omnium pulcherrima Virgo, puerum speciosum niueis complectens brachijs: Quid formidas, inquit Petrè? quid horrescis? quid times? Pone metum. En tibi quem in Vlnis gero infantulum; En Orbis totius expiatorem. Per hunc tibi gloria patebit, per quem & tui abluentur reatus. Euanuit ad Mariæ præsentiam humani generis hostis. Disparuit his dictis, & visio, sed altè manet animo infixa gloriæ breui ineundæ certa spes. Quod clementissima Cœli Regina spoponderat altera luce recepit Post matu-

tinam Psalmodiam Sanctorum litanijs decantandis animum adiecit, Heriberto se illi, ad laboris leuamen iungente. vbi autem ventum est ad verba *Omnes Sancti orate pro me*, sursum eleuauit oculos, manumque dexteram extendit, ac si indicaturus Heriberto Sanctorum Agmina ad suam animam excipiendam conuolantia. Quare magna perfusus lętitia, hilari voce exclamauit, *Omnes Sancti, qui huc modo aduenistis, Orate pro me*, quàm postulationem crebrò ingeminans beatum Spiritum in eorum manus emisit. Scriptores omnes Fauerium ouantem Cæleste in Capitolium hoc Anno inducunt, plenisque Encomiorum buccinis concelebrant, Dorlandus, lib. 4. cap. 20. Garnefelt; Canisius, in suo Martyrologio; Bzouius, Ann. Eccles. Tom. 14. Io. Maior, in speculo exemplorum adaucto, Tit B. Maria Virgo. Exemplo 38.

LXVIII.

1320. *B. Rosselina* DD. Elzearij Comitis de Ariano, Beatęque Delphinæ eiusdem coniugis genere, & virtute propinqua, Parthenonis Cellæ Robaudi in Diœcesi Forojuliensi Instauratrix, & Sanctimonialis pijssima. Ab ineunte ætate nomini suo perbellè respondit, rosarum purpuram, feruenti in pauperes charitate exprimens. Quibus nimirum in ostij limine ministrare, ædium domesticarum fores adire prohibita, non valebat, ijsdem panis frusta, & obsonia domi furtim surrepta, & per funem demissa porrigebat ex fenestra; & nonnunquam explicato sinu, pro stipe, quam eisdem impertiendam deferebat, veniantes genitoribus rosas ostendit. Caritatis postea rosis lilia insertura puritatis animum adiecit Anachoresi Cartusiensi, adegitque germanum suum Ælium de Villanoua Rhodiensium Magistrum ad Claustrum feminarum eiusdem disciplinæ moliendum, in quo concluso cælestis sponsi horto, immaculatum candorem vsque ad finem vitæ conseruauit, donec scilicet suauissima immortalis eius iam sponsi voce, *Veni de Libano Soror mea sponsa*, audita, felices ad eiusdem nuptias euolauit.

Corpus incorruptum repertum Elzearius de Villanoua Antistes Diniensis eleuari iussit. Oculi suis locellis exempti, & asseruari in theca argentea æque vigent, & viuaci lumine contuentes feriunt, ac si Virgo foret superstes. In singulis penè Ordinis Cœnobijs visitur eius imago ære incisa, oculisque in mortis caluitium defixis, vt facilè sit dignoscere ideo eius oculos mortis horrore expertes, quod mortem contemplari delitijs duxerint suas, & ad vitam transijsse eam Christi Virginem, quæ nonnisi vitæ opera, mortalitatis decursu editura, mortem præ oculis continuò habuit.

Cluniacensibus eam accensent Io: Bapt. Guesnay Soc. Iesu, in Annal. Massiliensibus ad A. 1282. vbi eam distinguens à Beata Rosselina tertij Ord. S. Francisci, inquit: Proinde alia est à Beata Rossolina quondam Abbatissa Mon. Sellæ Robaudi Ord. Cluniacensis, quæ florebat A. 1206. Nunc autem Conuentus est Fr. Min. Prou. S. Ludouici ab Anno 1501. Adstipulantur Guesnayo Gonzaga, Orig. Franciscan P. 3. Waddingus, Annal. Ord. Min. Tom. 2. sub Anno 1282. §. 11. Tossinianus, lib. 2. Honoratus Bouche in historicis Prouinciæ monumentis, Cartusiensibus ac Cluniacensibus ademptam Cisterciensibus tribuit. Verùm eam vni adhæsisse Brunoni contestantur præter exordia Cellæ Robaudi, antiquæ eius tabulæ, in quibus exhibetur sub habitu Cartusiensi. Sammartani itidem, Galliæ Christianæ Tom. 11. in Elzeario de Villanoua Diniensi Hierarcha; alijque in antiquitate indaganda summam promeriti laudem. Florebat 1320. sexagesimo eiusdem Ætatis Anno sequuta ad coronam à Diana de Villanoua ei sanguinis splẽdore propinqua, & monastica conuersatione Sorore.

LXIX.

1324. *Ioannes Araganius* censoria cum facultate Prou. Castellæ lustrator, Archiepiscopus Tarraconensis, Patriarca Alexandrinus, temporalium honorum vilipendia æternos assequutus pia ceu temporum suorum, seu posterorum credulitate asseritur.

Deuixit

Deuixit 18. Augusti luce 1334. Bzouius, Tom. 14. Annal. Eccles. fol. 723. Ioseph Valles de Orig. Cartus. per Hispaniam, & 3. huius operis pars in Appendice.

LXX.

1337. *Elisia* Sanctimonialis ex traditione Nicolai Chorier P. 2. lib. 1. §. 9. Hist. Delphinatus eximium Cœnobij Prati-Baionis per hæc tempora decus.

LXXI.

1339. *Petrus Duncardus de Bergis*. In Montis Dei Asceterio Ordinis candidatus sublimes, Cæloque proximos hausit spiritus, egregium quorum specimen præbuit ceu Valencenarum, & Cameracensis Cartusiarum Moderator, ceu in regimine Monsterolensis apud Ambianos, aut Sacramentalibus Comitissæ Boloniensis confessionibus aures præbendo. Somnum mortis excepit 17. Ianuarij A. 1339. ad memoriam omnibus retrò sæculis commendandam tumulo eleuatiori, & Epigraphe cohonestatus.

Hic iacet Dominus Petrus de Bergis Cartusianus bona memoria,
Primus initiator, & promotor huius domus, qui fuit à confessionibus.
Nobilissima, & potentissima Domina Domina Comitissa Boloniensis,
Et Auerna, filia Regis Francorum, qui obijt anno salutis
Millesimo, trecentesimo, trigesimo nono, decimo septimo Ianuarij.

LXXII.

1341. *Clarus* ex Parisiensi Priore vndeuigesimus Ord. Præpositus Generalis, qui (verba exscribo Saussai in Martyrolog. ad 17. Kalend. Aug.) *iuxta omen nominis clarus in vita, & morte, clarum radijs gratia spiritum, gloria clarificandum splendoribus in sui Redemptoris manus piè efflauit*. Saussaio adstipulantur Dorlandus, Canis. Garnefelt, & Sutor.

LXXIII.

N. Prior Cartusiensis, cuius triumphalis in Cælum ingressus à Wernero Roleuinck in Fasciculo temporum, Augustino Oldnino in Addit. ad Ciaconium, in vita Innoc. IV. Dorl. Chron. lib. IV. cap. 26. Dionysio Rickelmio, lib. de Præcon. Ord. Cartusiensis, Art. VII. hac ratione posterorum memoriæ consignatus.

Innocentius VI Papa adhuc Cardinalatus fungens honore, Sanctum quemdam visitare solebat Eremitam. Quadam vice venientibus se, & suis illuc, & fortiter pulsantibus, non audiebatur vox neque sensus. Tandem irruentibus clientibus in cellam vi, ipsum inuenerunt iacentem, omni vitæ sensu destitutum, qui aulicis vellicantibus, verebantur enim obijsse, excitatus, clamauit voce magna. Vidi mirabilia, vidi horribilia. Sciscitante Cardinali quænam vidisset, respondit.

Vidi animas in Infernum descendere, sicut niues densissimas; in Purgatorium, sicut niuem rarissimam, sed ad Paradisum tantum tres vidi introire, scilicet illius Episcopi, ac illius Vidua Romana, & illius Prioris Cartusiensis. Qua omnia sic post reperit vera idem Innocentius, & ex tunc maximam deuotionem erga viros religiosos habuit, & pracipuè Cluniacenses, & Cartusienses. Hos enim duos Ord. specialiter pra cateris priuilegiauit, & ab omni Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & quorumcumque Principum iurisdictione, visitatione, taxatione, & qualicumque vexatione exceptos esse decreuit sub anathematis vinculo, eosque sub S. Petri, ac Rom. Ecclesia protectione suscepit. Hæc Oldoinus ex Wernero.

Ex eo tempore animum adiecit idem Pontifex erigendæ Cartusiæ, quam in Pontificatus limine Villæ nouæ secus Auenionem excitauit. Non adeò tamen indubium est contigisse hæc Innocentio VI. quin aliqui eadem referant ad Innoc. III. Eremi de Trisulto Auctorem, quandoquidem incolæ ostendant specum, in qua Anachoretam ecstaticum, inter uenandum adhuc Cardinalis offenderit.

LXXIV.

1350. *Hugo Fabri* magnus Decretorum Doctor, tertius, & trigesimus Ordinis Cluniacensis Abbas Generalis, huius verò nuncupationis VII. quarto plus minus amplissimi adeo Præsulatus Anno, resignauit in manu Summi Pontificis,& ttrictiorem Cartusiensium obseruantiam in Eremo sub appellatione *Vallis S. Mariæ* complexus, vitam in summa pœnitentia, & humilitate transegit, abijtque ad plures pridie Kal. Augusti, Ætatis à Deo homine decimæ quartæ Anno sexagesimo octauo, militiæ sub Brunone duodeuigesimo. Consulendi Franciscus de Riuo in Chron. Ord Cluniacensis, cap. 31. Bibl. Cluniac. pag. 1971. Sammartani in Notit. Abbatiæ Cluniac. eiusdemque Abbatum Elenco.

LXXV.

1351. *Albertus ad Stola Dei* secus Parmam alumnus, vir siue ingenium humanis, diuinisque literis expolitum, spectes, siue animum absque intermissione respicientem in vias Domini, suæ familiæ, quin potius, & Cœtus vniuersi splendor, accitus ad haurienda incommoda nouæ propaginis iuxta Taruisium, infra biennium humanis absolutus est, humatus in medio Chori ob carentiam Cœmeterij. Pellicionius in Arbore Viror. Ill. Ord. Cartus.

LXXVI.

1360. *Ioannes Birellius* exageratis animi dotibus à Sacro Purpuratorum PP. Senatu in Summum Orbis Catholici Parentem designatus, tantoque Dignitatum culmine velis remisque abdicato, annis quatuordecim totius Ordinis multa cum gratiæ coruscatione Præsul, fati paruit imperio octauo Idus Ianuarij, post decessum miraculis etiam glorificatus, quemadmodum Dorlandus, lib. 4. cap. 22. Saussalj, in Supplemento, Sutor, Odericus Rinaldus, Hist. Pontificia, & nostra Priorum magnę Cartusiæ series.

LXXVII.

1361. *B. Petrus Petronius Senensis*. Bimulus infans prophetauit, Matrisque Agnesæ Malauoltæ alterum filium parere cupientis, cui facere volebat votiuum Francisci nomen, cum nec iam se fœcundam animaduerteret, puerili ipse manu sinum permulcens, *Hic, ait, latet Franciscus*. Sinistrum Indicem digitum permagni ad Sacerdotium momenti, sibi præscidit, ne vnquam ad Sacrosancta initiaretur mysteria. Oratione, contemplatione, abstinentia, silentio, humilitate sodalibus reliquis maximè præluxit. Grauiter decumbenti Christus ipse mortis prænuncius, clara sese in luce videndum exhibuit, vt vitalem fuisse mortem interpreremur, quam ipsa vita nunciauit. Extinctus nubeculam accendit igneę columnę aspectu in Cælum præclarè paulatim exemplo ascendentis, eaque indicauit post Deum in ænigmatis nube visum, ad eumdem in corusco gloriæ lumine contemplandum se pergere. Vitam clarissimo fini consonà B. Io: Columbinus, Petro intimus, scripsit, quam auctam elucubrauit, excusitque Senis P. Bartholomæus Scala ex eadem hac institutione. Elogijs euehunt Franciscus Petrarca, Senii Ep. 4. Razzius, Fasti Senenses, & Surius, §. 71. vitæ Diui Bernardini Senensis, castigandus tamen quoad Chronologiam, licet enim in eodem xenodochio de Scala, in quo Bernardini pietas admodum enituit, emicuerit & Petronij charitas, haud tamen illi è uiuis sublato 1420 tempore hic æquandus, qui ex traditione B. Io: Columbini morientis lectulo adstantis animam egit 1361. 29. Maij.

LXXVIII.

1362. *Iacobus de Viniaco*, qui in suprema Ordinis Exedra assidua perfectionis contentione inclaruit, suique contemptui singularim addictus, ad clauum bis admotus, iterata abdicatione munere abijt. Repete, Præpositorum General. Theatrum ad A. 1330.

LXXIX.

LXXIX.

1367. *Helisarius Grimoaldi* Summos inter Cœnobiarcas condigno, & ipse elogio recensitus, animam Sanctissimè emisit.

LXXX.

1370. *Prior Arnhemiensis*, cuius Orationibus, & cælesti sapientia Gerardus rebus gestis cognomento magnus, ciuis Dauentriensis, fortunæ bonis diffluens, animæ dotibus, scientia, ac fama clarus, beneficijs Ecclesiasticis diues, maior extitit in contemptu Sæculi, & imitatione Christi, cuius inquam operatalis, tantusque vitæ Mundi cœno ad gloriosam prædicationis Sacræ arenam deductus Belgium, Hollandiam, Flandriam, Germaniam Euangelizans peragrauit, filios Spirituales innumeros peperit, Dei Ecclesiam fœtu nouæ prolis amplificauit, quæ sub appellatione Clericorum in commune viuentium, ceu bonæ voluntatis, insignes per Brabantiam, & Germaniam Scholas aperuit, suosque palmites ad remoriores vsque Flandriæ, Frisiæ, Westphaliæ, Saxoniæ, oras extendit. Profert hæc Thomas à Campis in vita eiusdem Gerardi Magni cap. IV. & cap. VI. *Erat namque in terra Gelrensi apud oppidum Arnhemense religiosus quidam Prior Carthusiensis in Monichusen, vir literatus, & deuotus, Magistro Gerardo olim in Sæculo familiariter notus. Hic charitatis visceribus plenus & zelo animarum erga proximum concitatus, cœpit cogitare qualiter cum Magistro Gerardo posset habere sermonem, & secreta de eius tractare salute, ne tantus vir eruditusque Magister in Seculo deperiret, sed de Diaboli laqueis ereptus Dei auxilio electorum numero iungeretur. Eo siquidem præcipuè tempore Mundi status in maligno videbatur vndique positus, ita vt pauci essent qui verbum vitæ moribus ac vocibus prædicarent, pauciores verò qui continentiam sectarentur, & quod dolendum erat, nomen Sanctæ religionis, & status deuotionis præ inopia spiritus à patrum præcedentium vestigijs nimium claudicabat. Apud Carthusienses verò lux vitæ cælestis remansit occultò, & carnalibus videbatur satis austera, erat tamen Deo gratissima, & spiritu feruentibus optabilis, atque iucunda. Interea accidit vt prænominatus Prior causa emergente Traiectum tenderet, ibique dilectum Magistrum Gerardum esse percipiens, ad eius colloquium desideranter properat, moxque ad extrahendum piscem hunc magnum de seculi fluctibus, Sanctæ exhortationis rete opportunè relaxat.* Prosequitur Thomas Gerardi animum emollitum rationibus Prioris Arnhemiensis Sanctiùs instituisse mores, & donec virtute imbueretur ex alto latere cupientem perrexisse ad Religiosos fratres in Monichusen. *A quibus reuerenter susceptus, cellam accepit vt hospes amandus, quam latus, & desideranter ingrediens, cum beato Petro in mentis excessu ait, Domine bonum est nos hic esse. Ibi nanque recollegit cordis sui dispersiones, ibi veteris vitæ detersit rubigines, atque interioris hominis imaginem reformauit ad purum.* Quæ dicta sint vt lectori pateat cum Prioris, tum Arnhemiensis Cartusiensium familiæ Sanctitas: Quemadmodum enim cælitus hausta sapientia Gerardum ex humanæ gloriæ ambitu, ad Cælestium amorem ille flexit, ita coruscans in istis virtutum præeminentia, vitæ emendandæ in proposito eumdem solidauit, ac in virum alterum diuturna consuetudine mutatum, tandem Verbi Dei præconem, totque regionum Apostolum suo in sinu efformatum, in lucem gentium eduxit.

LXXXI.

1370. *Anna Pedroza Hispana* sub Brunonis cilicio virum ementita, antrum additum Cartusiæ Portæ Cæli, & ab illius Rectore pro cellula impetratum diu inhabitauit. Diebus tantùm festiuis prodibat, quò pergens ad Ecclesiam, Sacrum audiret, & post conscientiæ latebras ritè expiatas, reficeret animam esurientem Deum suum viuifico Christi corpore sub speciebus panis, & vini. Reliquo tempore inclusa exiguam alimoniam à famulo Cartusiæ per fenestram expositam ad hebdomadam accipiebat. Expleto vigesimo pœnitentiæ Anno duodecimo Calendarum Februarij quod morta-

le habebat depofuit. Tranfitus innotuit campanis, nullo impellente fonantibus, & corufco fulgore fuper cellulam emicante. Corpus terræ reftituendum, dum lauaretur, fæmineum fexum patefecit, & fub habitu Sanctimonialis expofitum, ac humatum, Seculo vertente incorruptum apparuit, fuauiffimamque fragrantiam redoleuit. Patres, quòd nomen ignorarent, diu Agnetem eam dixere à feftiua S. Agnetis folemnitate, qua pofito corpore Virginum Choris affociari meruerat. Sed eo obfoleto Anna Pedroza impofterum nuncupata eft, quod tale eius nomen, agnomenque fore temporis beneficium edocuerit. Ex faftis Carr. Porræ Cæli, & Ceccaronio.

LXXXII.

1370. *Ludolphus Saxo* poft trigefimum à votis inter Dominicanos emiffis Annum ad Brunonis Sodalitium traductus, & poft vitam in Sacris confcribendis voluminibus, feque ad omnem probitatem excolendo tranfactam, pijffimo fine confummatus abijt ad Dominum, prout latiùs in Athenæo, vbi perfectionis monumentis vigiliarum recenfioni Infertis collucet.

LXXXIII.

1376. *Nicolaus* Sedis Apoftolicæ ad Florentinos Ablegatus, eorumdemque furore in odium Pontificis Summi difcerptus. Cædem, caufamque narrant Hift. Florentina, Auctore Taffonio, & Bzouius Ann. Eccl. Tom. xiv. ad hunc Annum n. x. vbi lego. *Poft hominum memoriam nefcio an aliqua Vrbs, tantùm calamitatis Ecclefiæ Romanæ, quantùm Florentia ifto, & Superiore Anno intulißet. Namque vrbibus Pontificijs à Sede Apoftolica alienatis, cum Gregorius Pontifex miffo ad eos Nicolao Carthufiano, illos officij admoneret, illi Nuntium Apoftolicum forcipibus laniarunt, carnes auulfas canibus proiecerunt, viuum adhuc & fpirantem, ante Cathedralem Ecclefiam fub Furcis erectis fepelierunt.* Quis fit ifte Nicolaus, quo in Collegio Sacramento eremiticæ vitæ fe obftrinxerit, patria, gens, gradus, alij viderint.

LXXXIV.

1383. Quo tempore diro Clementis fchifmate voluerfa laborabat Ecclefia, Anonymus quidam Carthufianus, eiusdem Auenione fed entis impietatem declinans, ad Vallis-Regalis Carthufianorum domum, quæ tunc iuxta Gandauum fita erat, venit. Erat Dei amore plenus, S. Paulo Eremitæ primo, fi vitæ contempleris exitum dixeris æqualem. Quodam namque tempore poft meridiem reuerfus è Refectorio, dum folitæ contemplationis æftuaret ardoribus, ita flagrans eum diuini amoris ignis apprehendit, vt hunc lutei vafculi haud ferret infirmitas, fed anima fitiens Deum viuum, in Cælum, vifibili eam comitante gloria, euolarit. Duo fortè mercatores, eadem hora clauftrum pertranfeuntes, furfum flammam lucidam viderunt afcendere; qui ignorantes effe gloriam migrantis animæ, ad clauftri properantes ianuam, Monafterium flammis fatifcere denunciant. Accurritur, vbi cella perftringitur, nullum incendij reperitur indicium, fed exanime in horti angulo, flexis genibus, iunctis eleuatifque manibus corpufculum, & ignea fuper defunctum columna. Tanto euulgato miraculo generofi Gandenfium animi, adeo in obedientia Vrbani Papæ confolidati funt, vt licet tota pêne Flandria ad nutum Philippi Burgundionis fumma auctoritate Principantis in partes rerum Sacrarum imperium fibi per vim afferentis abiret, nullis ipfi minis, blanditijfue cefferint vnquam. Raiffius, ex membranis Cartufian. Gandenfium; Hareus, Tom. I. pag. 363. Annal. Ducum Brabantiæ. præclaro Auctuario illuftrantes Dorlandum, qui rem tradit loco, & tempore omiffis.

LXXXV.

1392. *Margarita d'Alenanie* Soror, & diu Antiftita Parthenię de Gofnayo, feu hortus nitidiffimis gemmantis floribus, è quo niueus fponfus fæpe fæpius Lilia colligit Virginea in perpetuas vernatura æternitates, & meliori proinde folo in Cælo donanda

nanda. *Diceres*, inquit Raissius Orig. Cart. Belgij pag. 18. *spiritualem germanitatem cum laureato Vrsulæ agmine iniisse, adeo frequenter ad eius Virginum extremis iam fatis luctantium lectulum conuolant. Sexcentas recensere liberet, quæ ad earum aduentum exhilaratæ repentè clamarunt, recedite, recedite, date locum introeuntibus. Benè veniant Dominæ. Et ne quis putaret esse mortis, vel morbi difficilioris indigestos enthousiasmos ipse subintroeuntes caterua cælitum, veluti pedibus ingrederentur strepitum, & plausum edere sæpius audita sunt.*

Vnius tamen obitus præcipuè huius rei fidem fecit, Priorissa videlicet Margarita d'Aleuania, quæ cum in Exedra latiore Diuæ Vrsulæ Sacra, illo proxima decumberet, eadem hora qua decessit, vidit Soror Grenta spiritum eius in locum editiorem, qui domus aspectabilis est deduci: Eodemque momento Symphonia, & chorus ibidem auditus est sicut lætantium millium in vnum. Persuasissimum autem fuit è cœtu vndecim millium Virginum Chorum illum extitisse. Ceccatonio in MSS. contigere hæc A. 1392.

LXXXVI.

1400. *Ioannes de Bertis* Anachoresi ad S. Spiritus Lucę solemniter authoratus, Annis ter denis Procuratorem egit Pisanæ propaginis, ab eius scilicet Anno initiali 1370. ad Secularem 1400. quo ad eius incrementa vberiusè Cælo promouenda Spiritum posuit in sinu fratrum suorum. A nonnullis committitur cum P. Ioanne de Vpezzenghis eodem tempore Prioris munera obeuntis, quibus impingendi ansam præbuit, nominum & pietatis affinitas, præter æqualem cum Diua Senensi Virgine Catharina consuetudinem, quæ superna luce perfusa, Ioannem hunc virum illuminatum nouerat, ideoque Pisanas Vallis-Calcis ędes frequentiùs adibat, de diuinis, cum viro Deo acceptissimo collocutura. Monumenta eiusdem Cartusiæ.

LXXXVII.

1407. *Franciscus Aranda*. Sapientiam huius Sęculi summam apud Deum stultitiam, vir prudentissimus contempsit, & ex Aragoniæ Regum intimo consiliario, ac Regni ferè moderatore humilis in Cartusia secus Valentiam Oblatus, ex tertio videlicet professorum huius Institutionis Ordine, qui citra votorum emissionem, Ordini se perpetuò tradentes, habitum ad genua tantum protensum induunt, hac tempestate eò illustrior emicabat, quo gloriosiùs Sęculi splendorem contempserat. Funebrem alij tanti viri diem, Annumque exigneat, ipse eius nominis perennitati hęc dua summæ existimationis monumenta ex Indice rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum; Mariana, de Rebus Hispaniæ lib. 20. cap. 11. L. Matineo Siculo, de Rebus Hisp. lib. 11. L. Valla, de Ferdinando Aragoniæ Rege, lib. 11. tantùm litauerim. Anno 1409. quo de Schismate inter Benedictum 13. & Greg. 12. extinguendo, ac pace Catholicæ Ecclesiæ reddenda seriùs quàm antea consultum, 11. *K. Maij*, inquit Index præfatus *Methonensis Sororis Gregorij F. & Tudertinus Episcopi, & Antonius Butrius iuris scientia clarus Bononiensis Gregorij legati, qui Massiliæ Benedictum A. D. 11. K. Aprilis conuenerant, & Petrus Zagarriga Ilerdensis Episcopus, & Franciscus Aranda, qui illo seculo vir admodum prudens, ac prouidus habitus est: & se ex intimis Arcanorum Regni consilijs Carthusiensis Religionis institutis dediderat tractandis conditionibus adiunctis, ex pacto & Conuentu Saonam Vrbem colloquio competitorum deligunt: & S. Michaelis dies, quo conueniant, dicitur.*

Anno verò 1412. cum Martino Aragonum Rege absque liberis elato orbari scepteri affectatio in Aragonia, Valentia, & Cathalonia turbas excitasset grauissimas, res vergebat ad cladem illarum Prouinciarum Vrgellitano Comite, Duce Gandiæ, Ferdinando Castellæ Rege, alijsque de Solio ineundo ingenti inter se contentione disceptantibus. Tandem conuentum est, ut per delectos arbitros viros nauos, & tantæ Prouinciæ ęquales finis lubrico huic negotio imponeretur. Aragonij Dominicum

Ram

Ram Oscensem Episcopum, & Franciscum Arandam, ac Berengarium Bardesinum, Valentini Bonifacium Ferrerium, S Vincentii Ferrerij Germanum, Cartusianum, ipsum S. Vincentium, & Genesium Rabacam Legatos nuncupauerunt, Catalauni autem Sagarigam Tarraconensem Archiepiscopum, Valsecam atque Bernardum Gualbium. Rem inaudiram, & mirabilem paucorum hominum iudicio, duorum in primis Cartusiensium, quibus alij tertium addunt, qui interfuit velut legatus, fuitque Petrus Broiol Cartusiæ Vallis Christi Præfectus amplissima regna dari auferrique! Et de Bonifacio quidem præmissa in eius ad primam sedem assumptione cum sufficiant, quicquid hic addiderimus superuacuum erit, nisi forte Marineum Siculum castigare velimus, qui eum Ludouicum falsò appellat; De Francisco autem haud abs re erit, dicere ex L. Valla cui singulorum ex electoribus qualitates exprimere vacat, ne posteritas ignoraret, quos viros tantæ rei præficiendos consilia tanta existimauerint. *Franciscus Aranda, vestitu, ac barba horrid ore, quod videlicet renunciasset rebus humanis, alioquin ita accommodatus ad domos Principum, quibus diu præfuerat, moderandas, vt nusquam non, & in consultandis, & in administrandis rebus, ac maturandis primas obtinuerit partes, idque sola naturæ bonitate atque ingenij dotibus, citra vllam scientiam, ac citra vllas propemodum literas, vt appareat ex homine natiuis bonis excellenti formari potius præcepta sapientiæ, quam ex præceptis sapientiæ formari hominem excellentem. In quo illud præcipuè admirabatur, cum quasi pater esset, & quasi tutor potentissimi cuiusque, tám modico exiguoque contentus foret: ideoque libertatis mira, ac nemini obnoxius foret.*

LXXXVIII.

1406. *Henricus Kalcar* muneribus functis, & eruditione in Atheneo iam recensitis sat clarus, post tertium vltra quadragesimum Religiosi stadij Annum ad decimotertio Kalend. Ianuarij pietate clarior occumbit. Virginis puerperę deuotissimus familiaria eius colloquia promeruit, nam & Imago, è qua eum passim alloquuta fertur, in Coloniensi eius stationis Cœnobio magno adhuc in honore habetur, Assertoribus Petreio, in Elucidat. ad Dorlandum, Chron. lib. 6. cap. 28. Canisio, Bostio, vnaque Arnoldo Raissio.

LXXXIX.

1410. *Robertus de la Val* A 1386 S. Petri viui Senonensis Abbas inauguratus, pastorali munere Annos ad quatuordecim gloriosè functus, sexagenarius intrauit Cartusiam Luuiniacensem, in qua diem suum obijt 1410. in osculo Domini. Refert Galliæ Christianæ Tom. 4. in Chronologia Cœnobiarcarum sacræ eiusdem Eremi.

XC.

1410. *Henricus de Cosueldia* VII. Id. Iulij è mortalitatis statione reuocatur, nescias an probitate, an eruditione eminentior, vt proinde ab Arnoldo Raissio in Auctuario ad Natales SS. Belgij meruerit appellari: *Vita, & conuersatione deuotus, & magna fama, ingenio subtilis, & clarus eloquio.* De quo repete Athenæum ad A. prænotatum.

XCI.

1413. *Bartholomeus Rauennas* è Seraphinorũ progenie natus, á Diua Catharina Senẽsi ob religiositatis eminentiam Angelus Dei appellatus; Ordini in moderandis eremis, & Prouincijs Italiæ censoria potestate lustrandis modici nequaquam incrementi, Pontificibus summis in compescendis schismaticis magno præsidio, in Brunonis sodalitium Bononiæ iurauit. Inde Cartusiæ Gorgonæ Primus moderator adlectus, ad Ecclesiæ perduellium edomandam audaciam laudatæ seraphicæ Virginis Epistolis, & Vrbani VI. mandatis euocatur, qui Vrbanus Breue Apostolicum in hanc illi sententiam præscripsit.

VRBANVS PAPA VI.

Dilecto in Christo filio Bartholomæo de Rauenna Cartusiæ Gorgonæ Priori salutem, & Apost-

Apostolicam benedictionem; Cum Petri Nauis, quæ in hoc mari magno, spatioso manibus turbulentissimis procellis, ac tempestatibus maligni Dæmonis furore excitatis agitatur valentissimorum remigum egeat, qui morum sanctitate possint nobis ad eius gubernationem administrandam esse adiumento, vt eam ad tranquilliorem portum perducere valeamus, facit vt talium virorum copiam præsto nobis esse in hac alma vrbe cupiamus. Te igitur de cuius virtute bonum testimonium, ipso bonorum operum tuorum odore latè manante, habemus, huc duximus euocandum simul cum dilectis in Christo filijs Ioanne à Cellis de Ordine Vallis-Vmbrosæ, Ioanne Cartusiæ Vallis Calcis Priore, Luca ex Humiliatorum Ordine, Thadeo Vrbeuetano, ex Ordine Prædicatorum, Leonardo Montepolitano ex Ordine Minorum, & Guillelmo Anglo ex Ordine Eremitanorum. Quos omnes in Domino hortamur, vt ad Apostolica limina fortiora non expectantes mandata, primo quoque tempore veniatis. Vt per præsentiam intelligatis carum, & gratum nobis vestrum aduentum fuisse. Datum Romæ apud S. Petrum VIII. Idus Septemb. Pontificatus nostri Anno primo.

Vrbano præsto fuit Bartholomeus, rem feliciter gessit, nec minus promptam prosperamue nauauit operam Bonifacio, qui post Vrbanum pontificale onus subiuit. Anno siquidem eiusdem inaugurationis tertio, qui fuit partæ per Deum salutis 1392. legationem suscepit ad Carolum VI. Galliarum Regem.

Perrexit Petro Astensis Cœnobij moderatore itineris, & legationis collega. Auenionem appulit, vbi à Clemente asperiùs habitus, carcere conclusus inter non leues ærumnas patientiam ingentem exercuit. Vbi verò ad Caroli instantiam dimissi, Parisios tenuerunt, omnem mouere lapidem pro Rege auertendo à discordia, qua totus concutiebatur Orbis. Surdas aures pijs monitis haud præbuit Gallus Monarcha, quinimmò promisit nihil se prætermissurum laboris, quo dissidentium partium studia in vnum, verumque Pontificem conuenirent. Idque vt Italis extra dubium foret Bartholomæo, & Petro remigrantibus alios duos Oratores Gallos eis adiunxit Priorem Diuionensem vnum, & Parisiensem alterum. Publicas insuper preces pius Rex ad hunc finem indixit, non absque magnæ propensionis in Bonifacium, alieni verò animi à Clemente, signis. Credita hæc legatio fortior præ cæteris impulsus, quo nimirum impellente, corruit tandem in Gallia Clementis factio, ipso Carolo Scissuræ olim studiosissimo, vnionem perurgente.

Tanta ex legatione, redux suæ Gorgonę restitutus est Anno 1392. Annò verò 1394. Prouinciarum Italiæ lustrationi vacauit; 1395. Inuisit Monasterium Mediolanense, quo tempore accepit á Galeazio Vicecomite mille florenos in sumptus Gorgoniæ suæ familiæ impendendos. Papiensi Archicœnobio anno 1396. initiato adfuit, cuius etiam regimen infra biennium suscepit, eoque anno 1409. abdicato, quinquennio post mutuatam à terra sarcinam terræ restituit, ineunte Maio. Fortis hæc, in exantlandis pro Dei Ecclesia laboribus vestigia pectoris, quemadmodum, & Sanctæ argumenta conuersationis innotescunt, ex Catherinæ Senensis epistolarum vigesima septima, Caroli VI. Francorum Regis Historia, Auctore Mon. Sandionysiano, Iouenalis Remensis Archiepiscopi De gestis eiusdem Regis Commentario, singulatim ex vita Beati Stephani Maconi à Bartholomæo Scala concinnata, lib. 4. cap. 1. vbi eius tandem vitam exscerptam ex tabulis Domus Pisanæ Auctor se euulgaturum promittit, quod tamen præcoci confectus fato præstare non valuit: ex ipsis denique Epistolis Bonifacij Papæ sub Dat. Romæ 4. Nonas Aprilis Pontif. Anno tertio, quibus eiusdem profectionem in Gallias munijt.

Liberet Bartholomæo huic Rauennati adnectere Ioannem Grillum Patria Salernitanum, iuris prudentiæ professorem nequaquam incelebrem, anno 1360. Monasticæ addictum vitæ, infra triennium Monasterij S. Martini Neapoli Rectorem, anno demum 1378. á Ioanna Regina ad prælaudatum Vrbanum VI. Ablegatum Oratorem

obedientiæ, vt aiunt, de quo Ciaconius, Pag. 791. Nicolaus Toppius, Bibliothecæ Scriptorum Regni Neapolitani parte prima; Bzouius, in Annalibus Ecclesiasticis. Sed procul à strenuo bellorum Domini præliatore facessat Infelix subinde transfuga ad schismaticorum castra, ab ipsomet Ordine Priorali è gradu ideò exturbatus, quòd, Ioanna Regina approbante, Purpuratis desertoribus adhæsit, ijsdemque auctoribus primus Vrbanum Christi Ecclesiæ verum sponsum adiuit, ei intrepidè persuasum, Pontificatu abiret, vt pote qui malè adeptus illum fuerat, quod Clementi dein fauebat, fouebatque partes. Adiungendus quidem, iureque meritò commendandus, is, quem diplomate suo Vrbanus cum Bartholomæo accersit, & Vallis-Calcis Priorem appellat, is nimirum fuit.

XCII.

Ioannes de Vpizzinghis, nobilis Pisanus, ad S. Spiritus Lucæ Ordini adscitus, patriæ deinde familiæ Præsul, aliarumque domorum, omnium virtutum documentis vbique editis maximoperè celebris, à sæpius commemorata Catharina Senensi vt Deo carus, supernisque illustrationibus auctus, singulari veneratione prosequutus. Obijt in obsequio Sedis Apostolicæ, laudibus euectus à Thoma Naccio Dominicano; Instructore vitæ B. Petri Petronij, in Appendice ad eamdem pag. 200. Peremptorius vitæ terminus latet, licet è mortalitatis statione demigrasse nonnulli sentiant quinto Anno ante excessum Seculi humanæ reparationis quartidecimi.

XCIII.

1417. *Gosuuinus de BeKa* ad Vallis Regum-Gandaui Præsul, & Prouinciæ Teutoniæ inuisor, vir in quem longa sibi consuetudine optimè notum Bostius Carmelita hæc congerit encomia. In Sæculo clarissimus Iurisperitus, in Claustro Mon. *inter Doctores Doctior, inter sapientes sapientior, inter optimos melior, inter maximos maior. Erat vtique præco, intercessor, internuncius melliflui eloquij Diuini, tuba Euangelij, Angelus pacis, Amicus Sponsi, lingua muti, pes claudi, sal terræ, patriæ lumen.* Bostio conueniunt Petreius, in Bibl. Script. Cartus.; & Wallius, in Syllabo Visitatorum Prou. Flandro-Belgicæ.

XCIV.

1419. *Bonifacius Ferrerius* XXVI. Primæ Cartusiæ Archimandrita, ideoque in eorumdem Elogijs consonis, & ipse laudibus cohonestatus. E corporis ergastulo educitur ad tertio Kalendas Maij.

XCV.

1420. *Martyres Cartusiæ Pragensis*. Hussitarum pestilentia per Bohemiam grassante, ZisKa ferocis ingenij hæreticus, ad Ius diuinum humanúmque euertendum natus, populum contra Winceslaum Regem, simulque ad sacrorum direptionem concitat. Impetu facto in Cartusiam, Hortus Beatæ Mariæ dictam, à Ioanne cæco erectam, eam diripit, & succendit. Religiosi n. 11. quòd in fidei veritate persisterent ludibrio habiti, sertis spineis redimiti, præcedente quodam MarsicK nomine, rerum sacrarum derisore, habitu sacerdotali induto, calicemque manu gerente, in Ciuitatis antiquæ custodiam ducuntur. At cum vnus ex eis post suas preces, quas singulis noctibus recitabat, licet benè custoditus euanuisset, omnes in Morauiam dimissi sunt. Verùm cum Pragaij Sedlecium ad Cistercienses se contulissent, vnà cum ingenti Cisterciensium eorumdem multitudine ab hæreticis in Cœnobio depræhensi partim ferro, partim flammis absumpti sunt in peruigilio solemnitatis Spiritus Sancti in Orbem aduenientis. Fidei constantiam, & cruentam planè horum Martyrum cędem referunt Georgius Bartholdus Pontanus, Bohemiæ piæ pag. 9. Antonius Bonfinius, lib. 2. Decade 3. Ioannes Cochleus, Paulus Langius, Aubertus Miræus, Lupacius, Paulus ZidechK, Chronicon Ziticense, Bouslaus Balbinus, in Epitome rerum Bohemica-

rum, Menologium Cisterciense, Odericus Rinaldus, Ann. Eccles. Tom xviii. §. 15. vbi eos martirum nomine laureat.

XCVI.

1422. *Anonymus Conuersus Magna Cartusia* miræ simplicitatis vir, qui præter Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam solius Psalmi quinquagesimi primum versum cum edíscere valuisset, hunc etiam perperam enuntiabat, pro *Miserere mei Deus* recitans *Miserere tui Deus*. Qua oratione pij viri Deus humilium fautor apprimè delectatus, tantam boni odoris fragrantiam orantis cellulæ infundebat, vt foras erumpens, prætereuntes opidò recrearet. Prodit Auctoribus Camillo Tutino, & Chron. Dorlandi, lib. 5. cap. 11.

XCVII.

1424. *B. Stephanus Maconus*. Senis Corrado Macono, & Ioanna Bandinella natus ob venerationem studiumque in Diuam Catharinam itidem Senensem glorioso conuicio Catharinatus à condiscipulis dictus, eiusdem Sanctę Amanuensis alloquia inter Virginem, & Cælestem Sponsum, quæ suis auribus exceperat, euulgauit. Vitam quoque conscripsit, & solemnem Apotheosim procurauit. Eiusdem Seraphicæ consilio Cartusianæ vitæ Sacramentum dixit. Ordini præfuit temporibus ob Ecclesiæ schismata afflictissimis, & vnoquoque Pontifice maximo Generalem suarum partium fautorem in hoc etiam à turbis amoto Cœtu promouente. Verùm Stephanus volens lubens sese in ordinem redegit, vt humilitatis contentione, Prouincias in partes distractas componeret. Cartusiæ Papiensis condendę Galeazio Vicecomiti Author fuit. Ecstases austeritatem, & emicantem in eo reliquarum virtutum Enciclopediam doctissimo expressere calamo, Ferrarius, Dorlandus, Bostius Carmelita, Fasti Senenses à celebri Intronatorum Academia editi, Paulus Frigerius, cum plerisque Vitæ Diuæ Catharinæ Senensis scriptoribus, Bartholomæus Scala præ cęteris, qui Stephani vitam integro volumine pertexuit, subiecitque typis patris Anno in Athenæo præmisso.

XCVIII.

1426. *Erasmus de* Wirtheim cum illustri in Germania Comitatu Primariæ Coloniensis Ædis Canonicus huic disciplinæ ad S. Barbaram se submisit, vbi Annos circiter sex, & viginti partim in obedientia, interdum in Prioris munere probatissimè conuersatus est, & defecit anno 1426. Petreius in Appendice ad Biblioth. & Abbas Iangelinus.

XCIX.

1428. *Hermannus Petra de Sutdorpe*, cuius virtutes, cum eruditione, vitæque decursu complectitur Athenæum ad hunc Annum.

C.

1430. *Anonymus in Flandria Monachus* à Thoma Campensi Regularis Institutionis tyrunculis veluti contemporanea, & absolutissima vitę Monasticę norma sępè ob oculos positus, à solitudine autem imprimis commendatus, quod quadraginta Eremi annis adeò vixerit cellulę affixus, vt nunquam anteriorem Cœnobij partem reuiserit, per quam semel in Monasterium Introierat. Refert Thomas idem á Kampis, P. 2. Sermonum ad Nouitios, Serm. 1v. Petreius, Elucidat in Dorlandum, lib. 1. § 7.

CI.

1439. *Guilelmus de Mota* inter Ordinis supremaè Sede Legislatores septimus, & vigesimus, à Martyrologio Gallicano meriti præcelsi, humilitatis admirandæ, pietatis summæ, & abstinentiæ eximiæ laudibus euectus ad 7. Idus Iunij, qua die hominem exuit.

CII.

1419. *Ioannes Beltran* quem Scalæ Dei Sodales voti mancipem religiosi suscepere, eamdem in Catalonia familiam insignibus admodum absolutissimæ virtutis decorauit exemplis, & Tyronum præfectus, in alios etiam, quà ipsa pollebat, perfectionis eminentiam deriuauit. Vbi asperrimę huic conuersationi solemni iureiurando adhæsit, ibidem mortalitatis posuit exuuias, ac vigesimo quinto à fatis extremis Anno in tumulo se contraxit, locum daturus Ioanni Fort, ex discipulis celeberrimo, qui è feretro caput extulit, & astantes monuit, ne cum alia sub gleba deponerent, quàm sub ea, quæ ipsum Ioannem Beltran opperiebat. Testatur Antonius Vicente Ord. Prædicatorum, in Hist. Generali Virorum in Catalonia Sanctitate illustrium lib. 11. pag. 17. Ioseph. de Valles in syllabo Mon. Scalæ Dei virtute coruscantium singulari, iuxta cuius Chronologiam huic viuendi normæ accessit An. 1394. millesimo postea quatercentesimo septimo decimo ad clauum Mon. Scalæ Dei, Prior renuntiatus sedit, quem volens lubens, sexennio elapso, dimisit, & 1439. septimo Idus Februarij obdormiuit in Domino.

CIII.

Ioannes R. d. Magnum nedum Cartusiensis Propositi, sed & Benedictini Ordinis nomen, cui cum accessisset collapsæ disciplinæ instaurandæ gratia; eximia cum laude voti compos effectus est. Quare sua, totque Reformatorum Cœnobitarum obseruantia, illustrium Auctorum effusas laudes, summique Retributoris indefectibile præmium assequutus est, quemadmodum supra in Athenæo.

CIV.

1443 *B. Nicolaus Albergatus*. Archiepiscopalem dignitatem, Purpuram Cardinalitiam, celebres Legationes ad omnes ferè Orbis Catholici Principes, eruditionem, prudentiam; aliosque titulos morum Sanctitate condecorauit. *Ad Cardinei gradus Euenentem ait Poggius, assumptus, eodem quo antea vultu permansit, vt Palam fieret eum humani fastigij insignia parui existimare, qui honorem illum suscepit, ne beneficentiam in se Pontificis contemneret, aut mandatis eius contumax esse videretur. Qui nihil ex eo, nisi ad virtutem, vitæque molestias multa addi, maiusque sibi onus imponi reputauerit, vitamque deinceps instituit, vt & dignitati consuleret, & Religioni.* De priuata namque vitæ austeritate, subdit Oldoinus, nihil remisit, externa solum quædam auxit quæ ad cultum spectarent, ac ad tuenda tantæ dignitatis ornamenta, de cætero eadem integritas, eadem continentia, eadem pietatis officia, eademque benignitas permansere. Legationibus feliciter obeundis animisque Principum obsistentium in suam perducendis sententiam, magno illi erat præsidio celebris vbique integritatis fama. Conuentu pro pace statuenda inter Francorum, & Anglorum Reges, nec non & Burgundiæ Ducem Atrebati Indicto, cum Burgundus ad volũtatem Legati flecti minimè vellet, Nicolaus se contra eum & Anglos, quasi in pacis apertissimos hostes, fore sfuturum minatus est. Acne aliquomodo de potestate, quam Christus Ecclesiæ tribuit, dubitarent, petijt candidum panem, cui in amplissimo consilij consessu cum summa in Deum fiducia male esset precatus, subitò nigerrimus apparuit, magna omnium qui aderant admiratione; iterumque pijs verbis pani benè precatus pristinum recepit candorem. Quare ex eo tempore Burgundus concepto terrore sese Fœcialis arbitrio submisit, ac dimissis Anglis, pacem cum Gallis illicò facit. Sæpè, & precibus quidem enixis à Pontifice expetijt, liceret sibi dimissa Purpura, ac Episcopi dignitate ad claustrum redire. Propè vitæ finem, calculis acriter vexatus, Medicos contempsit, doloresq; immensos summa patientia pertulit, agens gratias Deo, qui ipsum etiam in extremo spiritu exerceret ad tolerantiam. Inualescente vi morbi, ac dolorum acerbitate Anno ætatis suæ sexagesimo octauo, salutis verò humanæ 1443. die 9. Maij vita cessit, ac piam animam Deo reddidit Senis in Tuscia, quò Ponti-

ficem

ficem Florentia, Romam proficiscétem sequutus fuerat. Sacrum Corpus inde ad Cartusiam Florentinam, prout ipse præceperat, delatum est, tumulo è Marmore, ac Epitaphio honoratum, vt sequitur.

SEPVLCRVM

Omni laude dignissimi, & Reuerendissimi Patris,
Nicolai tituli S. Crucis in Hierusalem,
Presbyteri Cardinalis.
Hic natus Bononia primum ex Priore Cartusiensi
Petente Populo Bononiensis Episcopus,
Tum à Martino V. Pontifice Cardinalis designatus,
Post plurimas legationes Senis diem suum obijt,
Ætatis sua Anno sexagesimo octauo.
Vir pijssimus, mitissimusque, vita integritate,
singularique virtute, omnium testimonio comprobatus.

In gradibus vero conditorij hi leguntur versus.

Cartusia me terra tegit, quem sumpsit alumnum.
Ac dedit esse patrem natiua Bononia tandem.
Me sibi Pastorem tenuit de iure vocatum.
Cardinis Ecclesia compulsus pondera sumpsi.
Et Crucis in titulo mihi fulsit rubra Tiara.
Mille quatercentum denos quater egerat Annos,
Tres etiam cyclus solaris, dum Nicolaus,
Mente petens Cælum, sub saxo corpore claudor.

Euulgato eius funeris nuntio, splendorem, & decus Ecclesiæ amissum consonis vocibus prædicabant, Pontifex maximus præ cæteris, qui exequijs interfuit, & sacrum solemne celebrauit. Podius in oratione funebri habita ad eumdem P. M. & Sacrum Purpuratorum PP. Collegium mærorem ponendum docuit, & Albergato inter Cælites adscripto congaudendum. Eius innocentissimæ vitę amplissima testimonia sunt Auctores penè innumeri, Gaspar Bombacius, Blondus, Platina, Franciscus Amadi, Ioannes Baptista Zeno, Bonauentura Caballus, Ludouicus Donius, Carolus Sigonius, Cortesius, Victorellus, Sanderus, D'Attichi in Elogijs Cardinalium, Georgius Garnefelt. Mihi sat erit Leonem ex vngue dignoscendum producere allatis S. Antonini verbis, qui eum appellat *virum venerabilem, & Sanctissimum, speculum sine macula omnibus Curialibus, & Præsidentibus, Patrem pauperum, inter Principes dissidentes pacis reformatorem, ac schismatis impeditorem. In Episcopatu Antistitum exemplar insigne, & in Cardinalatu Cardinalium speculum.* Defunctus Nicolao V. nondum Cardinali apparuit in somno, & Pontificatu prænunciato temperare à lacrymis suasit. *Pone lachrymas, te collige; Nobis enim benè est benignitate Iesu. Surge, atque accingere, ad breue enim tempus graue tibi subeundem est munus Petri Nauicula gubenanda.* Pius II. qui Nicolaum dum vixerat, optimè norat, dignum estimauit sancti appellatione. A Bononiensibus inter tutelares relatus est, & á Philippo Ferrario exscribitur in Catalogo SS. de quibus Martyrolog. Romanum silet.

1444. *Emmanuel Lascaris*. In libro prænotato, *Nicea Ciuitas*, Auctore Petro Ioffredo Niciensi SS. Mauritij, & Lazari Equite, Regiæ Celsitudini Victoris Amedei II. Sabaudiæ Ducis, Pedemõtium Principis ab humanis literis, Græcè & latinè docto, omnigenaque eruditione locupleti, parte prima De Sanctis, & pietate illustribus, Tit. 16. pag. 141. obumbrantur eius Prosapię ingenuitas, Eremitica Institutio, Dignitatum decora, humilitatisq; fastigium his verbis.

EMANVEL Entimeliensium Comitum genus, ac Tendæ, in Maritimis Alpibus qui ab Irene Theodori Græcorum Imperatoris superstiteLascares sunt dicti, Antonij Lascaris Tendæ Comitis, ac Margaritæ Carretę de Finario, vt puto filius, vnà cum Luchino, Fratre, Cartusianorum Ordinem ingressus post Annum Christi 1400. Monasterium Pisij in eisdem Alpibus percelebre incoluit, Religiosoq; habitu indutus est temporibus Patris D. Antonij de Auilianâ, magna tunc Sanctimoniæ fama conspicui, P. D. Bernardo de Ceua Priore, quem eiusdem Cęnobij Tabulæ *Virum bonum vocant, ac multa Religiositatis, qui plurimos Nouitios suscipiens, Monasterium deuotis Religiosis ampliauit.* Emanuel autem tantum in Regularis disciplinæ studio profectum edidit, vt coram Generali Ordinis totius Capitulo, Communibus Monacorum Suffragijs, in Monasterij Priorem sit expetitus, idq; ex eo maximé quód cum Domini aliquot laici iura Monasterij inuasissent, Viro non minus prouido, prudentique, quam pio ad ea recuperanda, ac Religiosæ Domus Sarta tecta seruanda opus esse animaduerterent. Qui cum manum actitet imposito muneri admouisset, diuina fretus ope, ac persæpè non sine graui vitæ periculo, quæcumq; malè ablata fuerant Monasterio irerum adquisiuit.

2 Nec minus in spirituali eiusdem Monasterij ædificio laborauit. Virtutes siquidem quam maximè excoluit, humilitatem in primis; adeò vt eximiæ suæ Nobilitatis immemor, licet Prior Domus præfectus cum famulis viliora, ac sordidiora ministeria operaretur; ex quo factum est, vt ad Prioratum Papiensis Cartusiæ electo eo, exierit prouerbium: *Num Furnarius Vallis Pisij Prior Papiæ?* Iterum ad Prioratum Pisij accersitus, pietatis eximia præbuit documenta, atque à Summis Viris summo in pretio est habitus. Quos inter Sanctus Bernardinus Senensis opinionem de illo suam aliquando coram Populo patefecit. Nam dum in Ecclesia Sancti Francisci, quæ Monte Regali in Pedemontio est concionaretur, contigit Emanuelem, vt verbum diuinum ex Dei homine exciperet, eandem Ecclesiam ingredi. Eum vt vidit Bernardinus, ac in Spiritu qualis esset agnoscens, licet alias numquam vidisset, Sermonem, quem exorsus fuerat tandiù interposuit, quousq; eidem datus fuit ad Concionem audiendam locus.

3 Emanuele Vallis Pisij Prioratum gerente, illustres quamplures Sæculo Viri eò arctioris vitæ studio conuolarunt; inter quos DD. Guillielmus Petrus, ac Georgius ex Comitibus itidem Entimelij, & Dominis Tendæ eius Nepotes, eiusdē temporibus persæpe Monasterio præfecti, seduloq; nauantes operam de Ordine, ac pietate benemeriti sunt. Fatis cessit Anno, & die eidem scriptori incompertis, ex Actis vero cap. Generalis 1444. tertio Kal. Nouembris, in quibus etiam habetur præter Pisij, & Papiæ, moderatorem renunciatum Eremi Casularum, & Visitatorem Prou. Lombardiæ.

CVI.

1446. *Bartholomeus Traiecto* ad Mosam oriundus, Ruremundæ Præfectus, Prouinciæ Rhenanę Censor summæ eruditioni summam pietatem adiunxit, naturęque cum magna gratiæ vbertate debitum soluit 1446. Honorificentissimam de eo mentionem reperies penes Trithemium, Dorlandum, Arnoldum Bostium, Petreium, & cęteros, quos in Athenęo ad comprobandam eius doctrinam adduximus.

CVII.

1446. *Ioannes de Montenghis* maiorum imaginibus in Hannonia conspicuus, Superior Diesthemiensium sodalium, animoq; ad grauissimas quascumque hauriendas Prouincias exornatus, Nicolao Albergato Galliam, & Flandriam ad sedandas Regum contentiones discurrenti, Diesthemio Arhun occurrit, & celeberrimę LegationisCollega adscitus, consilio, & opera Regna armorum fragore longè latèque circun-

circumstrepentia composuit. Probitas eidem Albergato perspecta neminem, quandiu vixit, in sui admirationem non traxit. Denascitur autem Orbis Diuino Cruore loti Anno 1446. Raissius, in Orig. Carr. Diestemiensis; Gatnefelt, in vita Nicolai Albergati; Ceccaronius, in Corona S. Brunonis.

CVIII

1449. *Albertus Arnhemius* cum Cœnobij religiosa à magnificentia qua Ascetas huius obseruantiæ amplissimè, & commodissimè excepit, Domus Monacorum antonomasticè appellati Rectorem ageret, & gregem sibi commissum in intellectibus manuum suatum deduceret, quadam nocte cæpit recogitare Annos suos in amaritudine animæ suæ, qua dum meditatione anxiaretur, leui captus sopore audiuit Cęlestes choraulos hæc verba dulcissimè modulantes. *Vitam petijt à te, & tribuisti ei Domine longitudinem dierum in seculum, & in seculum seculi.* Melodiam perpetuæ suæ auspicium salutis credidit, suorumque filiorum confidentiori dixit, nec multo post corpore absolutus ad Deum porrexit. Raissius in Belgicis Cartusianorum Originibus.

CIX.

1353 *Henricus Borm* Ascera Vltraiectini sub inuocatione S. Saluatoris de Noua luce Cœnobij, ibidemque Prioris gerens vices virtutibus, & Annis plenus appositus est ad PP. cineres quarto Nonas Augusti. Consule Hierogazophilacium Belgicum fol. 380.

CX

1455. *S. Andreæ de Littore* Ascetas Venetæ Reipublicæ vitæ Cælestis potius quàm humanæ specimen hoc tempore præbuisse diserrè fatetur Bernardus Iustinianus luculentus Orator in historiæ Diui Laurentij Iustiniani auunculi sui ad eosdem Cartusienses nuncupatione, & vitæ cap. 12. In Epistola inquam præliminari Franciscum Taruisanum Priorem, Angelici Spiritus Virum laudibus euehit, Monachos vero ipsimet beato Patriarchę suspiciendos ait secessu à turbis, & reliquis hominum verè à mundo sequestrium virtutibus cumulatos. Vitæ autem cap. 12. eorundem duos funeri adstitisse tradit, qui Angelicæ melodiæ inter concentus illum in Regnum gaudij introductum audiere.

CXI.

1456. *Ioannes Bobulsem.* Nitrias, & Tebaidas Gandauum transtulit, vbi alter suæ ætatis Antonius dæmonem præstigiatorem mille nocendi artibus, milleque in eum mouentem nominibus, multipliciter fudit. Nonnunquam imperitus trucium à seuitie Leonum, immanium à feritate Tigrium conspexit, & laruati terriculamenta insidiatoris detisit, cui perfecto olim decore, & formosissimo Cęlestes inter aulicos Principi objecit in conuicium, vel ipsum horrorem, quem forma à brutis mutuata præ se ferebat. Angelum ille lucis ementitur, aciemque restituit, sed diuino fultus lumine Ioannes, versipellem magnificè se inferentem submouet, vultus ne assumeret monens, quos, fœdam in superbiam semel prolapsus, æternùm amisisset. Interdum speciosissimas sibi adstare puellas vidit, easque aliquando forma, lenocinijs, procacitate ad acriores libidinis eiaculandas faces immissas, quandoque virgineo pudore ingenuam prætexere verecundiam. At memor Ioannes mulieris illicijs genus humanum pessimè ab initio vitiatum, dolos eiusit, quos in preces fusus illisit ad Christum. His, alijsque, consequutis de communi hoste tropheis, palmis satis onustus, militia absoluitur, cui vlluus super terram homo, volens, reluctans obstringitur, & heros emeritus ad patrię otia 23. Iunij 1456. dimittitur, teste Raissio in Belgicis Cartusianorum Originibus.

CXII.

1456. *Guillelmus* Bauariæ Ducis eiusdem nominis sexti illegitimo ex thoro filius, Vxore sublata, Claustrum apud F. I burgum intrauit, in quo vitam pœnitentia asperrimam clausula in conspectu Domini pretiosa absoluit.

CXIII.

1458. *Antonius le Cocq* ex Auuigliana Pedemōtij Oppido professioné emisit in principe Ordinis Cœnobio, è quo ad Cartusiam Vallis Pisij transmissus Anno 1416. post 42. incolatus Annum, vitam temporalem cum æterna commutauit sexto Kalendas Martij. Translationis causa extitit famigerata per Gallias Sanctitas, & prophetici spiritus celeberrimus qui percrebuerat rumor. Carolus VII. ira percitus ob insidias suæ vitæ intentatas Ludouicum Delphinum conspirationis Auctorem ad necem petebat, qui Patris furorem declinans, hac, illacque sub mentita persona profugus oberrabat. Apud Cartusianos cum aliquando hospitaretur, cęteris ignotus, Antonium haud latuit qui propheticis eum blādiens eloquijs. Pone metū, inquit, Ludouice. Breui placatus Carolus paternæ te gratiæ, aulæque commodis postliminio restituet. Nulla imposterum præceps te seducat ambitio. Sceptrum paterna post fata cunctare; & Cælo, & solo acceptissimus Princeps Gallico orbi iura felicissima dabis. Abijt Regius Primogenitus spe auctior, monitis instructior, Paterno fauore rerumque summa, stato Cæliius tempore, potitus est, nec immemor fatidici Antonij Cartusiam Sacra, pretiosaque, pro Regia magnificentia, supellectili, amplissimè instruxit. Sed & omnem mouit lapidem, vt virum Dei futurorum præscium apud se detineret. Idem Optimates perurgebant. Verùm dum Galliarum cum Rege vnà, & Proceres Antonium sollicitiùs ad aulam exposcunt, vel confluentes ad Cartusiam frequentiùs inuisunt, Patres, Anno 1416. ad Senatum generalem vndique demore conueniunt, inter quos illata mentione de Antonij euulgatæ Sanctitatis celebritate, visum est, salubri sancito occurrendum, ne Sæculi Principum plausus, virtutis fulgorem obumbraret, quæ cumulandis apud Deum meritis intenta, terrenam gloriam floci pendere consueuit. Conuenere in hanc sententiam: transmittendum Antonium ad Cartusiam Vallis Pisij vndequaque montibus obsitam, ab Vrbibus præ cęteris semotam, adeoque hominum turbis inuiam. At virtutum fama arctiores huiusecmodi latebras indignante, cum iterum à Visitatoribus Prouinciæ Lombardiæ exposceretur, distrahi prohibitus est hoc sancito Gen. confessus denuò coacti An. 1447. *D. Antonius de Auuigliana, professus Domus Vallis Pisij ibidem perseueret. Inhibendo strictissimè Visitatoribus, ne sugestu quorumque Dominorum ipsum extra terminos valeant emittere, seu in aliquo Ordinis officio promouere, alias nunc prout extunc, viceque versa si contrarium (quod absit) fieret quod præsumere non valemus, cassamus, & annullamus, & nullius volumus esse roboris, vel momenti.* Dicitur Domnus Antonius de Auuigliana, ad distinctionem, inquiunt monumenta, alterius D. Antonij de Morotio coętanei, religiosisq; moribus itidem instructissimi. Professus Cartusiæ Vallis Pisij ibidem connotatur, seu ex Cartusiæ Maioris familia inter Vallis Pisij Ascetas secunda filiatione perpetuò addictus, quod alias consueuerat. Hoc emanato decreto ad supremam vsque horam ibidem perseuerauit Orationi, pijsque imaginibus pingendis diem totam impendens. Sacrum deuotissimè offerebat, & celebranti lachrymæ adeo vberes, & candentes defluebant ex oculis, vt Sacerdotalia indumenta tererentur. Post præfationem Clericus recedebat, nec nisi hora integra elapsa, sonitu campanulæ vocatus, reuertebatur ad ministrandum. Beatum se vocitari, adhuc in viuis agens audiebat. Corpus ponderis expers, feretri delatores senserunt, ac iurarunt. Et pro virtutum coronide, ad superioris imperium á miraculis, & ipse post humum cessauit, obedientiæ portentum etiam in tumulo. Hæc copiosiùs tabularia Cartusiæ in qua quiescit, indicata etiam à C. Tutino. Eiusdem cognomenti le Coq alter floruit nostro Seculo, dictus Pater Ioachim le Cocq de l'Espinay professus Cartusienſis, qui diem suum obijt Anno 1619.

CXIV.

1459. *Boso, alijs Raso Cæsarius*, Alostensis ante Ordinis ingressum vxoratus filiam genuit, quæ & ipsa vitæ manceps religiose facta est Mater Sororum in Sion iuxta Aldenardum. Virginem Deiparam semper in ore, semper in corde gestabat. In ea voluptates, in ea delitias collocauerat suas. Annos bis denos, quos in Conuentu exegit Sacræ Orationi, vigilijs meditationibusque vacando insumsit. Ad cuius extremam fatalis diei horam instantem VIII. Id. Septembris An. 1459. Dei genitrix dignanter consolauit, & suum dilectum prompta reuisens, multum illi solatij impendit, donec animam è corpore migrantem virgineis excipiens manibus, ad Cælum duxit, filio offerendam, & meliori vita donandam. Fidem faciunt Chron. Dom. Capellæ, vbi vitam à mundo sequestram transegit, Dorlandus, Bostius, & Marraccius in sua de Religiosis Marianis Epitome MS.

CXV.

1459. *Nicolaus Cortonensis*, si non Volaterranus Florentiæ ad S. Laurentium Ordini associatus est, vbi & Priorem gerebat Anno 1445. Mira fuit prudentia, & innocentia eximia, B. Nicolao Albergato comes in celebri illa Legatione ad Gallum, Burgundum & Anglum optimis animis adornata, cum Principes Catholici, Orbe plaudente toto, in fœdus pacis coluere. Nec ponendum in vltima laudis parte, eidem Purpurato Eminentissimo & postea Nicolao V. summo Christiani gregis Pastori, cum pœnitentiæ Sacramentum susciperent aures diu præbuisse. Mortem oppetijt 1459. 2. Iulij. Camillus Tutinus, Ceccaronius, & antiquæ memoriæ præfatæ Florentinæ Domus, acceptæ ab humanissimo Viro D. Francisco B.ghio Priore.

CXVI.

1460. *Ioannes de Nea*, Laicus, ex eorum numero, quos Conuersos appellant, magna in rebus agendis dexteritate, & experientia pollens, à Nicolao Papa V. Collector Apostolicus per Aragoniam constituitur, cuius etiam Pontificis munificentia vsus idem Ioannes, Barcinonensem sui Ordinis familiam recenter à Maresmeis intra ipsam Barcinonam traductam, sed cum ambitus angustia luctantem, amplissimo in claustro à primo lapide ibidem constructo, magnificentissimè excepit. Et ne Pontificiæ in Cartusienses beneuolentiæ Lector curiosiùs argumentum exquirat, nouerit, ex Sal. 2. Mart Hispanico, Tom. 2. VI. Octob. de Orig. Cart. per Hispaniam, Francisco Philelpho in Orat. ad Iacob. Antonium Marcellu Pat. Venet., cum Enea Siluio in Commentarijs Concilij Basileen. & Augustino Oldoino in gestis P.P. & Cardinalium, Tomam Lucanum, seu Sarzanensem, quo nomine, Nicolaus ante Apostolicum fastigium, nuncupabatur, præter arctam necessitudinem, quam cum præfato Nicolao olim habuerat, fuisse ingens beneficium Orbi productum ex domestica disciplina Nicolai Albergati Card. Cartusiensis. Eius nimirum admirans ingenium Albergatus, sua liberalitate humanioribus in literis Philosophia, & Theologia prius promotum, in suæ Domus œconomum deinde adsciuit, postea Secretarium in arduis quas obiuit Legationibus, suisque moribus longa conuersatione ita imbuit, vt Pontificalis apicis dignus censeretur, quod ei apparens idem Card. Albergatus prædixerat. Molestius siquidem Card. Albergati obitum cum Thomas ferret hunc tandem per somnium ad se venisse conspexit, & ita anxium appellare: *Thoma fili, quid diutius gemis? quid acerbè te affligis? Pone lachrymas, & te collige. Nobis enim benè est, benignitate Iesu. Itaque surge, atque accingere. Ad breue enim tempus graue tibi subeundum est munus Petri gubernandæ nauiculæ.*

Cæterùm Ioannes, vt ad locum vnde discessit reuertatur Oratio, Institutionis Cartusiensis præterea amator, cultor etiā eximius naturæ per fin. migrauit 1440 vndeuigesima Octob. in celeberrimo Regni Valentiæ Ascetetio, cui Porta Cœli nomen fecit, vetustus quidem originalis nuncupatio, ipse Ioannes, conspicuum que Monachorum

agmen ex facro hoc clauftro Cælo illatum, quos omnes fi recenfere figillatim, earumque fub Anno locare hoc opus, hic labor eft, nequaquam tamen vel obiter commemorare prætericro.

CXVII.

Dominicum Centenum, *Iacobum Lanzeri*, *Ioannem Bellot*, *Ioannem Bergam*, *Petrum Puiol*, *Ioannem Ferrandum de Alcana*, quorum nomen fuauiffima cum bonorum operum fragrantia ad pofteros tranfijt. Alij, qui illuftriori deceffu Mundo erepti, domefticos Faftus memoria celebriori irradiant funt.

CXVIII.

Iacobus Martinez altiffimæ contemplationis Cœnobita, prophetico Spiritu, miraculis patratis, fummaque in Deiparam religione, à qua & vifitari fæpè promeruit, confpicuus.

CXIX.

Iacobus Sallnes Sacrofanctæ itidem Deiparenti gratiofiffimus, & felicis fuæ vitę claufulæ ab eadem certior factus, fe nempe immortalitatis laurea donandum, in eo Sabbati proximè fequentis articulo, quo Chori Præfectus imponeret Introitum Miffæ Virginalis folemnis, *Salue Sancta Parens*.

CXX.

Iacobus Rinalta, & *Ioannes Gloppis* ille 1520. hic vero duodennio poft extinctus, ambo miræ probitatis elogio, domeftico in obituario, laureati.

CXXI.

Bartholomæus Antolinus in extremo mortalitatis difcrimine, benigniffima S. Onuphrij vifitatione, ad ineundum æterne felicitatis domicilium fummoperè adiutus, cuius Anachoretarum Principis aufpicia fibi parauerat, eodem, à nũcupatis vitę Anachoreticæ votis in tutelaré fibi defignato, & diuturna exinde deuotione profequuto.

CXXII.

Ludouicus Erea in eo morbo, cuius vi fublatus eft, à Virgine Deo fęconda, & S. Onuphrio frequẽter inuifus, eidemque animam exhalanti adftantibus, inuidiofa fanè confumatione vita functus.

CXXIII.

Petrus Baiona priufquam Angelorum bearetur confortio, graui quidem vexatus morbo, fed Angeli tutelaris fui vifione, & minifterio recreatus, eodemque reuelante affumptionis ad præmium triduo ante Spiritus emiffionem præfcius.

CXXIV.

Iacobus Puiol leuefculpas, fœda quibus confcientia deuixerat, trium Purgatorij horarum mulcta abfolutus, quemadmodum ipfemet intimo fibi ex Monachis, apparens, indicauit.

CXXV.

Cæfar N. mira præditus cordis puritate, & Spiritu orationis, ac animarum in Purgatorio excruciatarum vifionibus fæpe fæpius excitatus ad ferendam eis opem, pijfque fuffragijs tortore ab igne eripiendas. Se ideo totum charitati litans, pretium Redemptionis humanæ ad Altare offerens, orationibus vacans, atque ieiunijs diuinæ iuftitiæ flammas fuæ charitatis feruore adnitebatur extinguere. Conatuum ardore earum quampiurimas Cælo donaffe perhibetur, quibus & ipfe, exacto peregrinationis curfu, creditur affociatus.

CXXVI.

1460. *Iacobus Rabs Gandauenfis*, quartus Monafteriorum Flãdro-belgicæ Prouinciæ Vifitator, celeberrimi fub nuncupatione Vallis Regum Afceterij Antiftes, immaculatæ vitæ tenore, haufta à Cælo in rebus agendis prudentia, famæ celebritate primas

 fummę

summæ existimationis sibi partes collegit, seu apud Gandauenses Concluos, ceu penes Philippum Flandriæ Principem. Angeli pacis appellationem eo potissimum tempore attigit, quo Gandauenses excusso Philippi sceptro crebrisque iam ab eodem bellis attriti, componi cum victore quærebant. Quatuor, easque grauissimas, pro sanciendo concordiæ fœdere tunc obijt legationes, summeque munus ad omnium votum egregiè impleuit. Nam eo caduceatore Vrbs ad Principis obsequia sui facilè redijt, Vbi gratiam Princeps vllo absque negotio impertiuit. 12. Oratoribus à Gandauensibus delectis, qui omnes à Rubei oraculo pendebant, quietis nullo imposterum adueisi Martis fragore interturbandæ, leges constabilitæ. Ad hæc pertexit lacubus suos in optima conuersatione præcellere, quoadusque profundo confectus senio vitam mortalem cum immortali commutauit Nonis Martij An. 1460. Fides est apud Annales Flandriæ Emmanuelis Sueyro, lib. 20. cap. 370. Sanderum, in Flandria illustrata; Petrum Walium, nec non & Raissium.

CXXVII.

Hercules Varranus Matthiæ Varrani ex Baptista Farnesia filius, Pronepos autem celeberrimi illius Herculis Varrani, quem Camertinenses Regulum habuerant, faustis sub auspicijs Herculis II. Ferrariæ Ducis ad maxima quæque educatus, militari virtute præstantiores suæ Ætatis Duces adæquans, sub Prosperi Columnæ signis suppetias Melitensem in Insulam cum intulisset, pro Alphonso altero huius nominis Ferrariæ Duce Oratorem apud magnum Hispaniarum Regem cum egisset, in maxima rerum temporalium affluentia, in summa apud Sæculi Potentatus fama, ab eorundem obsequijs ad Regis gloriæ famulatum; Cartusiensium sub proposito, animum transtulit, exacta cuius obseruátia opidò illustris mortem oppetijt. Marc. Antonius Guarrinus lib. v. Compendij Historici Eccles. Vrbis Ferrariensis pag. 313. & 324. vbi de Genitore, & Patruo in Templo S. Mariæ de Vado sepultis.

CXXVIII.

1461. *Bernardus Cannelles* patriam fortitus est Cerueram nobile Cataloniæ Oppidum, religiosæ verò initiationis domicilium Scalam Cæli, vbi An. 1447. tertio Cal. Martij inter Clericos adscitus, & deinde ob minorem Choro aptitudinem proximè ab Ordine dimittendus, maluit reijci inter Laicos, quàm expungi ex Albo Sacratissimæ huius institutionis. Qui ob constantem operosa in ea delectione perseuerantiam, aliarumque, quibus emicabat, virtutum nitore An. 1448. Clericis iterum accensitus est, & An. 1461. quo abijt è corpore inter pietate illustres locum accepit, cum in monumentis Ord. tum apud Ioseph. de Valle.

CXXIX.

1461. *Dominicus* M. origine *Prutheanus* apud sodales Treuirenses huic se professioni ritè solemniterque deuouit. Exhibuit Cœnobitam Mariæ amore fragrantissimum, reuelationibus, & gratijs ab ea impetratis omnibus venerabilem, sub multiplici plagarum dolorumue flagello inuictæ patientiæ suspiciendum exemplar. Mortem sentiens adesse, cum pedes qui disrupti, & emarcescentes, multis retro Annis eum lectulo affixerant, latiùs quam antea rimis, & marcore hiantes, animæ ad immortalitatem iter strauerunt vigesima, & altera Decembris die 1461. Eadem habent Petreius in Bibl., & Garnefelt in Piorum Appendice.

CXXX.

1463. *Franciscus Maresme* Annis sex & viginti sublimiori ex Ordinis exedra leges dedit, suamque obijt diē xi Kal. Febr. A. 1463, in magna apud omnes reuerētia, ob humilitatē præcipuè, qua delatum sibi à Concilio Basileēsi Summi Pontificatus apicem recusauit.

CXXXI.

1464. *Petrus Adornius* ex præclara Ducum Genuensium prosapia, Brugensium Euro-

gi Magister, post reditum ex Palestina in quam bis traiecit, & ad Sinai montem vs-que penetrauit, post fundatum à se Burgis Hierusalem, mortuaque compare sua carissima Elisabetha Bradereix, Mundo calces illisit, accensitus ibidem Clericis redditis An. 1445. patiens inediæ, laborum, vigiliarum, factus omnibus forma virtutis, & verè patiens ex animo, Obijt An. 1464. relicto filio Martino Adornio, qui paterna vestigia sectatus, diu ibidem Priorem egit.

CXXXII.

1464. *Ioannes de DucKen*. Treuiris Asceta propagauit Monasticam disciplinam in Abbatia S. Pantaleonis intra eamdem Vrbem, cui Abbas designatus, magnam exinde gloriam consequutus est, & appositus ad eorumdem PP. cineres An. 1464. Virtute diu uixit, fama in æternum viuet imprimis apud Gabrielem Bucellinum in Germania sacra, Onuphrium Panuinum in varia lectione, Christophorum Brouerium in Anal Treuirensib.

CXXXIII.

1464. *Ioannes Fort* Ilerdensis graui decumbens infirmitate, reliquum uitæ inter Cartusienses transigere apud se constituit. Socio in suam sententiam pertracto Scalam Dei, huius professionis in Catalonia Claustrum vnà petiere. Ille facilè admissus est, Ioannes ægram ob valetudinem reiectus, nec in Brunonis censum adscitus nisi Virginis Mariæ suffragio, quæ vocalium vni apparens, conqueri visa est, initiato sibi à Cœtu, acceptissimum sibi candidatum excludi. Cum Dæmone Mox ei res fuit, cuius insidias diuinæ protectionis clypeo retundens, canebat. Si Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi diabolus. Experientia comprobauit quòd Dauidico sibi ex oraculo spondebat. Enimuerò nequam eiusdem spiritus impulsu in præceps actus, nequaquam collisus est, Domino supponente manum suam. Bertrandi insignis viri Dei Magisterio traditus, omnes monasticæ perfectionis numeros breui absoluit. Quotidianis propemodum apparitionibus Christi, eiusque Genitricis SS. quoque Ioannis Baptistæ, & Euangelistæ iungebantur frequentes raptus, & ecstases, quemadmodum & contemplationis, orationisque feruori carnis edomandæ rigor, quam flagellis sauciam, inedia maceram, chaumenijs atterebat, & reticulato ex equorum pilis cilicio.

Erga Cœlorum Reginam inenarrabili flagrans amore, amplissimis dilectionis signis ab eadem meruit cumulari. Psalmodia nocturna explera, persoluebat de more laudes Virgineas, eiusdemque Missam *Salue Sancta Parens*: Quorum in prolatione verborum osculaturus Altare, ipsam B. Virginem aspexit manum sibi ad osculum porrigentem, perrexitque veniam (verbo ex Cæremoniali Cartusiensi desumpto vtor) ab eiusdem manu desumere, quoadusque absoluto Sacrificio, visio disparuit. In peruigilio Assumptionis eiusdem Virginis puerperæ in Cælum fœdis cogitationibus exagitatus mentis erat, mane tantæ solemnitatis à Sacri oblatione abstinere; Verùm cum Missæ Conuentuali adesset ab introitu ad finem vsque in ecstasim raptus perstitit, promeritus cælesti interesse solemnitati, qui turpia ob phantasmata eamdem diem Agni immaculati oblata victima Sanctiùs in terra colere vetebatur. Ad hæc nonnumquam audijt Christum sibi effantem. Macte animo Ioannes. Meç Genitrici si quis alius acceptissimus es. Enitere in Virum perfectiorem euadere. Cernes apto tempore quam tibi gloriæ coronam in beatæ perennitatis Regno adornauit.

Magnum vbique, & Sanctum erat Ioannis nomen. Sapientissimis pollebat consilijs, futura cælesti prænoscebat afflatu, secreta cordium penetrabat arcana, afflictos miris subleuabat modis. Nam inter innumeros qui ad eum pro curationum beneficio, alijsque impetrandis gratijs confluebant, nobilis quidam Lusitanus læsę Maiestatis insimulatus, compedibus vinctus, & capite prope diem minuendus, à Ioanne,

quem nocte sibi adstantem vidit, è carcere eductus est, & tuto collocatus in loco. Alius quoque Eques Venereis voluptatibus ab adolescentia inquinatus, semetipsum horrebat, qui Venerem exuit, cum renes cilicio præcinxit, ab eius Cella surrexit. Tandem ætatis nono, & quinquagesimo, initæ verò solitudinis quadragesimo Anno, adstantibus Christo, eidemque acceptissimis SS Maria Parente, Baptista Præcursore, Ioanne discipulo dilecto, & Magdalena hospite amplissima, mortalitatem expleuit, appositus, ipso è feretro ita iubente, ad cineres P. Bertrandi, qui eius olim tyrocinij Magister, aduenienti discipulo loco cessit, à dextra in leuam se colligens. Hæc concelebrant MSS Catt. Scalæ Dei; Balthassar Sorio, De viris præstantibus Ord. Prædicat. Prou: Aragoniæ, vbi de Fr. Petro Querait Ioanni huic intimo, & reuelationum conscio. Mag. Iustinianus, in vita S. Vincentij Ferrerij, Antonius Vincentius Domen Ord. Prædic. lib. 11 Hist. Gen. Virorum in Catalonia Sanctitate illustrium, diserrius præ cæteris Ioseph de Valles, in vita luculento edita stylo, excusaque in libro de Orig. Cartus. per Hisp.

CXXXIV.

1470. *Gerardus Bredanus*, Sanctimonia clarus, & Sacrarum Scripturarum eruditione sublimis Cælos petijt 1470. 17. Aprilis, quemadmodum edisco ex Molani Martyrologio ab Arnoldo Raissio adaucto, Bostio Carmelita, ac Petreio, & luculentiùs in Atheneo indicaui.

CXXXV.

1470. *Hugo Belletus* Delphensis, inter Monachos Nigros Egmundensis olim Abbatiæ Prior, arctiorem à Mundo secessum in Capella Beatæ Mariæ professus est, vbi piorum operum, paupertatis imprimis feruidus amator, patientiam ad miraculum inuictam decem integris cęcitatis annis exercuit, & meliorem oppetijt vitam plenus dierum, & meritorum. Molanus à Raissio adauctus, 11. Septembris; Dorlandus, Chron. lib. 7. cap. 29.

CXXXVI.

1471. B. *Dyonisius Rickelmius* SS PP. Doctrinæ pietate adęquans, Vigiliarum numero excedens, ab elucubrationibus Doctor, raptuum frequentia ecstaticus nuncupatus, sui Ordinis nitidissimum sydus, aliorum per Germaniam restaurator mirificus, solitudine Mundo abditus, fama coeuis posterisque ætatibus celeberrimus; caducarum rerum contemptu caducis omnibus maior, sancto decessu Anno vno & septuagesimo super millesimum quatercentesimum Cælituum albo illatus, annuente Henr. Guyckio Ruremundæ Hierophanta nostri Æui Anno 8 è tumulo, in quo miraculis radiabat eleuatus, Ascetæ vndequaque perfectissimi omnes expleuit numeros, sęque cum recolendę memorię, tum edendis gestis doctissimos occupauit Encomiastes Theodoricum Loherium, in Vitæ ab eo primò editæ Epitome; Bartholomęum Fisen e Soc. Iesu, in floribus Ecclesiæ Leodiensis; Molanum, de SS. Belgij; Bollandum, in nouissimis Diuorum fastis, Arnoldum Hauensium lib. 5. cap. 10. Tractatus de nouis in Belgio Episcopatibus, Balinghemium in Calendario Mariano, Willotium in Fastis Gallo Belgicis; Aubertum Miręum, in Musęo de claris Belgij Scriptoribus.

CXXXVII.

1471. *Guillelmus Apselius*, patria Bredanus, genere nobilis, virtute nobilior, Annos quadraginta in Ordine expleuit, quibus operosa deuotione totum se exhibuit cultorem virtutis, & hostem carnis. Rexit, multisque accessionibus locupletauit Capellæ, & Vallis gratiæ Ædes. Ingenij acumine & viuacis memoriæ præsentia excellens ea ad posteros ingenij monumenta transmisit, quæ in Athenęo recensuimus, obdormiijtque in Domino eodem quo Dionysius Rickelius Anno, pridie Nonarum Augusti, laudatus à Bostio Carmelita, Raissio, Dorlando, atque Petreio.

CXXXVIII.

1474. *Antonius de Morotio*, cuius venerabilem recolere memoriam eo libètiùs iuuat, quò meę gentis inter Maiores, sub huiuscemodi viuendi norma præstantiori eluxit probitate. Aiunt eni matabulæ Vallis Pisij, vbi Monachum induit, Antonio le Coeq consummatæ virtutis tunc temporis viro, quique viuens Sanctum audiebat, Morotium hunc quemadmodum nomine consimilem, ita religiositatis excellentia nequaquam concessisse, & Acta cap. Generalis Anni eius funeti consequentis, inquiunt: *Obijt D. Antonius de Morocio Prior Domus S. Marci de Vedana, qui fuit alias Prior Domorum SS. Apostolorum Philippi, & Iacobi prope Astas, Bononiæ, Montis Brachij, & Pisarum, cuius obitus dies fuit in festo B. Mariæ Magdalenæ*. Ad jcitur Dignitatum coronæ encomium, *& Laudabiliter in Ordine vixit*, qua modestissima verborum forma cum humilis hic cœtus eos probatissimæ virtutis alumnos cōsueuerit decorare, quos singulari eminentes perfectionis nota alij apud S. Sedem Beati titulo cohonestandos vrgerent, fateamur Operæ pretium est Antonium virtutis accessisse fastigio, totque insignium familiarum demandatam ei administrationem, quò diuinorum eius Charismatum fulgor latiùs per Italiæ totius Cœnobia emanaret.

CXXXIX.

1475. *Ioannes Theodoricus* Delphensis, conuersationis adeò probatæ, vt eum reliqui suspicerent, venerarentur, colerent. Visitatores Cartusiarum Belgij, de eo palam pronunciabant. *Si est hoc nostro tempore verus quispiam Cartusiensis, haud dubium quin iste talis sit*. Mente in Deum absorptus, à corporis sensibus crebro vacabat. Psalterium integrum non semel per diem recitauit. Sextis ferijs pane, & sale, fonteque libato cęnabat, nec alijs diebus lautiori epulabatur mensa, quibus herbarum edulio, haustuque ceruisiæ naturæ indulgebat. In summa hac poenitentia annos ad quadraginta cum durasset, æternitatis littori appulit sexto Kal. 7bris. Raissius in accessionibus ad Martyrologium Molani, & Chron Ms. Domus Capellæ, in qua vota sua Domino emisit, & reddidit.

CXL.

1477. *Laurentius Muschefelius* Alostensis. Vno beatæ æternitatis desiderio diues patrimonium in pauperes cum distraheret, ipsamque supellectilem subhastasset, ad eorumdem inopiam pretio subleuandam, prohibitus est à conciuibus, emanata lege, ne Muschefelij facultatum quispiam quid emeret. Ille sic coarctatus, eum iam vendere nequiret, aulæa ipsa, vasa argentea, & tabulas sciro penicillo efformatas integra vt erant, distribuit. Sequendis Christi vestigijs animum rerum temporalium affectu adeo nudum adiecit, vt in itinere, quo Angianam secessit in Cartusiam, nec ei ad comparandum ceruisiæ haustum nummus superesset. Conuersionis auspicijs à virtutum apice, nempe charitate in pauperes, rerumque fluxarum contemptu deiumptis, eremiticam capessiuit vitam in Capella B. Mariæ, in qua ceu monachus, ceu Prior feruentissimum Deo famulatū Annis 40. impēdit. Pulcherrimam rosam, S. Catharina Virgine, & martire è Cœlo defetēte, accepit. Hydropisi laborans excellentem medicum admittere ad curam renuit, habens cogitatum suum in domino, á quo miraculosè sanatus est. Grauiori postea laborans infirmitate, tibijs videlicet horrendis vlceribus deformatis; exesis, putridis, vermibus innumeris scatentibus tanta copia vt foris sub aspectu fratrum ebullirent, Margarita Regis Anglorum filia, & Ducis Caroli Burgundiæ olim relicta ad eum, quem in magna veneratione habebat, Chirurghum misit expertissimum, à quo curaretur. Sed vir beatus vt his pœnis meritum patientiæ sibi in Cælo cumularet, Chirurgum repulit dicens. Medicus meus Dominus est Iesus Christus, huic me integrum committo, qui dum volet, poterit me curare. Animam agenti suggerebat Prior, agonem suum fortiter sustinere, cui ille: *Ego nec mor-*

timeo, nec diabolum mortis Auctorem, neque infernum roboratus Dei gratia pertimesco. Id enim mihi paruulus quem colui, & Dei Agnus contulerunt. Inter nouissima hæc verba littore mortalitatis soluit tertio Nonas Xbris pluribus cómédatus à Dorlādo, Sutore lib. 2. Tract. 3. cap. VII. Auctore Chron. Ms. Domus Capellæ, Bostio, Raissio, Petro Wallio, & Auctore anonymo Speculi Rosarij Iesus, & Mariæ.

CXLI.

1477. Iacobus Picenus Ordinis Minorum alumnus Sanctitate eximius, dum in Neapolitano S. Trinitatis Conuentu noctem orādo transigit, stellam conspicit fulgentissimam, quæ è S. Martini eiusdem Ciuitatis Cartusia exoriens, fugatis tenebris, diem Orbi, latiùs effuso splendore, reddebat. Ad insolitæ lucis intuitum anceps Picenus, illudi se à Dæmone veritus est, sed oratione se muniens, intellexit coruscum sydus Monachum esse, qui exacta occiduæ huius vitæ periodo euolarat ad Cælum, vbi lumine gloriæ amictus in perpetuas emicaret æternitates. Deo insuper reuelante cognouit Neapolitanum Cartusianorum Sodalitium, Sanctuarium esse, vbi dempto ex Conuersis vno, qui proprietatis in reatum elapsus, Diuini districtionem iudicij subierat, ceteri quadragesimum infra annum sublati, morte feliciter opperita, perennem conuolarant ad vitam. Prima luce B. Iacobus ad Cartusiam contendit, Monachi conclamati expositum cadauer inuenit, coluit, exterisque astantibus Cœnobitis, quæ, Deo reuelante, didicerat, gratulabundus aperuit, iisdem congaudens, quod instituto numeris omnibus Sanctissimo se obstrinxissent, à quo qui minimè exorbitat, Cæli se Candidatum agnoscat. Defunctus ad præmium euocatus, si Cartusiensium sententiæ adhibenda est fides, *Iulianus* is est ex Tusciæ municipio, cui S. Miniati nomen, qui postquam Papiensem, & Florentinam suæ primæ, ac secundæ professionis Domos, Capitanam item, & Romanam, quibus præfuerat, emicanti virtutum nitore irradiasset, Neapolitanæ Procurator datus, rei familiaris œconomiæ, & vni necessario æternæ salutis negotio dum sedulus incumbit, meritis adeo coruscus occubuit. Eius conuersationis, aut certè decubitus cella, fertur tertia ex addictis Ecclesiæ è regione Aquilonari, in qua recentioris temporis tabula appensa est, exprimens B. Iacobum præfatum orantem, & sydus ex procul eminenti Cartusia exoriens, subiecta reuelationis notitia ex autographo Fr. Cherubini à Spoleto, Minoritæ, qui rudi eam caractere, prout tipographiæ infantia tunc ferebat, euulgauit, & in priuata quadam Bibliotheca inuenta, inseritur suis Ms. Cartusiensium monumentis à Camillo Tutino, prout idem indicat in prospectu eiusdem Ordinis Viterbij impresso, vnaque cum eo Io. Donatus Epiphanius Campensis, in gestis Bernardi Sydgrauij M. Cartus. & D. Nicolaus Riccius, in Epitome Ms. de conspicuis huius obseruantiæ alumnis.

CLXII.

1481. *Henricus Loerius* à Posseuino Longen., & à Sixto Senensi Logen perperam nuncupatus tertio Nonas Februarij æthera reperijt. Ante vitam è Mundo segregem celebre Porcense Pedagogium Louanij instituit, rexitque. Præfuit subinde Domui gratiæ iuxta Bruxellas, sermone tam ædificatorio abundans, vt teste Bostio cap. 34. ei secundus nedum comparuisset. Visitatorem etiam Annis octo gessit, á morum humanitate Patris Patrum nomen assequutus. Valedixit mortalibus in Capella B. Mariæ quadragesimo Eremi Anno, ætatis septuagesimo quinto, corpore ita inedia, ac tabe comsumpto, vt aridum & excesum ad instar baculi, vel trunci videretur. Dorlandus lib. VII. Raissius nonis Februarij. Chron. Ms. Domus Capellæ.

CLXIII.

1481. Loherium sequitur ad gloriam *Arnoldus Hamensius* eiusdem cum in Louaniensi Athenæo, tum in Brunonis professione alumnus. Ius dixit Afsterio Angiano An-

mo Annos forme quatuor, & viginti. Paſsione colica, & calculorum doloribus afflictatus, angores patientiæ clypeo deuicit. In Sacroſanctis myſterijs ad Altare peragendis, copioſæ, quibus madebat lachrymæ, aquæ inundantis ad inſtar fluere videbantur. Quas ob cęcitatis diſcrimen, compeſceret, monitus: Abſit, inquit, cum Diuo Aſsiſinate, abſit ob caducum luminis viſum, nobis cum muſcis communem gratiam abijcere Saluatoris. Tandem ſenio fractus præceptorem ſuum lethaliter decumbentem cernens: *Quorſum Pater mi pergis* - inquit. *Ecur me in cladibus ſinis? Vtinam tecum moriar, qui viuere ſine te non valeo*. Pia vota Cœlum exaudijt, & decimo ab eius funere die vitam probè actam optimo & ipſe fine concluſit. Ex relatione eorumdem Auctorum.

CXLIV.

1487. *Ludouicus Potier* apud ſuos Gandauenses probatiſsimæ conuerſationis Prior, conſolatiuus ſupra modum infirmis, & tentatis, Prophetiæ ſpiritum habuiſſe nonnulli experti ſunt. Infirmitatum, & quidem grauiſsimarum moleſtijs adiecit humilitatis ſtudium, quas enim patientiſsimè ſuſtinebat, ſuas excedere vires aiebat, ne diutius ampliſsimæ familiæ primam impleret ſedem. Exceſsiſſe mortalium conſortio Tertio Id. Ianuarij, annoque prænotato docent eum luculento virtutum teſtimonio Martyrolog. Molani ampliatum à Raiſsio, & Sanderus.

CXLV.

1490. *Petrus de Damo* ſingulare Vallis-Regum Gandaui decus; Ope Virginis puerperæ rapidi torrentis à vortice emerſus, portum deinceps tenere ſe credidit, cum Inſtitutioni ipſi addictiſsimæ appulit. Cui vitam debebat, deuotiſsimum exhibuit famulatum. Quinimmo, & ad mortem decumbens nonnullos rythmos perelegantes ad eius honorem pinxit. Ceterum in Sęculo opidò doctus rudem, & neſcium in Religione finxit, vt cęlitibus aſſociatus, fieret verè docibilis Dei, ad quem corpore exolutus euolauit ineunte Maio, ſub ea die cęlebratus à Raiſsio in Martyrologio Belgico

CXLVI.

1491. *Ioannes Aldenardus*. Eum genitrix feliciter enixa eſt, quòd partus preſſuris torta, prolem ſuam Deo initiare vouiſſet. At cum Sacramento ſatisfactura ſuo adoleſcentè in prædiuiti Flādriæ Abbatia collocaſſet, ille ad Cartuſienſes inde defecit, ne vitæ diſſolutioris inter monachos, Religioſus habitu tenus, Deo mentiretur. Carnis edomita procacitate, corpus pudicitia immaculata depoſuiſſe traditur. Sed & eius humilitatem, ac temperantiam, exardeſcentem quoque in omnes charitatem, vultuſque inter pęnitentię rigores hilaritatem nemo ſatis admirari valuit, minus vero æmulari. Annis quinquaginta lucerna hæc in Ordine coruſcauit, eamqꝫ ſupernis luminaribus, lapidibuſque Dei amore ignitis accenſitam nemo non credidit, cum Kal. Decemb. Anni 1491 Mundo extincta eſt. Laudibus floret in Chron. Dorlandi lib. 7. cap. 34. & in Appendice ad Molanum.

CXLVII.

1492. *Ioannes Piſtor*, quam nomenclationem ſortitus eſt à munere conflandæ ceruiſiæ, vota ſolemniter concepit inter Conuerſos Cartuſiæ ſecus Gandauum. Num charitate in vita exarſerit, conijcere licet à verbis in mortis articulo prolatis. Lingua pene faucibus hærebat, & tamen perſeuerabat fratres ad mutuam dilectionem excitare, illud Ioannis repetendo: Diligite alterutrum. Hortatus, ne ſibi nimium loquendo grauis foret? Quam felix eſſem, ſubdidit, ſi talia fando ſpiritum exhalarem? Et ecce in horum prolatione verborum animam egit 1492. quarto Id. Aug. ita aſſerente prælaudata piorum per Belgium recenſione.

CXLVIII.

1494. *Ioannes Marquet* Valentia oriundus, Cœnobita Catalaunenſis, eius ſcilicet

Cartusiæ, quæ sub nuncupatione Scalæ Dei in Catalonia consurgit. Virtutes, quibus in paucis enituit, recensiræ à Ioseph de Valle, sunt: Sæculi ab A. 1442. quo XI. Martij caducis nuntium misit ignorantia, & fuga ad Annos vsque Monacatus duos supra quinquaginta; silentium, taciturnitate prodigiosa, ad decennium nunquam violatum; angores toto ferè vitæ decursu patientissimè exhausti, qui etiam precibus Ven. P. *Ioannis Fort* ad sanitatem impetrandam nonnunquam adhibitis, Christi Oraculum in hæc verba rescivit. *Ex infirmitate hac, qua modo laborat, te ita exposcente, conualescet; Verùm alia mox grauabitur: sustinentia enim morborum obsequium sunt, quod ab ipso exigam, vt mea eum beatitudine donem*, ad quam corpore solutus euolauit A. 1494.

CXLIX.

1495. *Sancius Martin Valentinus*, ex Oppido de Nulles. Altissimo se deuouit in secessu nuper laudato A. 1446. 26. Iulij, & post nonum & quadragesimum conuersionis Annum pijssimum Spiritum in eiusdem manibus resignauit. Meminit Ioseph de Valle.

CL.

1497. *Ludouicus* gloriosæ inter Sodales Moguntinenses memoriæ. Sacris peragendis mysterijs, verùm Sæculares inter Clericos iamdudum deuotus, feruebat desiderio sanctiori Cartusiensium Proposito nomen adijciendi suum, sed verebatur animum explicare ordinis Præsulibus, corrupto quòd pede laboraret. Ne animum despondeeret supernum fecit oraculum, à quo dum victimam redemptionis humanæ ad aram immolaret, audijt. *Ocyus festina Cartusiensem ingredi Ordinem, & scito te hoc completo biennio moriturum:* Quare Brunonis militia diuinis auspicijs inita, Sacramentum conuersionis suæ ad omnium stuporem religiosissimè expleuit ad Annum vsque fatalem 1497. Ceecaronio in monumentis MS. is est, qui apud Dorlandum lib. 5. cap. 19. Anonymus.

CLI.

1498. *Ioannes Baptista Vitalianus*, quem ad S. Martinum Ascetam Carolus VIII. dum Neapoli morabatur, sacram exomologesim confecturus, supplex adibat, omnigenæ virtutis laude florebat. Ex Nicolao Toppio Bibl. Neapolitanę P. 1. fol. 148.

CLII.

1505. *Ioannes de Virduno*, Prior Montis Dei, de quo euulgatum est, quod toto incenso cubiculo à lumine incautè relicto, abierit in cineres quicquid ibi supellectilis erat, ipso dormiente penitus inoffenso. Mundo ademptum inquit Garnefelt die 27. Septembris sextidecimi verò gratiæ Sæculi Anno altero, animo vitiorum ab æstu ita illæso, ac corpore ignis cellam depascentis à flammis.

CLIII.

1503. *Hermannus Coolsinet de Bochem*. Annis quatuor octogenario maior, quorum sexaginta in Monastici propositi absolutissima obseruantia transegerat, iustorum mortem A. 1503. oppetijt Nonis Maij, feruntque nonnulli Scriptores eum in demigrando è viuis suauissima melodia prosequutum, quam efformabant aues in cellula, in horto cellulæ adsito, & in eiusdem ambitu dulcissimè modulantes, earumque concentibus eos, qui aderant commotos, Deum in suo famulo collaudasse. Domestici quoque Scriptores Petrus Vuallius, vnaque Raissius contestantur eundem in profundo noctis silentio cœlestia altiùs meditantem, indixisse silentium, & exilium imprecatum ranis, quæ proximis in viuarijs coaxantes, non minimùm officiebant ipsius mentis quieti, quarum deinceps nulla perstrepere audita, donec emergentibus Nouatorum turbis, Cartusia eadem solo æquata est, & ipsæ videntur reuocatæ.

CLIV.

1504. E Mundi cœno in exactissimam virtutum palestram, Scalæ Dei Cœ-

 nobium

nobium succedunt, vno eodemque Sæculi nostræ salutis sextidecimi Anno 4. Petrus Lastanosa Arago, ex Monzon, & Petrus à S. Andrea patriæ incompertę. Ille habitum induit quinto Id. Octob. hic verò septimo Kal. Martij. Ambo heroico animi robore in sacra pœnitentiæ arena decertarunt. Ambo vt piè scribitur à Ioseph de Valle, qui nomen, gesta, meritorumqȝ famam hausit ex monumentis domesticis, morte præoccupati, vt post exilij labores Patriæ refrigerio fruerentur.

CLV.

1505. *Petrus Beetzius* toto conuersionis suæ tempore nunquam visus ira commotus. *Hoc vnum*, inquiunt Belgici fastus ad Pridie Nonas Augusti emortuali eius die, *in vita ipsius singulare visum est, & admiratione dignissimum, quod tam solido fuerit semper pectore, & immoto animo, vt neque vehemens ira, neque affectata iniuria eum vnquam fregerit*. Eiusdem efficaces ad Deum preces morbis ærumnisque vexati non semel experti sunt. Hominem exuit Bruxellis, vbi tumulus suauissimè fragrans, ipsum optimum Christi odorem in vita, & post mortem adstruit.

CLVI.

1505. *Ioannes Barday* ex Oppido Comitatus de Ribagorza, de Fons dicto, à Cal. verò Octobris A. 1460. Regiæ in Catalonia Eremi Asceta, quo minus scientijs, quæ inflant, excultus, eò magis charitate quæ ædificat, & puritate, quæ animas docibiles Dei constituit ornatior, denascitur pijssimè A. 1505. pridie Nonas Iunij, cum diuinam commendationem nequaquam fefellisset, quæ Patribus ambigentibus eum inter Clericos assumere ob literarum imperitiam, cuidam ex ipsis apparens, inquit: *El Reyno del Cielo, es tal, que para e'l quiere nuestro Sennor a los sencillos, y puros de corazon; pues los ama, y dixo. Destas piedras, edifico yo mi Casa*. Ioseph de Valle pag. 72. Viror. Ill. Scalæ Dei ex Archiuio eiusdem Domus.

CLVII.

1506. *Michael Sabater* in Pago Diœcesis Vrgellitanæ, Pons appellato, natus, tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum fructus suos protulit in tempore suo, nimirum rerum fluxarum abiectionis, obedientiæ, humilitatisque cum Ætatis à Deo homine decimæ quintæ Anno 60. claustrum in Hispanijs primum ingressus est, & monasticum puluerem Nouitius feruentissimus laudatissimè confecit; præcipui erga diuinum cultum studij, cum Annis quindecim Sacrarij Præfectum gessit; fragrantissimæ charitatis, hoc est virtutum omnium apicis cum A. 1506. peste sæuiente delectus est ad porrigenda Ecclesiæ Sacramenta exitiosa lue infectis. Hanc enim Prouinciam, quam vnà cum vita absoluit genuflexus ad iubentis Antistitis sui pedes accepit, Deum pro fauore reliquis inuidioso se nunquam non benedicturum asseuerans.

CLVIII.

1507. *Richardus Salgueda*, eadem in Sede, eodemque Auctore referente, vitæ à Mundo sequestris suspicienda omnibus norma.

CLIX.

1510. *Stephanus Venier* vitam deposuit, onusqȝ Venetæ S. Andreæ de Littore administrandæ Domus, & Præsul optimus quàm optimis, castigatisqȝ moribus Mon. instruxerit suos dignoscendum ex Marco & Augustino præclaris sub eius magisterio Asceticæ conuersationis exemplis. Augustinus adeo orandi contemplandiqȝ donis pollebat, vt ad Altare Diaconum agens passim conspiceretur in aera eleuatus. Marcus diuino æstuans amore, flammas in colloquendo de diuinis eiaculabatur ex ore. Eius in Odeo sedes calefaciebat accedentes. Piscatores non semel totum Mon. incendio depasci veriti sunt, quòd ex eius orantis mansione prodirent flammæ, quæ à longè coruscare visæ, Cœnobium etiam absumere credebantur. Ita ex monumentis Cart. Venetæ.

CLX.

CLX.

1511 *Petrus Duzell* Eques Catalaunus An. 1506. Mense Martij Mundum carnisque blanditias despexit ipsa 25. Martij die, qua, Gabriele ad Virginem sibi dilectam ablegato, Dei filius è Cælo in Mundum descendit. Sexennio Monachum egit, & animam emisit in secessu Scalæ Dei, in quo probationis cursum peregit.

CLXI.

1514. *Gaspar Behure* Barcinonensis. Sacræ huius Institutionis mancipem se præbuit in condita ab Idelphonso Aragoniæ Rege Cartusia An. 1458. & ipsa die, qua SS. Innocentium cædem Ecclesia celebrat, habitu indutus, innocentissimam exinde vitam traduxit. Summæ paupertatis amore, silentio, & charitate nemini memoratur secundus, illudque singulare de eo traditur, à nomine Ordini dato, ad eam vsque diem, qua in Domino obdormiuit sex nimirum, vltra quinquaginta Annorum spatio nudas ad capiendum somnum tabulas adhibuisse.

CLXII.

1516. *Ioannes VVagners* Patria Sueuus ex oppido Ridlinga postquam aliquandiu in Castris huius militiæ apud Itingam stipendia fecisset, veles in Eremo decertauit, Pontificijs ad transitum munitus literis in hanc sententiam.

Dilecto filio Ioanni VVagners Conuerso Professo Ordinis Cartusiensis Innocent. Papa Octauus.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecisti, quod alias ad meliorem vitæ frugem, & vt Domino famulareris Domum Ordinis Cartusiensis in Itingen Constantiensis Diœcesis, Mogontinæ Prouinciæ intrasti, & in ea professionem per Laicos Conuersos emitti solitam, emisisti, & aliquandiu cum laude immoratus es. Verùm, quia ea Domus structuris, & reparatione indiget, & illius Conuersi ad opus frequenter euocantur, tu Diuinis obsequijs, vt prius vacare posse non speres. Qua propter vt melius, & perfectius altissimo possis deseruire, aliquam Eremum incolere desideras, ideò nobis humiliter supplicasti, vt dignaremur huic tuo desiderio humiliter annuere. Nos igitur huiusmodi supplicibus votis inclinati, tibi, vt licentia à tuo Superiore petita, licet non obtenta, habitum tamen tabarri grisei coloris, iuxta vota substantialia dicti Ordinis, absq; esu carnium, in aliqua Eremo, per te ad libitum eligenda, cum perpetua gestatione cilicij, quoad vixeris, solus, vel cum socio permanere, & Altissimo famulari possis, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dicti Ordinis statutis etiam Iuramento, confirmatione Apostolica, vel alijs roboratis. cęteris contrarijs quibuscumq; Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 16. Maij 1489. Pontificatus nostri Anno quinto &c. *Sig Farnesius.*

Huiuscemodi obtento diplomate varias Germaniæ oberrauit syluas, & tandem consedit in monte vulgò *di Pilato* Germanicè Herget Suuald secus Lucernam Heluetiorum, concauum vbi saxum ad instar speluncæ pro cellula incoluit. Ibi congestis Cæli, terræque fauoribus cum inclaresceret, non semel suis charismatibus euulgandis famá occupauit. Iacobo de Weil Lucernæ Iudice, & Anna Feerim eius consorte munificè impertientibus, eam montis partem, in qua latebat, possedit. Ecclesiam Virgini in Cælum assumptæ inscriptam, suoque adsitam antro ædificare exoptanti præsto fuit Lucernensium Patritiorum charitas, conflato á quibus ære inops Eremicola valuit, & summæ in Mariam Religionis insigne monumentum, & suis exuuijs præuium ceris tumulum adornare. Peregrinationis metam attigit An. 1516. vndeuigesima Maij luce, collachrymantibus ad pijssimi viri fatum populis, qui ex vicinis populis confertissimi aderant. Tumulo annuales inferiæ decretæ. Nomini miraculorum fulgore perecelebri Sacellum erectum est nostræ ætatis Anno vigesimo, & altero impensis Ludouici

douiei de VVeil. Corpus diuiti vrna, & marmoreo conditorio cohonestatum, adiecto Epitaphio.

Hic conquiescunt Ossa B. Fr. Ioannis VVagners Ordinis Cartusiensis.

In loco isto Eremita.

Qui Christo Iesu vsque ad finem vitæ fideliter inseruiuit.

In Hanc Eremum concesserat ad Annum 1488.

CLXIII.

1518. *Dominicus Ægidius* Cæsaraugustanus 7. Decembris die An. 1518, qui ei initæ huius professionis vndeuigesimus matutinam Psalmodiam cum socio expleuerat, cum ad eum conuersus, inquit. Exultat cor meum dilatatum in Deo suo. Nocturnos tecum, laudes veró, & reliquas officij partes cælestes inter Cantores hodie persoluam. Dixit, & antequam vocandi fratres ad Primæ decantationem, tempus adesset sese ad Æternitatem composuit. Refert Ioseph de Valle pag. 75. qui addit mortem adeo felicem præcessisse religiositatem varijs nominibus absolutissimam, cum scilicet, & subditi, & superioris munera gerentem, gessit autem in Valentina sub appellatione Vallis Christi, & in Aragonica sub titulo S. Mariæ de Fontibus, normam inculpatæ obseruantiæ sodalibus extitisse.

CLXIV.

1521. *B. Andreas* Claustri Seitzensis legislator in professione, vt aiunt ad Comitia generalia, à Turcis interceptus, martyr occubuit, in odium Religionis extrema passus. Cutis illi in modum coronæ detracta, os lapidibus contusum, corpus ferreo stilo perforatum, atrocis cuius lanienę è Cruce, ille haud secus quam alter Andreas Apostolus, non deponi orabat, nisi vita mortali eum martyrio absoluta. Imago ære incisa omnium manibus in Slauonia teritur. Nomen gratiarum fluentis è tumulo emanantibus famigeratum, honoris etiam fastigium à pia vulgi credulitate obtinuit, Beati titulo laureatum, sicut ab Act. Capituli Generalis, Garnefelt, Ceccaronio, Tutino, alijsque honorificentissimam felicis vitæ exitus mentionem.

CLXV.

1522. *Petrus Balbey.* Sub Brunonis disciplina Deo in Mon. Scalæ Dei, Annoque 1522 adhęsit, & feruentissimum reddidit obsequium, quoadusque excedens è viuis, indissolubilibus charitatis vinculis eidem in patria meruit vniri. Annus, diesque emortualis desiderantur in Necrologio domestico, & apud Ioseph. de Valle à quo pauca hæc delibauimus.

CLXVI.

1523. *Thomas Forns Dertusanus* probationis cursum in mansione Scalæ Dei cum A. 1494. peregisset, dies suos expleuit Rector Cænobij de Fontibus in Aragonia A. 1623. eodem Auctore.

CLXVII.

1526. *Simon* ad Cellæ B. Mariæ Norimbergæ Asceta, viuum se Angelorum Reginę Templum comprobauit, eam in corde, eam in ore ferendo. Multam quoque ab hæreticis persequutionem passus migrauit ad Dominum, apud quem diuturnæ deuotionis, & constantissimæ fidei repositas sibi coronas inuenit.

CLXVIII.

1526. *Bertrandus Anizander*, quem Opidum de Alcanniz in Aragonia temporali vitæ exposuit, æternæ verò Regia Scalæ Dei Eremus, ubi 24. Augusti An. 1484. in hanc arenam descendit, & An. 1526. ad brauium retributionis meruit euocari. Auctor est Ioseph de Valle pag. 94.

CLXIX.

1528. *Constantinus de Bighettis* Ciuis Bononiensis, Montelli Rector, in regularitatis

tis Anacoreticæ, & morborum exantlandis incommodis patientissimus ætates expleuit suas 8. Kal. Septembris in secessu Calabritano Ordini dudum restituto,

CLXX.

1530. *Sigismundus*, & *Modestus* Sacerdotio initiati, *Erhardus*, ac *Sebastianus* è Conuersorum Ordine, Cartusiæ Moibacensis omnes alumni, vna cum alijs eiusd. familiæ, sed nominis desiderati sodalibus, à Turcis sub Solymano Austriam deuastante gladio animaduersi, sub ipsis euersi Monasterij ruderibus contumulantur, Aubertus Miræus in descript. laudatæ domus, Garnefelt, Seculo sextodecimo.

CLXXI.

1531. *Guillelmus Tynsbi* Hybernus, & Londinensium Præsul Cænobitarum. Mauritius Chamneus cap. 7. Marr. Cartus. in Anglia de Viro sibi noto posteritatem erudiens, narrat, eum ante habitum susceptum peregrinationem instituisse ad Sancta Christi incuuabula, aliaque loca nostræ Redemptionis mysterijs veneranda. In incedendo ab Agarenis captum, in carcerem coniectum, & proximè perimendum, à S. Catharina, cui iter cõmẽdauerat suũ, in patriã traductum, Antonium Ægyptium velut Ordini in Anglia adhæsisse, & inoffenso vitæ tenore dæmonibus exosum, fregisse etiam acerrimi hostis pertinaciam, qui continuò insidijs, spectris, terroribus infestus, aliquando verberibus etiam vsque ad mortis discrimen in eum deseuijt. Multis Annis, ante terrenæ suæ habitationis resolutionem nunquam, vel rarò Euangelium S. Io. *In principio* recitasse absque raptu, & ecstasi mentis in Deum, ad quem tandem, stamine mortalitatis abrupto, perrexit - 1531.

CLXXII.

1532. *Bernardus solitudinis Hassiana* Antistes, Lutheranorum infestatione domo extorris, insidijs vndique impetitus, & ad necem conquisitus, æternitatis iter ingressus est, profugus in Deserto apud VVestphaliam, mihi notus ex Actis Generalis PP. Conuentus habiti Gratianopoli An. 1533.

CLXXIII.

1533. *Iacobus* à solo, natali, qui fuit Ciuitas Legionensis in Castella, de Leon nuncupatus, sub Ferdinando Catholico Regij Sacelli Cantor, adhęsit Familiæ Scalæ Dei; & postquam Musicam pertæsus, quæ vocum duntaxat concentibus aures mulcet An. 1481. Kal. Xbris animum applicuit morum armoniæ sub huius propositi legibus suauius efformandæ, vitam arrepto Instituto consonam duxit, quam parFclausula xx. Decembris absoluens properauit ad Patriam, Cælestes inter Psaltrios Dei laudes æternùm decantaturus. Ex Ioseph. de Valle pag. 73.

CLXXIV.

1533 *Michael Oliuerius* Maioricensi in recessu Cartusianæ austeritatis nitidum consodalibus speculum, peste verò Maioricæ grassante feruentissimæ eisdem charitatis norma, epidimica lue laborantibus inseruiturus accessit, quo in ministerio pietatis euectus alis ad sydera euolauit, condigno laudatus encomio à Vincentio Mut Hist. Regni Maioricensis T. 2. lib. 11. cap 12.

CLXXV.

1533. *Petrus Tagacius* expleto secundo, & quinquagesimo conuersionis Anno terram reliquit in Claustro Belli-Visus apud Castras, exemplaris eius probitatis fragrantia adhuc perfuso. Ceccaron. in corona D. Brunonis.

CLXXVI.

1535 *Ioannes de Castro Toletanus*, Doctor Sorbonicus, ingenio felicissimus, S. Ignatij de Loiola Lutetiæ Magister, hoc primo secessus in Eremum Anno communicatione cum Deo, & reuelationibus iam emicabat. Cuius consummatæ virtutis in ipsis

 Ana-

Anachoresis rudimentis hoc vnum esto vestigium, cæleste de consanda societate Iesu Oraculum ipsimet Institutori Ignatio redditum, prout à Martino de Altaripa, Andrea Soler, & Nicolao Bonet, Vallis Christi secum incolis iuridico actu obtestatum, qui actus à Dan. Bartolo vitæ S. Ignatij, lib. 1. num. 38., & lib. 2. num. 25. P. Rho, in Apologia contra Castaldum, interrog. 8. fol. 130. Christoph. Gomez, in Elogijs Soc. Iesu, Classe VII. fol. 171. producitur, iuxta quem omnes cum Cartusienses, tum Soc. eiusdem Scriptores consentiunt *S. Ignatium Anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto, è Ciuitate Valentia, in regium Vallis Christi Cartusianorum Conuentum accessisse, vt suum videret dilectissimum præceptorem P. D. Ioannem de Castro, & suum insuper aperiret animum de fundanda Societate Iesu antea conceptum. In eius ad Deum precibus felicem tanta res exitum collocabat, Annuit D. Ioannes de Castro votis Ignatij, & illa Vespere, nocteque proxima, Deum ardentissimè, super hac vna re precatus est. Sequenti die sic est Ignatium allocutus. Ita ò Ignati tua de fundanda Soc. Iesu, arridens vota, vt si libet, Cartusiam deseram. Nouitius sum, nondum votis adstrictus: meam opem, operam, vires, consilium in te vnum transferam, dummodo tanta molis negotium, felicem exitum consequatur. Ad quæ Ignatius. Nequaquam Rev. Pater. Sta inceptis, & tuis me precibus Deo commenda.*

CLXXVII.

1535. *Hugouetta Pretregre* Priorissa Domus Bertaudi (verba sunt excerpta ex libro emortuali eiusd. Partheniæ) *eximia cum Sanctitatis laude annis sexaginta sex in Ordine vixit, & mercedem tot tantorumque laborum suorum, eminentiumque virtutum, tandem in Cala sempiternam promeruit beatitudinem An: 1535.* Deuixit duobus Annis octuagenaria maior.

1555. *Angliam sanguine* purpurarunt gloriosisque laureis præsentem coronant Annum octodecim Cartusiani, quos non vno licet tempore impiorum ferro sublatos, vno tamen loco hic recolendos duximus, ne stylus discriminet, quos vna eademque Ecclesiæ Romanæ vindicandi primatus, & Annę Bolenæ Henrico VIII. nuptæ eiutandi coniugium, causa iugulauit. Nomina sunt *Ioannes Hoghton* Salutationis Matris Dei, *Lambertus Laurens* Bellę-Vallis, *Augustinus VVebster* Visitationis B. Mariæ nuncupatarum in Anglia Cartusiarum moderatores quarto Nonas Maij occisi; *Humfridus Midelmore*, *Guillelmus Mennere*, *Sebastianus Nendegate* 19. Ianuarij eiusdem Anni interfecti, *Ioannes Rochestez*, *& Iacobus VVarnert* Sacerdotes An. 1537. 11. Maij suspēdio enecati, *Richardus Beerez, Thomas Iohnnson Ioannes Greenetz, Ioannes Dauy* Sacerdotes, *VVhilhelmus Greneuuode*, *Thomas Schynert*, *Robertus Salte*, *VValterus* Person, *Thomas Redingh Conuersi* eodem Anno ad quarto Calendas Iunij in carcerem coniecti, eiusque fætore extincti non sine lacrymis Cromuelis omnium tortoris, quod in suauiori morte præuentos suam feritatem haud potuisset explere. Lanienam fortemque martyrum inter supplicia animum habemus penes Sanderum de Schismate Anglicano, breuitatis enim gratia parco Mauritium Chamneum Cartusiensem, & Londini Mart. consodalem transcribere. Animaduertit Henricus quam plurimis indicijs bonorum animos vehementer abhorrere ab ijs quæ faciebat, & quo quisque erat vir melior, ac Religiosior eò alieniore animo ab eisdem esse. Sciebat autem in Regno suo tres esse ordines religiosorum hominum, qui præcipua laude regularis obseruantiæ præ cęteris omnibus florerent, summaque inde auctoritate apud omnes valerent, Cartusianorum nimirum, Sanctæ Brigittæ, & Diui Francisci de obseruantia: hos ergo primos aggrediendos statuit, vt illis debellatis facilior esset de cæteris victoria. Sed in hoc ipso mirabilis apparuit, suauissimaque Dei prouidentia, vt ab his sanctissimis viris initium faceret, quo & ipsius tyranni maior esset confusio, & ipsorum Martyrum, cum clarior triumphus, tum illustrius etiam pro veritate testimonium

In

In Primatus Pontificij assertores, ac si in læsæ Maiestatis Regiæ noxa inquinatos exquisitis supplicijs animaduersum. Heughtonus, Laurens, Vuebstezius vimineis cratibus iniecti, & per plateas Londinenses ad vltimum supplicij locum pertracti, postquam laqueo ad breue tempus suspensi fuissent, mox semimortui demissi. Tum carnifex pudenda eorum flammæ tradit; pectus, & præcordia gladio aperit, visceraque euulsa in propositum ignem coniicit: demum capite abscisso reliquum corpus in quatuor partes dissecat, illasque partes elixas Monasterij foribus, varijsque in vrbis locis à populo spectandas suspendit; Eodem mortis genere è medio sublati sunt Ioannes Rochestez, Iacobus Vuaneft, Midelmorius, Meuuius, Nendegatus cum antea per dies quatuordecim continuos erecti stare coacti fuissent, iniectis ad collum, ad brachia, ad crura circulis ferreis itaut ob nullam omninò causam loco vnquam se dimouere potuissent.

Sed cum ne hac quidem ratione nec Cartusiensium constantia vinceretur, nec Henricus voti sui compos fieret, decem adhuc alios in teterrimum carcerem coniijciendos curauit, tantaque sæuitia inter ipsos latrones tractari iussit, vt non multò post vniuersi, vnico superstite, fœtore ac fame, extincti fuerint; quod cum ad Cromuelem perlatum esset, indoluit homo crudelis, quod sic euasissent carnificinam, quam de ipsis cogitauerat, magnoq; iuramento affirmauit, illud sibi contigisse ingratissimum, quod tam facili mortis genere perijssent. Hi autem erant Richardus Beerez, Thomas Ionsonius, Ioannes Lieenetz, Ioannes Danius, Thomas Schynen, Robertus Salte, Vualterus Perissonus, Thomas Redijngh, Vuilelmus Greneuordius; Decimus verò Vuilelmus Hornus, qui ex sacro illo numero superfuerat, Regis iussu ad patibulum pertractus pridie nonas Augusti eodem genere mortis quo primi, certamen absoluit.

Quantùm verò Catholicis in proposito confirmandis victrix horum Cartusiensium constantia profuerit, innuit Stapletonius vitæ Thomæ Mori cap. 20. vbi ait: Certe Germinius Gardinerus vir nobilis & doctus, ac laicus, quum octo annis post pro eodem Primatu Pontificio martyrium subiret, in loco supplicij nullam aliam apud populum rationem afferre voluit, cur ipse in illa causa mortem oppeteret, quam quia Cartusianorum pia simplicitas, Roffensis Episcopi incredibilis doctrina, Thomæ Mori singularis sapientia, eum vt hoc faceret admonere videbatur.

CLXXIX.

1537. *Thomas Capritana* in Insula, magni per hæc tempora nominis supremum occubuit, futurorum præscientia, lenitate, qua leonum etiam ferocitatem demulcebat, supra ingentes meritorum manipulos cumulatus. Fides est apud Ceccaronium, & Nicolaum Ricciumde Taberna in Indiculo de Cartus. in Italia præclaris.

CLXXX.

1538. *Michael Serra Dertusanus* sicut in vita singulari erga Virginem Mariam religione illuxit, ita denascens eiusdem deuotis spem, beatæ perennitatis sub eius auspicijs assequendæ, fælici suo occubitu fecit. Nam octauum, & quadragesimum cum regularis obseruantiæ Annum in secessu Scalæ Dei compleret, in peruigilio eiusdem Sanctissimæ Matris ad filij Regnum gloriosissimæ assumptæ, Vesperas tantæ solemnitatis, vitamq; absoluit, sequuturus ad gaudia Cæli eam, quam laudibus prosequebatur in terra.

CLXXXI.

1539. *Ioannes Lansgergius* cognomento, inculpato vitæ tenore, vigilijsque ad Iustitiæ apicem perducentibus, iusti titulum iure merito assequutus, apponitur

ad

ad PP. cineres apud Vbios, vbi domus Propræfectum agebat, gestorum commentatore Brunone Loherio eius spirituali in institutione discipulo. Consule Athenæum.

CLXXXII.

1539. *Ludouicus à Villafranca*, Ædes Scalæ Dei illustrauit generosa in hoc puluere militia, familiam Mont-allegrensem, & Segouiensem vtili administratione, Ordinem denique vniuersum raro virtutum exemplo ab anno 1501. quo 27. Martij huic disciplinæ authoratus est ad 1539. quo se se ad æternitatem composuit.

CLXXXIII.

1540. *Iacobus Tillet* Lutetiæ ingenua prosapia ortus, nobilior autem Eremiticarum consuetudinum iureiurando, quod ritè enunciauit in secessu S. Trinitati Diuione inscripto, seruauitque ad supremas vsque ceras exemplo cunctis admirando.

CLXXXIV.

1541. *Petrus S. Loci* de lancea alumnus, & Præsul, fidei, hæreticis in plagis propugnator acerrimus, carcere, verberibus, contumelijs eorundem sæuitia haustis, viam sibi strauit ad gloriam, ad quam properauit A. 1541.

CLXXXV.

1541. *Michael* N Vercellis in Insubria natus, celeberrimis artium liberalium professoribus Bononiæ imbuendus traditur, sed quamuis plurima ingenij laude floreret, cum tamen ad Suburbanam sub Diui Hieronymi titulo Cartusiam passim se conferret, tandem Deo inseruiendi artem ibi ediscere constituit. Posito tyrocinio suffectus est Nicolao Gozzadino ad Vice Prioris munus, quod gerebat, profundum ob senium minus idoneo. Incidit in ea tempora, quibus Borbonius illatis in Ditionem Pontificiam signis, Bononiæ accessit. Monachis ad Hospitium S. Annæ intra mœnia ad vnum dilabentibus: Michael repetens illud Dauidicum: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* in medio ostij constitit, Ducem armis insolentem prostratus ante Crucem mira animi æquanimitate excepit, eoque religiosa simplicitate delinito, militem etiam furentem à ruinis, & incendijs compescuit. Patritijs Bononiensibus gratiosissimus ad Bellunenses ædes transmitti summis imisq; precibus extorsit, vbi vni notus Deo, hominibus se occuleret. Bononia reclamante, & commune decus abscessisse expostulatorijs ad ordinis Protoparentem literis dolente, suę professionis stationi se restituere cogitur. Ingemuit, partam apud homines æstimationē secretiori à turbis secessui efficere, obtinuitque à Deo, pro occiduis mundi, petennibus Cæli, morte intercedente, honoribus euehi. Nam Bononiæ accedens, non rectà Cœnobium petijt, sed diuertit ad quamdam euulgati nominis Sanctimonialem ex Tertio Ordine Militantium sub Diuo Francisco, quam ineluctabili decumbentem morbo cognouerat. Huic inuisæ, inquit: Veneranda, & carissima Mater, velim vestrum mihi languorem concedatis. Cui illa contingat tibi ex voto. Inde ad hospitium S. Annæ se contulit; & ecce mirum: Detrahuntur Michaeli ocreę, apparet in calcaneo pestiferæ vis carbunculus, cui nullus antea præcesserat tumor, aut dolor. Admouetur ignis, sed frustra. Sanctimonialis conualescit. Michael occumbit. Qui Monasterio præerat, vt confluentem ad Hospitium turbam, & Michaelis cultum, Cartusiensis humilitatis de more, auerteret, euulgauit eum à prima insequentis diei luce in S. Annæ exponendum. Interim cum nocte intempesta ad S. Hieronymum, eius iussu efferretur. Pius astus Optimatum paucis innotuit, qui ad funus conuolantes, ad supremam vsque conclamationem

matinnem iusta ei persoluerunt. Iacet ad pedes magnæ Crucis Cœmeterio prominentis. A monumentis eiusdem domus, è quibus hæc excripsimus, omnibus retrò sęculis commendatus.

CLXXXVI.

1544. *Michael Vrgellus* Dertusanus Ordinis Mancipem se præbuit A. 1510. illatus in censum sodalium Scalæ Dei in peruigilio Præsentationis B. Mariæ, & A. 1544. diem suum obiens in Aragonico de las Fuentes claustro, memoriam iustorum post se reliquit, scilicet ob virtutum præstantiam, nomenq; famigeratum æternam. Ioseph de Valle.

CLXXXVII.

1545. *Mamertus Rocheti* Vallis Sanctæ, ceu Vallis omnium Sanctorum, eximia charitate, & patientia Moderator, spiritum Deo consignauit 23. Nouembris, cuius mortem pretiosam æs campanum spontè sonans denuntiauit. Ex monumentis eiusdem Domus.

CLXXXVIII.

1546. *Antonius Mazza* Hypponensis, ceu ex Oppido Montisleonis in Calabria I. V. peritia apprimè excultus, professionem emisit D. Octauiano de Mantua Priore, A. 1526. 21. Martij in ædibus S. Martino Neapoli sacris, quibus postmodum Rector delectus, sanctissimas præscripsit leges, iniurijsque lacessitus vicit in bono malum. Pietate succensus viduas, & orphanos, ære alieno grauatos, & carcere mancipatos, soluto pretio fœneratorum vexatione exemit. Vita functus 1546. Pridie Nonarum Octobris erit in memoria æterna. D. Nicolaus Riccius in Epitome Vitor. Illust. Ord. Cartus. Nicolaus Toppius p. 1. pag. 30. Bibl. Neapolitanæ.

CLXXXIX.

1547. *Ioannes Ros Barcinonensis* votis se obstinxit postridie Nonarum Martij Anni 1501. ordinemque illustrauit, auxitq; ingenij sublimitate, generis splendore, & virtutum nitore. Rexit Cartus. Scalæ Dei in qua sacri tyrocinij rudimenta posuit annis trigintaquinq;, quorum ter denis reliquarum per Hispaniam Visitatorem etiam gessit. Ad Ferdinandum Castellæ Regem, ad Adrianum Pont. Max. cum anno 1522. Cæsaraugustæ degeret, ad Card. Saluiatum Apostolicæ Sedis Legatum à Gen. Ord. Comitijs ablegatus, partes suas magno cum Ord. incremento expleuit. Annis quoque 1523., & 1530. ad Synodum Tarraconensem profectus, vtraque vice redijt auctoritate illius creatus Orator ad Regem. Angelis comitatus non semel visus est, præcipuè cum Hebdomadarium agens è sede sua ad Analogium pro Euangelij decantatione procederet. Arcto silentio custodiebat vias sermonum suorum, ne delinqueret in lingua sua. Diuini Amoris flamma æstuabat in orando, & placens Deo in terra, factus est dilectus in Cælo 22. Iulij 1547.

CXC.

1548. *Felix Barretus*, Patria Lusitanus, nomine Gundisaluus solum nomenq; mutauit, nomen quidem, cum recensitus in hoc Albo, Patriam verò ignota adhuc de causa. Annis bis denis delituit in Insulæ Capritanæ recessu è regione Parthenopolis, rupe confragrosa pro cellula vsus. Decrepita grauis ætate, sed charitatis viribus instructus, spiritu vegetus, laicum sui obsequio designatum reiecit, seque aliorum famulatui impendit, & annuente Superiorum placito in Xenodochio Incurabilium Neapoli incubuit, amoris, patientiæ, & humilitatis holocaustum, ea præsertim senij profunditate maximopere spectandum. Georgius Cardosus in Agiologio Lusitano 23. Februarij.

CXCI.

1552. *Hieronymus Castiglioneus* professus Ordinis Canon. Regul. quos Scopetinos vulgi Idiotismus appellat, expletis illius disciplinæ annis quatuordecim Cartusianis in asperiorem vitæ Institutionem se dedit; numquam sedem mutauit, nam in S. Laurentij secùs Florentiam ædibus Ordini aggregatus, ibidem secundum, & trigesimum incolatus annum expleuit, rebus scilicet humanis exemptus A. 1552. postridie Cal. Octobris. Mansionis stabilitatem, quæ permagni in hoc Sodalitio ponderis reliquarum consequitur enciclopedia virtutum, quam exprimit Menologium eiusdem domus: virum eum prodens sollicitè ambulantem cum Deo suo, omne malum culpæ à se auertendi, morale verò quodcumque bonum amplectendi studiosissimum. Ex Nectologio Cart. Florentinæ.

CXCII.

1553. *Michael Sauri* Patritius Gerundensis Pontificij, & Cæsarei Iuris peritissimus post tertium supra quadragesimum Monacatus Annum animam pijssimam egit, quem inculpatæ vitæ Anachoretam laudat series Virorum in Scala Dei probitate illustrium.

CXCIII.

1555. *Bernardus Margarit* Barcinonensis. Ætatem senectutis suæ, vitam nempe immaculatam Nonis Septembris clausit. Asceta probitatis famigeratæ, qui in ordine quinquagenario maior, sancta administratione secessus suæ probationis, qui fuit Scala Dei, Vallis quoque Christi, & Mont-allegrensis, obseruantiæ rigore, chori assiduitate, ad quem pedibus ire longæua præ canitie impotens, humeris fratrum deportabatur, clarissimus, post suprema fata consobrino apparuit suo, quidque sibi ad intrandum in gaudium Domini sui deesset, orationum videlicet suffragia, narrauit, quæ cum ille lubenti animo, promptaq; charitate præstitisset, secundò videndum se præbuit, non iam purgatorij districtione cruciatum, sed beatitudinis gloria felicem. Fides est penes Ioseph de Valle.

CXCIV.

1556. *Ioannes de Salazar, Cæsar-Augustanus* in regia Scalæ Dei fundatione mundo calces illisit, Monasterio de fontibus in Aragonia ter Prior renuntiatus præfuit, & profuit, Passionis Christi deuotissimus contemplator, speculando Domini suæ pœnas, in eumdem transformabatur à spiritu compunctionis, qui cum anteactæ vitæ deflere culpas, & carnem in posterum cum vitijs, & concupiscentijs crucifigere suis edocebat, & longè ante corporis funera, quæ ei contigere 1556. mundo mortuum, tandem carne solutum in Cœlum inuexit.

CXCV.

1557. *Antonia de Laurasco* Sanctimonialis in Claustro Salettarum in cuius Dipticam hac Epigraphe illata est: *Veneranda Mater Virgo Antonia de Laurasco Sanctimonialis Cartasia Salletarum septuaginta quinque annis iugum Cartusiana Austeritatis patientissimè tulit, & vitam suam per quam laudabiliter absoluit, dierum plena, religiositatis, & meritorum* 1557.

CXCVI.

1557. *Michael Ferran* ex tyronibus primæ in Hispania Cartusiæ, eiusdem Monasterij Propræfectus, Barcinonæque, & Maioricensi in Insula Professorum huius institutionis Vicarius, meritis auctior, quam annis vitam mortalem cum immortali commutauit.

CXCVII.

1558. *Ludouica Berengiere*. In Necrologio Cellæ Bertaudi legitur de ea annis post

post Monacatum ad septuaginta vacasse aptandæ lampadi animæ suæ in occursum Christi, cui vocanti obuiam perrexit octauo, & quinquagesimo ætatis huic Superioris anno dum Subpriorissam gereret.

Easdem inter Virgines coruscauit Ludouica Gauste, de qua Syllabus defunctarum. *Quinquaginta duobus annis per quam laudabiliter vixit in Ordine, & denarium sempiterna beatitudinis die 25. Martij accepit amplissimum.*

CXCVIII.

1559. *Rodulphus de Vudenuater* ignitis B. Theodorici à Monasterio Ord. Minorum concionibus à vitiorum cœno emersus, introiuit Conuentum S. Saluatoris de Noua luce Vltraiecti iampridem insignem, in quo purè, & integrè ad Deum conuersus, opidò contemplatiuus, & exstaticus perfectam vitam expleuit die S. Agneti sacra. Hierogazophilacium Belgicum fol. 380.

CXCIX.

1560. *Ioannes, & Bertrandus* Caturcensi in sodalitio secessui à mundo solemniter sub his legibus authorati iugulum hæreticis, animasque laureandas Cælo ponebant. Acta Cap. Gen.

CC.

1560. *Michael Vicens* in Insulis Balearibus Asceterij sub appellatione Iesus Nazareni Præsul, pijssimæ vitæ odore vndique effuso, Prior Sanctus ab omnibus vocatus, mortalitate grauari desijt A. 1560. in Solemnitate Conceptionis Sanctissimæ Virginis, qua luce prædixerat matutinam psalmodiam cælestes inter choros se modulaturum. Vincentius Mut. Hist. Regni Maioricensi t. 11. l. 11. cap. 12.

CCI.

1562. *Soror Collegij Gosnayensis*, cuius nomen Obituarium filet, virtutes verò exaggerat. Huius mira deuotio erga Infantulum Iesum, & eius effigiem fuit eburneam, quam cum semel totam tergeret, ac totum suum cor, in eum quem ebur repræsentabat, effunderet. Mirum! Imago illa eburnea caput, oculos, totamq; in illam aspectu amantissimo se conuertit, peneque eam beauit; & vsque hodie imago illa extat, quæ per Natalitia festa vsque nunc annuarim sororibus in illarum choro veneranda exponitur. Docet Ceccaronius in sua Corona.

CCII.

1562. *Petrus de Stanno, & Ioannes de Libra* hæresim Caluinianam à Carducensium finibus fœliciter profligare aggrediuntur, de quorum sacra conuersatione, Fideiq; restituendæ zelo Guillelmus à S. Cruce in serie, & actis Epis. Carducensium n. 222. *Hac voluit posteritati innotescere. Prodidit se virtus præsertim Petri de Stanno, Ioannisq; de Libra in eo Cænobio (Carducensi intellige Cartusia) superiore proximè seculo, qui ambo cæteris in eadem domo præfuere sanctissimè, inuidiamq; omnem per vicere. Euocati siquidem Romam à Pio IV. de eorum dogmatibus inquisituro, quod in suspicionem ea aliorum improbitas, & licentia reuocasset apud Pontificem, tanta diuinitus afflati, tamq; præsenti ope numinis visi sunt Pontifici Maximo, vt nullo (in tam fauorabili, tutaque causa) consilio amplius habito, in Galliam remiserit extemplò hæreseon flammis incensam, quo præter ordinem, præterq; instituta in extraordinario periculo, cohortanda, docendaq; propalam plebe conuincendis hæreticis, labantem Religionem fulcirent, manaturasq; latius sopirent flammas. Vidit Cadurcum, videre Aquitani contermini Petrum quinquenniò de suggesto docentem, Ioannem vicenos ipsos Annos eodem muneri religiosissimè, sanctissimèque perfunctum, lustrandis insuper oppidis, atque vicis plebeculam familiaribus, & ad captum populi factis orationibus commouere: tanta laborum, vigiliarum, æstus, & id genus incommodorum tolerantia ipsis vt luminibus*

erbaretur, nec ideo à cœpto desisteret, tantus diuinum pectus accenderat animarum pereuntium amor, Pontificiæ Sedis calculo, & adhortatione concitatus, adeo verum scilicet arbitrabantur viri eximij, nihil ad Dei vota cadere posse gratius, laboribus in proximi promouenda salute, quando iam conclamatum est enixius subeundis.

His addendum ex P. Nicolao Riccio, Actis Cap. Gen. & P. Stephano Bixesstio e Soc. IESV, in libro, cui italico idiomate titulus, *Consolatio spiritualis infirmorum* cap. IV. §. 2. pag. 71. Ioannem de Libra præter Cadurcensem, abscedentis à sæculo primum hospitium, Mediolanensem rexisse familiam, I. V. ac Sac. Theologiæ professorem, primi nominis extitisse. Præterea Diui Pauli Ep. adeo firmiter memoriæ commendasse, eaque dicendi efficacia explanasse, vt alterum Paulum ex suggestu dicentem Tholosatibus præberet. Oculis captum, ob aciem mentis, videntem, veterrimo Prophetarum nomine, appellatum, & febri correptum A. 1582. animam consignasse in manibus Conditoris.

CCIII.

1563. *Ioannes Pessus* Primæ Cartusiæ filius, hospes in Domo Vallis Dei in defensione Fidei, & Venerabilis Sacramenti Altaris ab hæreticis confossus, demigrat. Acta Cap. Gen. Anni prænotati.

CCIV.

1567. *Ioannes Motot, Ioannes Megnen, Ioannes Auril* sacerdotali caractere insigniti, cum *Benedicto, & Theobaldo* conuersorum ex numero omnes Cellæ Fontaneti in Burgundia præstantissimi Cœnobitæ, Fidei desertorum ferro mactati, martyrij palmam Anachoresis coronæ adaugent. Acta Cap. Gen.

CCV.

1569. *Andreas* Vallis-viridis Monachus hospitans in Cartusia Vallis S. Georgij, Caluinistarum ferro transuerberatus æternitatis semitas ingreditur, cuius agonem stadio sanguine purpurato eodem Anno consummarunt *Hugo, & Guillelmus* votis solemnibus Deo emancipati in Mon. B. Mariæ in Axpach, & aduenæ in Asceterio Aquitaniæ, cui Vallis-Claræ inditum nomen, tunc enim in sectariorum manus, & ipsi prolapsi, crudeli internecione tolluntur. Act. Cap. Gen.

CCVI.

1569. *Ven. Mater Soror Anna de Djon Illustrissimi Domini de Djon Gallicorum Castrorum Præfecti Gen. primogenita filia, Sanctimonialis Cartusiæ Gosnay*, è cuius Necrologio hæc verba exscripta *Cum vniuersali opinione sanctitatis obijt. 9. Decembris* 1569.

CCVII.

1570. *Ioanna Coquelt* Conuersa professa domus B. Mariæ Gosnayensis pientissima, & Dominicæ Passionis meditatione feruentissima, dum alias Sorores sæpius ad locutorium vocari, & se ignotam præteriri secum quereretur, de repentè à Portaria ad locutorium vocata est, ibique Sponsum suum vndique cruentatum, se præstolantem inuenit, talia sibi dicentem. Nunquid non melior ego tibi sum, quam decem noti? Et hoc dicto bene consolatam illam reliquit, & in Cælum redijt, quem fidelis Sponsa 11. Aug. feliciter sequuta est A. 1570. Visionem tradit Raissius, nomen, & agnomen Virginis Ceccaronius.

CCVIII.

1570. *Angelus Balsamus* claro stipite Messanæ satus meruit apud mare Oceanum Ord. Religiosorum à Syluestro Maurolico edito, pag. 135. sequens Elogium. *In hoc loco*, Cœnobio scilicet S. Martini supra Neapolim, quamplures floruerunt, spiritu timoris Domini, atque doctrinæ excellentia insignes, Præ cæteris quidam nomine D. Angelus Messanensis ex illustri Balsamorum genere, vtriusque Iuris Doctor, & Prior non tantum eius Domus, sed & aliarum.

Annis

Annis 32. in Dei obsequio exactis ad laborem percipiendam coronam euolauit in Mon. S. Stephani de Nemore, in quo Vicarij nomine præerat. In Actis Cap. Gen. A. 1471. voc. Philippus, non Angelus.

CCIX.

1570. Cartusiam Cæsaraugustanam solemniter, nouissimeque conditam, verè Aulam Dei denominatam comprebant *Ioannes de Torralba*, *Michael de Bernate*, *Dominicus de Villa*, *& Rodericus de Mur* diuino addictissimi obsequio Monachi. Ioannes quidem dignus, qui primus in ea ad perfectionis brauium tendentibus præficeretur, Michael verò Procurator mente in ipso temporalium curarum æstu adeo cælestium contemplatione absorpta; vt non nisi violenter ad terrena repetenda negotia abstraheretur. Dominicum Virum Dei prodidit duplex incendium alterum quod fortuitò excitum, Aulæ Dei ædificium nondum consummatū, flammis vndique explicatis absumebat, alterum, & à charitate accensum, quod cordis intima depascens impulit eundem ad feminam tempore pestis vili abiectam in casa inuisendam, & quocumque spirituali, seu corporali destitutam solatio esca corporali, & Ecclesiæ Sacramentis fouendā, contempto periculo necis à contagiosa lue, quæ miseram confecit, intentato. Rodericus de Mur, & alij quamplurimi inhærere horum vestigijs, ideoque agmine adaucto, ex terrestri ad æthercam Dei Aulam commigrarunt. Eruebat Didacus Murillo dum hospes in hac Cartusia degens, Archiuij schedas soletter excuteret, quemadmodum idem fatetur Hist. Cæsar augustanæ tract. 2. cap. 41.

CCX.

1570. Bonæ fidei antiquissimam in Aquitania domum gloriosa fidei Catholicæ confessione decorarunt *Antonius Chamardus* Præfectus, *Ioannes Carnesa*, *& Petrus Fesandier*, Monachi omnes irruente Charretio Caluinianorum Primipilo neci traditi. Sed nec obuoluendus silentio P. Laurentius castigatissimis moribus Sacerdos ita nouatoris à militibus contumeliosè habitus, vt quoties explorarent excubias, subsannaturi supplicationibus, quas Catholici obeunt, cogerent eum nudum præcedere, hastam pro cruce ferentem, quem tandem peremerunt veredis abscissis, acori animam exhalanti ingestis. Theop Raynaud Brunonis Stilitæ mystici §. 4. n. 4.

CCXI.

1571. *Marcus Antonius Tossinianus* Patritius Bononiensis, & ad S. Hieronymi Bruonis ibidem asseela Sanctitatem hausit à Cartusiensium sodalitio, an in Cartusiæ sodalitium sanctitatem intulit cum suum nomen adiecit? Puella Amasij corrupta illecebris, vtero intumescente, delibatæ virginitatis suæ Tossinianum arcessiuit, qui genitorem suum senij, & languorum incommodis lecto affixum crebro inuisebat. Facti rumor vrbem occupat. Tossiniani execratur incontinentia, fama contumelijs proscinditur. Quid ad hæc antiquæ æstimationis Sacerdos? Virginitatis lilia humilitatis laurea censuit coronanda. Optima conscientia iucundus conticuit ad vulgi sibilos, & ad famæ detrimenta. Interea perditi honoris Adolescentula fœtum edidit, & veritatem. Nam acerbissimis in enitendo cruciata doloribus, noluit diù mortis discrimine instam castissima viro impuritatis notam diluere. Genuisse se ab Amasio quem deperierat dixit, & Antonium conuicijs absoluit. Vrbis contumeliæ in honorem, probra vertuntur in plausus. Tunc humanam deuicit æstimationem, qui hominum opprobria forti adeo tulerat pectore. Minus enim coruscus dissipatis nubibus sol irradiat, quam euanescente calumnia, Tossiniani fama enituit. Ad S. Saluatoris Renanæ Congregationis Canonicos tunc se contulit, regularem initurus vitæ rationem. Sed

ob

ob celeberrimam virtutis præstantiam illustriorum Civium ne tunc quidem ab honoribus satis tutus, Anno 1559. remotiores latebras inter Cartusienses expetijt. En igitur pugilem integritatis, humilitatis, & patientiæ onustum trophæis Brunonis in arenam descendere. Qualis *Monachus*, vel ex sæculari inspiciendum. Qui enim nobiles adeo de hoste prostrato victorias ad Religionis pulverem detulerat, facilè inter sanctissimæ institutionis Heroes primas tulit. Egit etiam laudatæ S. Hieronymi domus Præfectum, Bononiensium sapientissimum in arduis consiliarium. Cardinali, insuper Paleotto Archiepiscopo, & Legato à sacris erat confessionibus, qui Angelum adire se fatebatur quoties secretiores conscientiæ latebras ei aperiturus accederet; qui tandem anno ab initio secessu duodecimo occasu in conspectu Domini pretioso denascens, Cælos gaudio, & triumpho repleuit. Tabulæ Carr. Bonon. apud Cecaron.

CCXII.

1572. *Iudocus*, *seu Iustus* Goudæ patre Alberto Schoenhouio genitus, & à secundo, & vigesimo ætatis anno in Delphiensi Barauiæ Eremo huius propositi candidatus, Anachoresim suam, cuius in studio heroicè planè contentionis ad brauium vestigia expresserat, præclaro absoluit martyrio. Cum enim Vltraiectum Gouda incederet comprehensus à Nouatoribus, qui omnia tumultu in Flandria miscebant, Brilam ad Ioannem Dommalium Canonicum desertorem festinatò deductus est. Sedebat nequissimus sectariorum antesignanus lautus ad mensam conuiua, visoque introducto ad se Cartusiensi calicem arripit inter Ecclesiæ dudum euersæ vasa direptum. Iudoco mero exundantem propinat, iubetque sacrilegæ accumbere mensæ, profanato ex calice bibere, & carnes contra Cartusianam superstitionem, aiebat ipse, comedere si non pareret, illico iugulandus. Sed *Iustus* quasi leo confidens, epulantis nequitia ebrij minas absque terrore excepit. *Maluit* ad Furcam abripi, & de alta infamis lethi trabe pendere, quam religionem Sacrorũ vasorum, & sacri instituti morem pessundare. Quamquam ad ipsum patibuli pedem, inter orandum efflauit animam, nec nisi cadauer examine infurcam est sublatum. Cum vestes cadaueri extractæ, ferunt impium Dommalium crudelitatem ingemuisse suam ad aspectum cilicij strictius corpori adherentis. Lux etiam è Cœlo delapsa non semel visa est suspendij locum illustrare. Ideoque de Iusto præclare admodum Petrus Opmeerus Martyrum Hollandicorum decade prima, Arnoldus Raisius, Heribertus Ros-vueidus, & Gerardus Eligius Cartusianus in vita Bruxellis excusa 1624.

CCXIII.

1572. 23. Iulij Animas pro Catholica tuenda veritate ponunt quotquot in Cella Ruremundensi conuersabantur Asceetæ, quorum nomina singulatim perstringam, ex Laurentio BeyerlincK, ne insigne certamen superuacuo labore exscribam ex Alnoldo Hauensio, Riccardo Vuerregamo, accessionibus ad Natales SS. Belgy, & Ioanne Moeren eiusdem domus Vicario, & cladi aliquandiù superstite. 1. P. *Ioachimus à Tongherloe* Prior istius loci, ac Visitator Prouinciæ Rheni integerrimus, varijs affectus contumelijs, atque ingenti pecuniæ summa (duobus nimirum aureorum seu coronatorum millibus) mulctatus, sclopetoque secundum pectus impetitus, tandem ad suos Coloniam appulit: apud quos breui temporis interuallo mœrore animi confectus expirauit. 2. *Ioannes Beren* Vicarius Ibidem, cùm fuga ex hostium manibus esset elapsus, superfuit vsque ad an: Dom. 1579. 3. *Vuilhelmus Mellen* senior domus, grauiter vulneratus ægrè Iuliacum confugit: vbi haud longè post inter suos obijt. 4. *Matthias* Coloniensis, vir ætate grauis, in limine cellæ à militibus interemptus est. 5. *Erasmus* Traiectensis,

dum

dum gradum ad Ecclesiam accelerat, scipione nixus, crudeliter est transfossus. 6. *Ioannes* Traiectensis captus, atque in brachio vulneratus, grauiterque in capite bipenni læsus, numeratis redimijs Coloniam diuertit. 7. *Vincentius ab Her. K*, Sacrista, seu custos Ecclesiæ contumeliosè per vrbem raptatus, partim sclopeto traijcitur, partim gladio, vel laqueo interimitur. 8. *Ioannes* Leodiensis, in Choro è medio est sublatus transfosso nimirum capite, ac cerebro contuso. 9. *Guilielmus Mellen* Oeconomus, vibrata in caput bipenni, ac dein ad *Monasterij* portam protractus, ibidem glande plumbea est traiectus. 10. *Leonardus* Leodiensis, vulneribus aliquot saucius fuga sibi consuluit. 11. *Seuerus* N. Professus Cartusiæ Confluentinæ, ac de voluntate Ordinis Ruremundæ commorans crudeliter ibidem est mactatus. 12. *Ioannes Leonis* in ipso templi odeio pugione est transfixus. 13. *Ioannes Aschius*, post verbera, irrisiones ac vulnera, tyro est redemptus 14. *Nicolaus Gangelt* Diaconus aliquot acceptis vulneribus consimili modo euasit. 15. *Henricus* Diaconus, ad gradus summi altaris pugione est enecatus. 16. *Ioannes Gressenich* horreodum in modum à dorso ad pulmonem vsque transfossus ægrè Masecam appulit, vbi, & sub chirurgorum cura expirauit. Quos Sacerdotes sequuti sunt ad coronam tres ex Laicis Stephanus Ianitor, Albertus coquus, Ioannes Gittardi Pistor.

CCXIV.

1572. *Ioannes Berdolay* Sacræ Theologiæ Oscensi in Vniuersitate licentiatus, decimo tertio Kalend. Ianuarij A. 1534. Prateosi Conuentui se adiecit, sed procurandæ animarum salutis desiderio incensus, probationis spatio nondum emenso secessui valedixit. Aragoniam dum euangelizans peragrat, virtutum, & literaturæ eminentia viri Apostolici sibi famam collegit. S. Thomæ Villanouano intimus quicquid facultatum domi superérat, ab eodem morti proximo accepit suis manibus in pauperes erogandum. A. Diuo Ignatio in Societatis collegam adscitus, eidem constabiliendæ suam probauit insigniter operam, donec senio confectus Cartusiam recogitauit, repetiitque Anno Orbis restaurati 1562. desijtque infra decennium peregrinari à Domino, ad eius gloriam, deposita mortali sarcina, euocatus. Laudes concelebrant nomenclatores virorum illustrium Scalæ Deij Nicolaus Orlandinus Annal. Soc. Iesu Tom. 2. Eusebius Nierembergh. T. 3. in vita P. Io. Ramirez.

CCXV.

1575. Laurentius à Francauilla Calaber spectatissima vir prudentia, & lenitate, simulque charitate in pauperes commeodatissimus Eremi S. Laurentij de Padula, eo tempore spiritualem, & temporalem dirigebat statum, quo Principatum Citra (ita loqui fas est cum vulgo ad exemplum eruditorum hominum) vberrimam licet Prouinciam, dira ex sterilitate soli torquebat fames. Iussit ille Monasterij horrea indigentium patere turmis, & licet ijs iam penè exhaustis forent qui suaderent mouendam effusiorem ad ostium stipem, vt Monachis reliquum foret quo vescerentur ad Annum, puduit subtrahere mendicis, quod seruaret Monacis. Immo quo cæteri rem suam diuinæ prouidentiæ minus committere videbantur, Laurentius spe auctior eleemosinam augeri mandauit, & allatum de Cœlo auxilium pietati, ac iactæ in Dominum cogitationi egregiè respondit. Siquidem, & horreum inane frumento nocte è Cœlo ingesto repletum, & Colonis in Grangia, S. Basilij nuncupata, terram effodientibus Fouea patuit, cui inditum oris aurei nomen ob ingentem annonæ exuberantiam, quam exhibuit, nam, & Monachis, & pauperibus supra indigentiam prouisum, & bona eius parte diuendita non nihil etiam

annui

annui census Monasterio adauctum. Nihil præterea de Laurentio tabulæ Padulæ, è quibus hæc exscerpta.

CCXVI.

1578. *Michael* à Castro veteri alias de S. Ioanne professione, pietate, ac regimine domum Clari-Montis illustriorem effecit ac sublimiorem. Caprearum itidem, ac Padulæ Monasteria irradiauit, in quibus idem Prioris munus sustinuit. Magnæ Religionis, & puritatis vir, simplex, & rectus, vino numquam vsus, nisi cum Sacrum faceret, Deum solum habens præ oculis, ad quem omnia referebat, debilis corpore, sed fortis spiritu; morbis licet afflictatus, nunquam è Choro vacans, veterum Anachoretarum mores visus est ad sua tempora reuocasse, exuitque mortalitatem in senectute bona decimo quinto Kalend. Maij A. 1578. Cuius meminit Nicolaus Riccius de Taberna in Elencho.

CCXVII.

1580. *Cosimus Festinus Laudensis*, D. Damiani Festini Padulæ Antistitis, & Prouinciæ Neapolitanæ Censoris A. 1594. 11. Octob. extincti Fr. Germanus postquam humanis diuinisque literis bene imbutus calces mundo illisisset, Cartusiensis militiæ tesseram accepit inter Papiæ sodales, inter quos sua virtute diu comprobata Prioris Vallis-Pisij, Sanctæque Crucis in Hierusalem, & Proc. Gen. apud Curiam Romanam munera obiuit. Cum verò Mantuæ foret, vbi & naturæ pensum soluit A. 1580. doctrinæ, ac sanctitatis nomine tota eum Ciuitas suspiciebat. *Adhuc recens est memoria*, inquit Franciscus Donesmundus Hist. Ecclesiasticæ Vrb. Mantuæ p. 1. lib. 5. pag. 354. *P. Cosimi Festini varia eruditionis, quodque magis refert pietatis viri, adeo vt apud omnes in magna sanctitatis opinione haberetur. Miraculis etiam illustratam eius mortem referunt Patres.* Soluta, & ligata oratione eruditum domestici, & exteri asseuerant Nicolaus Riccius de Taberna in syllabo Cartus. in Italia virtute præstantium, D. Seuerus à Neapoli in Elencho Priorum Cart. Romanæ, Posseuinus in Apparatu, & nobiliores adhuc testes, Elegiæ quas reliquit de Sacrosancta Cruce, & Eucaristia.

CCXVIII.

1580. *Ioannes, & Bertrandus* FF. Conuersi solitudinis Caturcensis iugulo fortiter præbito hæreticorum insaniam constanter improbant, & gloriosa Catholicę veritatis assertione felicitèr ad sydera Regna conscendunt. Ex Act. Cap. Generalis.

CCXIX.

1581. *Onuphrius de Granollachs, Catalaunus* Professus, & Procurator Cartusiæ ab Idelphonso Aragonum Rege Prarensi in Comitatu excitatæ trigesimo, & altero exactissimæ obseruantiæ Anno spiritum ponit in sinu Fratrum suorum postridie Idus Septembris.

CCXX.

1581. *Ioannes Mazza* ex Oppido Calabriæ vlterioris, cui nomen Mons-Leonis, Hipponium vocabant Prisci magnum vixit decus Cart. Neapolitanæ, quam adijt Deo se consecrandi gratia A. 1517. 26. Febr. Iacobo de Aragonia Priore; præter consuetum à carnibus ieiunium abstinentiam sibi indixit à carnibus, vino, laticinijs, ouis, omnique alterius generis opiparo edulio, seruauitque ad eam vsque ætatem quam proxima mors clausit. Pani pro obsonio addebat mel, & fructus aliquot ex pomario proprijs manibus consito. Pudicitiam nunquam violasse conscientiæ in sacro pœnitentiæ tribunali expertes asseruere. Principibus acceptissimus Carolum V. Cæsarem, cum capta Tuneto, Neapolim ouans appulit sæpe in sua cellula excepit, diuinisque colloquijs ad rem Christianam pro viribus perurgendam excitauit. Ioannes item ab Austria Caroli filius,

lius, classem in Turcas educturus, Parthenopeo Littore soluere noluit, ante benedictionem flexo poplite ab eo expetitam, quam illi Ioannes impertiuit, additis victoriæ consequendæ præsagijs. Die ipsa, qua ad Echioadas Insulas feliciter pugnatum est, post sumptum Eucaristiæ Sacramentum, per horam circiter, & dimidiam ecstasim ad Altare passus est, è quo in se reuersus Conuentui, & militiæ S. Ermi, Castri nempe Monasterio ex montis crepidine incumbentis, conuersus, inquit: *Victoria, victoria:* sciscitantibus curiosè: quænam Victoria? respondit, Maumetanas triremes ingenti clade eodem instanti accepta fractas, & dissipatas. Multa ei in malos genios vis, à quibus exemptam ferunt puellam ad solum eius crepidæ contactum. Alia curationum beneficia alij exaggerant. Annos à mundo abiecto sex, & sexaginta cum numeraret, æternitatem cominus salutare cœpit, cuius semitas ingressus est A. 1581. 26. Nouembris, Cõfessario de instanti corporis sui depositione longè antea admonito. Laudibus extollitur à Michaele Gaudier in Hist. Turcica, Paulo Gualterio, in Elencho SS. Calabriæ, Nicolao Riccio de Taberna, & Antonio Summontio lib. 3. cap. 1. Hist. Neapolitanæ.

CCXXI.

1582. *Ferdinandus Pantoscia Abulensis* professus, & antiquior claustri de las Cueuas sexagesimo tertio sacræ emancipationis Anno gloriæ mercedem consequitur. Paupertatem, pœnitentiam, humilitatem, Deique proximique dilectionem mira cum gratiæ vbertate excoluit. Adauctus regimine domorum suæ professionis, Anjacensis, & Cazalliæ, necnon, & lustratione censoria totius Prou. Castellæ inconcussam communi Ordini seruauit fidem, pro cuius vnione tuenda tanquam pro aris, & focis decertauit. S. Therefiæ Partheniam Hispalensem molienti egregiam contulit operam. E mortalitatis statione euocatur octaua Iunij luce, Sancti titulo, & magni apud Deum meriti præconio à laudata Carmeli restauratrice cap. 21. vbi de fundatione Hispalensi, & à Ioseph de Valle pag. 402. euectus.

CCXXII.

1582. *Artauda de Grande* magni apud Deum meriti, cuius precibus pro certo fertur, & pro magno miraculo celebratur, domum Bertaudi vbi Priorissam egit, hæreticorum flammis circumquaque obsitam, neque minimò vstulatam. Sponsi clamorem ad nuptias inuitantis audijt 1582. ex Calendario Monial. Bertaudi.

CCXXIII.

1582. *Isabella, ex nobilissima familia Vignecourt*, Priorissa domus *B. Mariæ prope Gosnay*, cuius Menologium hic transcribo, *Angelicam vitam, quam in terris mirabilitèr vixit, etiam felicissimè clausit*, in cælestem introducta Thalamum die v. Septembris 1582.

CCXXIV.

1584. *Lambertus Bert* oblatus Cartusiæ Vuesaliæ ab hæreticis in ore gladij peremptus, cum palma confessionis inuictæ desijt esse in humanis. Carta Cap. Gen. A. 1585.

CCXXV.

1584. *Iacobus Ioannes Perellò* Valentinensis, in Academia Ilerdensi Decretorum professor, ei qui docet hominem scientiam, sub Cartusiana viuendi ratione A. 1573. adhæsit. Vndennio viræ probatissimæ Catalauno in Scalę Dei claustro Monachum egit, & viam vniuersę carnis communi cum luctu ingreditur A. 1584. Ioseph de Valle pag. 113. qui eiusdem suę elucubrationis, Iberię nempe Cartusiarum in genesi fol. 115. meminit alterius Cœnobitę, qui eodem cognomento *Perello* eodemque in Catalauno secessu, sed origine ex Diœcesi Dertu-

 sana,

fana, nomine verò *Matthæus*, Æui huic in sequentis Anno 1612. pijssima, & ipse cum vitæ clausula abijt ex humanis.

CCXXVI.

1585. *Ioseph Sil Dertusanus*, cuius Cæsarei, Pontificijque iuris peritiam, probitatem quoque vitæ idem Auctor collaudat.

CCXXVII.

1586. *Ioannes Baptista Ruinus* Bononiensis illustre opidò multiplicis virtutis, & omnigenæ probitatis exemplar. Officia siue obtemperantis, siue iubentis summa cum laude præstitit, illa Papię, vbi sæculo nuntium misit, (nam alius à Io. Ruina, quem Mediolanenses Ascetæ alumnum inquiunt suum, & A. 1443. decessu miraculis corusco extinctum referunt) hæc in Insula Capritana, Romæque, Neapolique vbi moderatoris partes sustinuit, præter Censorem Lombardiæ remotioris, (vocabulo Cartusiensibus in vsu proficio) quod munus A. 1579. ad omnium admirationem prudentissimè exercuit. Interea Cartusientia septa complectendæ ipsius gloriæ iam minus apta famam ad Pontificias Gregorij XIII. aures ablegauerunt, qua permotus magnum Commendatorem seu Antistitem Generalem Ord.S.Spiritus in Saxia eum creauit sub Dat.Tusculi A.1582. quod legitur inter cœteras Bullas promotionis Præceptorum in Codice membranaceo eiusdem Archixenodochij de Vrbe n. 55. fol.72. quare omissis Cartusiensium monumentis, audiamus operæ pretium est, Petrum Saurnier in Dissertatione de Capite Sac. Ord. S. Spiritus cap. 6. Arg. 5. n. 46. vbi de amplissimi Nosocomij summis Præfectis agens, hæc de Ruino profert, quæ in rem nostram transferamus. *Ioannes Baptista Ruinus Bononiensis nobilis ex sancta Carthusianorum solitudine in Scenam nostram quasi Deus ex machina, prodijt, & designatione Gregorij XIII. primo loco insedit, altiori etiam dignus, si morum sanctitatem, & religiosas virtutes attendas: illam enim semper spirauit auram, quam puriore, & clementiore Cælo solitaria vita imbiberat. Templi contabulatum distinctum areolis auro induxit: Chorum nobilibus picturis, Sacristiam ara, & elaboratis armarijs ornauit. Puerorum scholam extruxit, Claustrum virginum augustius amplificauit. Cœnadium summi Præceptoris Corinthium ab Antecessoribus inchoatum absoluit. Vir vsque adeo perfectionis amans, vt nihil relicturus fuisset imperfectum Domi: nisi meliora semper cogitans cursum citius perfecisset, quam fuerat optandum anno* 1586.

CCXXVIII.

1586. *Antonius Miralles* ex loco Reus nomine in agro Tarraconensi. Antonium absolutissimam Eremitarum normam, nomine, solitudine, oratione, voce, & mente concepta, summoque puritatis candore sex, & sexaginta Anachoresis Annis, reste Ioseph de Valle pag 111. adamussim retulit. Quiq; die celeberrimæ S. eiusdem Antonij solemnitati designata A. 1520. in secessu Montallegre nuncupato Mundum abiecerat, primumque sacrum ad Altare litauerat, eadem recurrente A. 1586. in Cœnobio Scalæ Dei sese ad Æternitatem composuit formosior, vegetiorque post decessum visus, quàm antea longæua præ senectute appareret.

CCXXIX.

1589. *Maria de Djon* maiorum imaginibus clara, sed Agni immaculati, quem posthabitis potentium in sæculo virorum connubijs Virgines inter Gosnayenses sibi desponsauerat, dilectione clarissima 11. Maij ad eius nuptias Angelis stipata perrexit, visa in ipso migrationis articulo à Reuerendiss. P. Hieronymo Marchant Comitiorum Generalium Senatui tunc temporis Præsidente, ideoq; cum Scriba Ordinis defunctos Anno elapso ex tabula altè pronunciasset ipse subdu-

subductis è Cælo oculis: Addatur, inquit, Soror Maria de Djon, quæ modo defuncta est. Ex Act. Cap. Gen. & Ceccaronij MsS. T. 11. pag. 2911.

CCXXX.

1591. *Philippus de D.m* Fr. Oblatus Cart. Montis-Dei ab hæreticis confossus reddidit Spiritum. Act. Cap. Gen. A. 1592.

CCXXXI.

1591. *Lotharius Collett* temporalium amore apud Vallem S. Spiritus in Artesia abdicato, æternorum assecutioni animum feruentissimè intendit. Matrem etiam puluræ dilectionis, cuius erat deuotissimus, pulcrè diligere studens totus erat in humilitate, obedientia, & puritate cordis ac paupertate assequendis, qua illa dote animas filij sui pretioso Sanguine redemptas sibi desponsat. Nouatoribus omnia sus deque vertentibus, & Monachis laudatæ domus coactis Betuniam transfugere à facie eorum gladij, Lotharius præ cæteris feruidior, licet iam ætate confectus ostendit virtutem suam confirmans Ciuitatem precibus feruentioribus, & monitis, addens animos trepidantibus, & in spiritu ardoris Crucem prædicans, siue in defensionem, siue si Deus ita vellet ad sustinenda quælibet aduersa. Sed dimissus, vt dies suos consummaret in pace, placido sopore collectus est ad Patres suos sextidecimi gratiæ sæculi Anno nonagesimo, & vno. Raissius, & Ceccaronius.

CCXXXII.

1592. *Maria Statane* Partheniæ Bruxellensis Virgo, eiusdemq; domus Necrologio, sub die 31. Octob. eidem emortuali innuente, *Mirabiliter sancta ab omnibus æstimata*.

CCXXXIII.

1598. *Hugo Montaner* P. Iosepho Montaner Barcinonæ editus, ex vnda lustrali Antonius nuncupatus est, Ordini accedens Hugonis nomen assumpsit, cum verò sextodecimo Anachoresis elapso Anno, mortalitati pensum soluit, idque contigit 1597. à morum placiditate Moyses audijt, cuius præclaræ attitulationis luculenta cum appendice Necrologio Regiæ Scalæ Dei fundationis sub die 24. Martij inseritur, referente Ioseph de Valle.

CCXXXIV.

1598. *Petrus Aguilon* ex pago agri Tarraconensis, Sylua dicto. Hunc vita integerrimum ad Anni reparationis humanæ 1566. in suorum album illatum, Monachi Regiæ Scalæ Dei Eremi vix triennio à votorum nuncupatione elapso moderatorem renunciarunt suum, traductumque iussu Gen. Ord. Cœnobiarchæ, ad regimen familiæ Barcinonensis A. 1584. collatis iterum suffragijs ad se reuocarunt, eiusq; magisterio profecerunt iterum ad duodennium, donec scilicet A. 1596. laboribus fractum, & Æuo, munere abire concesserunt, breui, nempe altero à munere deposito Anno migraturum ad superos. Eius transitus connotatur in Necrologio sub die 7. Decembris, & Ioseph de Valle, qui Aguilonium immemoratum nequaquam voluit, tradit Philippum II. Hispaniarum Regem, eum aliquando ad se venientem admisisse, Elogiu præmisso. Accedat magnus nostræ ætatis Macarius.

CCXXXV.

1599. Renati tandem Orbis ætatem sextam, & decimam gloriosa claudunt memoria præclara Hispanæ nobilitatis sydera, & in regijs S. Mariæ del Paular ædibus Vitæ caducorum exortis nitida lumina, quæ alijs licet Annis, sed incertis extincta, sub hoc vno, ne immemorata abirent, congerenda censuimus, & sunt.

 Ferdi-

CCXXXVI.

Ferdinandus de Mencada ex Marchionibus Aitonę Philippi II. Dapifer.

CCXXXVII.

Antonius de Villa Corta Ioannis Card. Talauerę Archiep. Toletani consobrinus;

CCXXXVIII.

Petrus Emmanuel Petti Card. Deza Consobrinus ex Sacrosanctæ Toletanæ Ecclesiæ Archidiacono.

CCXXXIX.

Vincentius Borgia, S. Francisco Borgiæ Gandiæ Duci stirpe ac pietate propinquus.

CCXL.

Ioannes de Villanieca Annis 6. supra 60. nunquam Monasterij ambitum egressus.

CCXLI.

Petrus Manrique, ex Comitibus de Osorno, ad Lauream cuneatus post religiosi pulueris Annos quinque supra septuaginta.

CCXLII.

Rodericus Pimentel claro Comitum de Benauento sanguine procreatus, & Ioanni Austriaco iampridem à cubiculo.

CCXLIII.

Bernardus de Castro Auctor Libri titulo: Triumphus Imperatoris nostri Christi, quæ elucubratio ibidem cum tineis, & blattis, typum desiderans, certat. Indicantur ab Hist. Henrici III. Hisp. Regis. Auctore exactissimo rerum Ibericarum compilatore M. Ægidio Gonzalez Dauila.

CCXLIV.

1600. *Margarita Vantoue* ipsis verbis Calendarij domus S. Annæ secus Bruxellam, vbi cælestium amorem terrenis posthabuit, & postridie Nonas Septembris ineuntis seculi nostræ salutis sextidecimi denascitur, *omnium cum opinione sanctitatis* in vita, & morte, defuncta.

CCXLV.

1600. *Vincentius Mas* Maioricensis Professus, stipendia in Ordine Prædicatorum diu emeritus, postea Brunonis castra sequutus, ipso ætatis, quam terimus in limine, mensis verò Ianuarij in occasu brauium supernæ beatitudinis zelo, patientia, humilitateque promeritum comprehendit, funeris sui, & gloriæ cælesti reuelatione præscius, teste Vincentio *Mut.* Tom. 11. lib. 11. cap. 12. Hist. Maioricensis, itemque Legenda eius gestorum.

CCXLVI.

1604. *Matthaus Barcello Sardus* quem in Principe per Hispaniarum Regna Monasterio finem dierum suorum attigisse, illumque apud collegas suos virtutum nomine florentissimum, haurio ex Ioseph de Valle.

CCXLVII.

1605. *Franciscus Monroig* vtroque iure Ilerdensi in Lyceo satis instructus Scalæ Cæli Catalauno in secessu Ordini associatus A. 1567. 4. Kal. Iulij, & breui summam Instituti obseruantiam attigisse visus, ad eamdem suo exemplo in Lusitaniam inferendam, illuc transfretauit, præfuitque familijs Eborensi ab Anno 1593. ad 1599. & ab 1603. ad 1609. Vlyssiponensi, in qua lethali morbo interceptus, mortis somnum excepit Non. Ian. ea pietate, qua vitam claudere, ij solent, qui eam inter omnigenæ virtutis exercitamenta traduxerint.

CCXLVIII.

1606. Locrius lib. 3. cap. 12. *Mariæ* Augustæ trium meminit Gosnaiensium Parthenonum, quæ meritis inclitæ, sed paralysi dissolutæ miraculum petere

ausæ

ansæ à Virgine Dei parente, subitaneo miraculo conualuere. Hisce quartam addit Raissius. Orig. Cart. Belgij p. 15. ad cuius contactum Soror letho proxima extemplò conualuit.

CCXLIX.

1609. *Christopherus Barsani* S. Petronij in Patria Canonicus, cum I.V.D. esset non multis cædens locum, musatumq; arte à numine imbutus, huius Instituti tesseram suscepit quinto ante excessum Æui nostro superioris Anno, mense Maio quam cũ professus fuisset ad Annum ætatis labentis nonum, 19. *M*artij cursum vitæ pijssimæ consummauit. Meruit autem, Præfectumque gessit *M*onasterij sub inuocatione S. Laurentij secus Tuscię *M*ethropolim Florentiam, quam Coloniam fortissimo instructam milite, Seculo præsertim quod terimus, contestatur manipulus Triariorum delectus ex Calendario, vt sequitur.

CCL.

Nicolaus Berenguerius Senensis sexagesimo monacatus Anno, ætatis vero octuagesimo ad Pridie Nonas Februarij donatus.

CCLI.

Paulinus Bellottus Florentinus, Pridie Nonarum Nouembris A. 1615. vita meliori donatus.

CCLII.

Laurentius à Cornu, nobilis licet Taruisinus, sacræ huius ædis inquilinorum antiquior, autoratus nimirum 10. Aug. 1564. post cælestem verò in terris vitam Cælituum Choris immixtus 1616. 22. *M*artij.

CCLIII.

Franciscus N. castigatissimis qui moribus, & temporalium administratione in paucis excellens ad Annos 30. vitam exegit in Monasterij Grangia summo cum sæcularium exemplo, & Monasterij eiusdem incremento, superosque adijt 18. Maij 1625.

CCLIV.

Iacobus S. Leonini domo ex eadem Principe in Etruria Vrbe, Annis plus minus ter denis, totidem enim post habitus susceptionem fuit in humanis, Sacristæ munere functus, Regularium consuetudinum nunquam ad vltimum vsque apicem non tenacissimus, cuius natalis dies incidit in vigesimam primam Maij 1626.

CCLV.

Iuctus Gorellus inter conuersorum labores impiger animi excultor, ideoque moribus, ac eximijs virtutibus exornatus, & A. 1648. 11. Martij viam vniuersæ carnis ingressus.

CCLVI.

Anselmus Guidi de Castro Vichiensi, ceu in Sacrarij Præfectura, ceu in agrorum procuratione affatim humilis, & deuotus, duodecimo Kalend. Septembris è labore ad quietem euocatus A. 1649.

CCLVII.

Bartholomæus cognomento *Scala*, ortu Senensis, Cœnobiorum ferè omnium Prouinciæ Etruscæ Præsul meritissimus, disertis vigilijs, & luculentis virtutibus præclarus, Nonis Martij 1652. consummata militia super terram ad supernam, quæ perennis triumphus est, vitam assumptus, de quo latiùs in Athenæo.

CCLVIII.

Anselmus Giacchi Conuersus A. 1656. 17. Iunij desideratus. Desideratus inquam *M*ariæ, & *M*arthæ muneribus, quibus opidò eminebat.

CCLIX.

Guillelmus Orlandinus, domesticis, exterisque Florentinis Concionibus, selecta eruditione, rarissimoque exemplo carissimus, acceptior autem felicissimis supernæ

supernæ Patriæ incolis, qui eum A. 1656. 17. Decembris corpore abeuntem cum gaudio sibi iunxerunt.

CCLX.

Sanctius de Ga'eottis Conuersus, qui nominibus suis erga Deum, & homines, Præfectos, & Confratres laudabiliter affatim satisfecit, & Nonis Ianuarij 1657. humanarum miseriarum enauigato pelago, torrentis diuinæ voluptatis in littore, suauissimæ beneficio mortis, exponitur.

CCLXI.

Laurentius Montecatinus humilitatis, reliquis præ virtutibus, studiosissimus, ideoque nobilis Ferrariensis Patritius sanguinis splendore olim in sæculo clarus, claustrali deinde absolutissima vitæ ratione illustrior, radiantior autem splendidiori meritorum corona, qua redimitus ad Pridie Idus Nouembris 1669. sed stylus Chronologiæ legibus longè nimium digressus, eodem iterum obstringatur.

CCLXII.

1610. *Ioannes Sales* cum in Mon. Scalæ Dei A. 1571. quinto Nonas Aug. se deuouisset, diu sodalibus interiorem hominem in sacro Pœnitentiæ Tribunali expiantibus aures accommodauit, eò diues cælestis sapientiæ spiritu, inquit Ioseph de Valle, quo tentatis opem, lapsis remedium præberet, eaque dilectionis, & pacis perfusus dulcedine, vt in occisoris fratris sui amplexus, & oscula amantissimè rueiit. Viuendi finem fecit nono Cal. Ianuarij.

CCLXIII.

1612. *Bernardus Saxius* sæculari familia, & Religioso Sacramento Bononiensis progressionem vsque adeo magnam in dirigendis fidelium animabus in via iustitiæ, nedum in ambulando ipse in lege Domini fecit, vt ex septis florentinæ domus, vbi ordinis sodales tantùm præibat, fama viri in amplissimum Ducatus cui ab ipsa Florentia nomen, magna cum prudentiæ, & perfectionis commendatione foras erumperet, eiusque nobiliori è sede sacrum ius, si quando audiri posset, auidius expeteretur à Pastore colatis Ecclesijs, nisi voti compotes fieri prohibuisset mors, quæ vitæ suæ cursum sistere eumdem iussit, dum à magno Ferdinando Mediceo Infulæ ei Episcopales sollicitiùs apud S. Sedem procurarentur. Denatus 1612. tertio Nonas Octobris Pater pauperum, & *Prior* Sanctus à populo audijt, in quem affatim munificus contulerat non semel quidquid annonæ erat in promptuarijs Mon. cœlitus etiam adauctis. Floribus aspergere tumulum, & luminibus decorare, tunc detinere cinerum veneratores cum grauissimo PP. Etruriæ ac Visitatorum sancito cautum est in huiusmodi obsequium.

CCLXIV.

1610. *Antonius Panadès Catalaunus* sodalis, & Vicarius domus in Hispaniarum Regnis primæ, in monastica arena duobus Annis quinquagenario minor non sine fragrantissima virtutum redolentia abit ad plures Septembris vnde vigesima die, de quo Nomenclator Virorum illustrium Scalæ Dei.

CCLXV.

1614. *Io. Baptista* Capponius Patre Pasquali Capponio, & Peregrina Arrigonia Bononiæ natus, post sex'um à Religiosi habitus susceptione Pontinianæ, mox Pisanæ tandem ad occubitum vsque suæ filiationis Conuentus moderator, Censor etiam Prouinciarum Lombardiæ, S. Brunonis, quo nomine venit Neapolitana, Picardiæ, aliorumqꝫ singularium in Gallia domorum cum eadem censoria facultate lustrator, quem ex Actis D. Nicolai Rectoris Syluæ Benedictæ.& Bononiensis familiæ, Capponio ipso Antistite Inuisoris à supremo Ord. Cœnobiarca ablegati laudare, & describere potius est.

Anno

Anno à Natiuitate Domini 1599. mensis verò Iulij 26. Nos Frater Nicolaus Domus Syluæ Benedictæ Commissarius Generalis à Reuerendissimo Patre Nostro ad visitandas Domos totius Italiæ deputatus, & Frater Adam Prior Domus Alienis in Collegam assumptus in absentia R. Patris Prioris Parmæ ad formam Statutorum nostrorum Carthusiam Bononiæ visitantes inuenimus V. P. D. Ioannem Baptistam Priorem Domus boni, pij, eruditi, & vigilantissimi Pastoris, Visitatoris typum gerentem, qui omnibus suæ deuotionis, obseruantiæ regularis, sobrietatis, sollicitudinis, admiranda præbet exempla, cuius præcipuè scopus est auream illam, & arctam primorum PP. nostrorum deuotionem, & obseruantiam regularem, tam in domo sua, quam in tota Prouincia perfectissimè introducere, & introductam mordicus conseruare, bonos mores tueri, prauos corrigere, sibi sub disciplina constitutos cohortationibus, & admonitionibus verbo, & exemplo ad pietatem, innocentiamque accendere, vt possit velut alter Ioannes Baptista parare Domino plebem perfectam. In domo sua quocumque incedant oculi, nil nisi religiosum, nil nisi pium, nil nisi deuotum sanctumque redolet. Circà vitam suam inoffenso pede cucurrisse audiuimus ab omnibus suis in Christo filijs, quos secum habet, & quos omnes ferè in Religione vestimento salutis induit, carum esse, & ab eis, summoperè diligi intelleximus, ac revereri, & suis mandatis atque consilijs omnes illi promptissimè, & quasi ad nutum obtemperare proprijs vidimus oculis cum omnibus in victu, vestitu, & alijs exercitijs se conformare imo multo exactius quam alij, & studiosius difficillima quæque regularis obseruantiæ instituta seruare.

Haud tamen ingratus Lectori fuero si eius virtutum nonnullas tetigero, quas publico Censori indigitare sat fuit. Subleuandis indigentibus adlaborans, strepitu ad lectulum nocte edito cælitus instruebatur, num sequenti die occurrendum ei foret, & succurrendum inopi extrema necessitate ad eius pietatem deprecandam compulso. Eodem signo obitum Monachorum Ord. ceu Benefactorum domus cui iura dictabat, præsciebat, eorumque saluti incruentæ immolatione Hostiæ mane diluculo consulebat. Orationi diem impendebat noctemque. Etsi humilitati Præsulum Cartusiensium nequaquam dedeceat famulum habere, qui mansionem euerrat, lumen in cubiculum nocte incumbente deferat, cuculiumue sordibus expurget, ipse ceu Prioris, ceu Visitatoris caractere fulgeret, nullum vnquam consimilis obsequij genus admisit. Annis bis denis eisdem vsus est calceis, adeo frequenter suismet manibus refectis, vt in centonis modum consuti viderentur. Effœta iam ætate morbis, doloribusque probatus grauissimis, ostendit qua inuicta patientia ad perferendos mortalitatis angores foret instructus.

Qua verò deuotione exardesceret in Virginem, quæ primę Viraginis culpam vniuersæ posteritati læthalem suo puerperio antiquauit, prodidit cum in viuis, tum & in extremis agendo; nam Anno à deleto mortis Chirographo 1614. 23. Augusti diei hora vndeuigesima, qua PP. præuia in cellulis Officij Virginei recitatione, Maioris decantandi signum præstolantur, ipse vt vt poterat sacrum idem pensum cum socio lectulo astante persoluens laudes Marianas, Marianumque Canticum *Magnificat* sacro Trisagio, moxque anima edita, vltima quoque vitæ periodo absoluit.

Piaculum forte quis dixerit sublime præ cæteris, animas absolutissimam ad pietatem efformandi charisma siluisse: Quandoquidem liquido pateat Cart. Bononiensem Io. Bapt. magisterio diu scholam virtutis, & sanctitatis extitisse. Sed præclara eius gloriæ Appendix quando hæc subijciatur, & spiritualis germinis fata ab eo fœcunditas pateat; colluceant fas est, alijsque stato sub Anno commendatis accenseantur.

Damia-

CCLXVI.

Damianus Gorna Mantuanus, cuius Ciuitatis excidium fatidico spiritu prædixit, admissus in hunc album 1611. 24. Februarij, denatus 1624. Pridie Nonas Iulij, Ecclesiastici cognomentum sortitus, quod ceu Procurator eiusdem Bononiensis Familiæ, ceu Ferrariæ Prior, horis quibus à negotijs feriabat nusquam alibi reperiretur, quam in Ecclesia ante aram Principem orans.

Georgius Vedrina Cæmentarius ex Oppido Regij Lepidi Carmandola nomine sæculi anteacti A. 1594. 26. Iulij inter conuersos recensitus, & à conceptis votis quinto ac vigesimo 13. Martij fato functus charitatis visceribus, humilitatis, ac obedientiæ insignibus apprimè exemplaris.

Benignus Scarsella Conuersorum, & ipse ex Ordine, religiosaque in obseruantia, & quidem exactissima sexagenario maior, A. 1663. ea morte extinctus, cuius præscius lepidè paulo antea dixerat, se breui imbuxandum, ceu deponendum in FF. ossuario buxo circumsepto.

Io. Baptista Appianus Pontinianæ, & Lucensis Coloniarum Legislator, reliquarumue per Etruriam Inuisor, & in regressu à Generali PP. Conuentu, à quo Bononiensis Præfectus, & in transitu Casularum Visitator renunciatus fuerat, in eadem Casularum Eremo sistere pedem, morte iubente, coactus.

CCLXVII.

1615. *Bartholomæus Valbergam* vitam transegit in Cartusia Maioricensi, austeritati, silentio, & solitudini opidò deuotus. Edulia non sale condita, sed cinere in moris habuit, carnis procaciam alijs etiam pœnalitatibus atterere consuetus. Idem secretiora Canonum arcana scrutatus, nominis Iesu diserto opusculo Encomiastes, gestorum Ven. Catharinæ Thomasiæ compilator, doctrina nescias, an probitate eminentior, & scribenda gessit, & digna calamo gesta scriptis consignauit, donec mors debitum illud iussit persoluere, quod inter se mutuum habent ortus, & obitus. Vincentius Mut. Hist. Regni Majoricensis T. 2. lib. 11. cap. 12. Consule sis Miræum Scriptorum Ætatis 17. cap. 196.

CCLXVIII.

1619. *Petrus Bruno* Lusitanus ex Oppido Pissel Diœcesis Ebotensis PP. Vlyssiponensibus sodalem se dedit, herbaque folijs in crucis modum expansis diu in conditorio producta luculenter comprobauit, se prostratum licet à morte trophæum crucis erigere, quod crucem suam generosè baiulans vestigijs inhæserit Christi, dirosque humani generis hostes carnis proteruiam, Mundi concupiscentias, Dæmonis astus fortiter lacessitos generosiùs contriuerit. Ita G. Cardosus in Agiologio Lusitano 23. Februarij luce, quæ ei Anno millesimo, sexcentesimo, vndevigesimo extrema.

CCLXIX.

1622. *Ludouica de Blangues* alijs nequaquam laudanda verbis, quam mutuatis ex Betuniensis Parthenix Necrologio, vbi habetur. *V. M. Ludouica de Blangues Priorissa Montis B. Mariæ postquam septuaginta duobus Annis sanctissimè vixisset in Ordine Animam eius, ex Societate Iesu, & S. Francisci aliqui in Cœlum abeuntem viderunt. Miraculis claret post mortem quæ fuit 6. Octob. 1622.*

CCLXX.

1624. *Isabella de Barque. Hanc* (Menologium nuper laudatum, iterum exscribo) *Illustris. Parentes ab vtero Deo, & Sanctissimæ semper Virgini Mariæ deuouerunt, & ex Sacro Baptismate Isabellam de Gosnay appellauerunt. Parentum votum septennis perfectè impleuit, & in strictissima Ordinis Obseruantia ad annum octogesimum secundum religiosissimè semper vixit.*

1625.

CCLXXI.

1615. *Augustinus Pellicanus* Bononiensis, deposito cum Laicali indumento lustrali nomine, Benedictus appellatus, ex militum Centurione, & vitijs quæ castra sequuntur deditissimo, dignioris autoramenti initium fecit ob repentinum adolescentulæ ad veneris cupidines domi enutritæ interitum. Expertus enim cum Amasiæ funere qualia peccati stipendia, timuit sibi, ne iucundam voluptatum in sinu ducendo vitam, in momento, & ipse ad inferna descenderet. Pænitentiam inijt rigidissimam, nullumque omisit asperitatis genus ex ijs, quibus carnis potissimùm infringi vires didicerat. In seueriores etiam excurrens vitæ anteactæ mulctas, corpus nonnunquam graphijs, & forcipibus sauciabat, ac vnum vini vrceolum, quo duntaxat in hebdomada sitim extinguebat, feruentioribus solis radijs diu expositum, aceti mordacitatem imbuere, prius quam illud epotaret, curabat. Ab Angelo monitus adesse tempus, quo videret bona Domini in terra viuentium, carnem, quam cum vitijs, & concupiscentijs suis crucifixerat, terræ consignauit, spiritum autem carni mortuum, & in Christo viuentem in eiusdem Christi manibus placidissimè efflauit suæ, Patria in Cœnobio, conuersionis Anno trigesimo primo septima Septembris.

CCLXXII.

1615. *Ioannes Valero Segobrigensis* cuius incunabula, ingenium, fortunas, infortunia, nec non, & munera scriptorum huius viuendi normæ, recensio depromit, nomenque probitate insignium inserit elenco vita per omnem probitatem exacta, quemadmodum disertè Ioseph de Valle, penes quem eius pœnitentiæ, contemplationis, charitatisque in proximos charismata elucescunt.

CCLXXIII.

1616. *Io. Angelus de Spenis.* Neapoli vitam temporalem exorsus est A. 1549. 27. Martij, vbi cum Iuris prudentiæ studijs adolescentiam addixisset, lauream eiusmodi in arena consequitur, & mox fori negotijs, gerendeque Curiæ adhibetur. Verumtamen iustitiæ lancem cæteris exactissimè dum librat, de sese diuino iudicio innocentiùs sistendo recogitans, pretium facultatum transtulit in ius xenodochij incurabilium, & quadragenario maior sodalibus Clericis accensitus est, cum humilitate initiationi ad sacra refragrante, adsciri inter conuersos enixè depoposcerat. Altero à conceptis Sacramenti sui verbis Anno vlteriores eos dignitatum gradus, quorum nonnisi pauci, atque hi spectatissimi compotes euasere summa cum integerrimæ vitæ, regularis moderationis, & raræ prudentiæ commendatione præmere cœpit. Ordinis quippe negotiorum summam, S. Mariæ Angelorum Romæ Prior, & in Curia Procurator Generalis exhausit. Regiæ quoque S. Martini fundationi patria in vrbe præesse iussus est, vnàque arduam exanthlare Prouinciam, Regnum nempe totum Censoria potestate inuisendi. Fama est scriptis consignata ab instauratoribus elucubratiunculæ de viris illustribus Ord. Cartusiensis in Italia, Elenchi Priorum Cart. in parietinis Thermarum Romæ constructæ, Bibl. Neapolitanæ P. 1. fol. 126. Vitæq. Ven. Serui Dei Bernardi Sydgrauij, de quo infra, Lib. 5. Clementi VIII. Sanctissimæ memoriæ Pontifici in paucis dilectum fuisse, qui ideo passim Cartusiam Vrbis adibat, cum Ioanne, posita Regis Sacrorum Maiestate, familiariùs acturus, cumque ad cllicium super nudum induendum adhibiturus. Sed Christo ipsi, cuius non nisi vices Clemens agebat, quantò acceptior fuerit miracula comprobant, quibus viuentem eum, sublatumque è medio illustrauit. Eorum octodecim fide dignis à testibus cum iurciurando referuntur, quorum mentio penes Nicolaum Riccium in Epitome præcitata. Impositum hominibus natiuitatis, mortalitatisque

litatisque pensum naturæ soluit V. Cal. Aprilis Anno à Deo abbreuiato 1616. ætatis verò septimo, & septuagesimo.

CCLXXIV.

1629. *Gorgo de Petrinis* in oppido Camugnani Bononiensis Diœcesis natus, decennis ab Angelo in Cælum euectus est, gloriam contemplaturus Sororis suæ nuper defunctæ, & auditurus felicitatis eiusdem designatum sibi consortium, quando in Dei obsequio impiger, ad eandem sibi gradum facere animo hæreret. In hoc totus incubuit, & literarum, quibus à moribus formandis nomen, fontibus delibatis, Pisis sanctæ conuersationis habitum quæsiuit labente humanæ salutis Anno 1590. mense Nouembri occidentem Octobrem proximè insequente. Mundo fuga deuicto, irruentes eius fœderatorum acies generosè sustinuit, eoque gloriosiùs, quò Annis terdenis cellula inclusus, nunquam munitissimis prodijt è castris, & siquæ mutua colloquia, aut amenæ per viridaria deambulationes, austero, humanæ tamen imbecillitati attemperato in hoc sodalitio statis diebus concessæ, ab ijs toto eo tempore abstinuit. Vinum, in quo est luxuria, nescio quando gustarit. Glorioso conuicio vua sicca appellabatur, quòd inedia exesus, consumptusque, pelle vix ossibus hærente, vuar, succo exhaustam referret. Virginitatis candorem sanctissimæ eius Antesignanæ *Mariæ* cultu, & patrocinio muniuit. Sacris admouendus mysterijs Florentiam cum perrexisset, & Acciaiolio hospitaretur in Palatio, vbi tunc ex munificentia amplissimæ in hunc Ordinem familiæ, commune PP. Vallis-calcis in ea vrbe pernoctantium hospitium, primis tenebris iturus cubitum duas sibi, easque speciosissimas astare puellas aspexit, venereis quæ lenocinijs inhonestos eum ad amplexus inuitabant, extrema etiam minitantes, nisi adolescentulis nobilissimo prognatis sanguine morem gerendo, suæ, earumque libidini indulgeret. Procidit è vestigiò ante imaginem immaculatæ Dei Parentis, ad cuius implorationem auspicij, vaferrimus hostis, qui filiarum amplissimi hospitis vultus ementiebatur, pudore suffusus, abscessit. Sed redijt mox instaurato certamine, aspectu non iam formosus, sed ferox, & pro luxuriæ eiaculatis antea facibus, forcipe eum candenti inuadens, ad renes super stratum iacentem vellicare ausus est, & lethaliter saucium, multoque sanguine aspersum relinquere. Atrox hinc dolor, vberes hinc lachrymæ, lacero quòd corpore, destitutus quòd viribus insequenti Luce sacris aris initiari nequiret. Sed adfuit Cælorum Regina, præsentemque opem secundò inuocata impertiuit. Momentò vires recepit, & incolumitatem, dolorē tantum ad multùm exinde temporis perpessus. Ætate, & pœnitentia confectus aderat Choro assiduus, & cum lento nimis gressu seriùs vereretur accurrere, aut viribus in eundo destitutus, per claustrum decideret, iuuenum occurrentium excitabat feruorem, quos benignè rogabat, porrigerent eunti brachiū, vel præberent iacenti manum, ne viro Dei obsequio emancipato illud sinistrum vnquam occurreret Odeo vel vna ex horis diuinarum laudum decantationi statis deesse. Apoplexia correptus, loquelam amisit, quam Mariano sibi restitutam patrocinio paulò post ostendit, Antiphonam Salue Regina in gratiarum actionem repentè decantans, nec multò post tempore magnæ inter Dei Matris fauores ad filij gloriam perrexit, cuius in manus animam commendauit, emisitq; 26. Iulij 1629. ætatis septimo & quinquagesimo, secessus à Mundo quadragesimo, & altero minus. Vitam diffuso satis stylo cartis consignauit Ceccaronius, è cuius vigilijs hæc pauca delibauimus.

CCLXXV.

1630. Epidimica lues Bononiensem depascebat Ciuitatem. Cæteris tanto

in

in vitæ discrimine sese occulentibus Charitas timoris propulsatrix Cartusienses octo è Monasterij septis ad publica pietatis signa eduxit, nempe *Ioannem Baptistam Ilarinum Senensem*, *Raphaelem de Turri Comensem*, *Io. Baptistam de Castelnetris*, *Michaelem Nigrettum*, *Dionysium Benedellum*, *Andream Montarsellum adhuc Tyronem*, *Antonium Scalam*, & *Hieronymum Razzium* omnes Bononienses, vnàque *A. Mariam Tanaronum* Monasterij Propræfectum. Omnes Seraphicos planè spiritus ad hanc pietatis arenam detulere. Vbicumque languentium necessitas efflagitabat opem, præ cæteris prestò erant. Nemo segniùs se gessit socijs exitiali morbo sublatis. Carnes neque in mortis articulo quisquam gustauit, licet Card. Legatus earum esum amplissima indulsisset facultate. Omnes denique mortis debaccantis fortiter contempsere sæuitiem, cuius si feritate animaduersi corruerent, migrationem sperabant ad æternitatem, præmium vitæ temporalis pro fratrum salute despectæ. Celebrantur cum laude ab Antonio Masino Bononiæ perlustratæ pag. 173.

CCLXXVI.

1631. *Philippus Phoe* Fuldæ ortus, Itingæ sodalibus adhæsit, cuius domus cum rem temporalem procurasset, inde ad munus Vice-Prioris in Snals gerendi euocatus est, postea verò hospitans in magnificentissima Herbipolitana Eremo, adueniente Suetiæ Rege, Luteranisque copijs, in arcem Vrbi adsitam confugit, qua insperatò capta, inuentus vacare militibus Catholicis Pœnitentiæ Sacramento Deo reconciliandis, gladio cæsus vitam consummauit 21. Octobris. Eodem inuidioso mortis genere, eademque causa deletus est Propræfectus laudatæ Herbipolensis familiæ, qui vnà cum ipso Philippo in arcem se receperat.

CCLXXVII.

1634. *Nicolaus Raphael Guillaume* Professus, & Proscriba maioris Cartusiæ, Rector Eremi sub appellatione Vallis Sanctæ apud Heluetios, vigilijs, ieiunijs, & mortificationi addictus, Diuo Francisco Salesio amicitia coniunctissimus, doctrina haud incelebris ad beatam immortalitatem migrat Kalendis Aprilis, cuius scutica aculeis armata, & sanguine affatim imbuta ibidem asseruatur.

CCLXXVIII.

1635. *Archangelus de Clauaris* à dicto Religionis Sacramento ad Annos L. domus Lucensis inquilinus, eiusdem alumnorum perfectionem multo tempore, nec modicis incrementis suo exemplo promouit. Qui nimirum graniorem ob senectam cellam extra claustrum habere, & monasticis iam à muneribus feriare valens, maluit, (eiusmodi otium, oblatumque commodum exosum habens) duos deligi ex Conuersis, quibus incumberet singulis per noctem diemque horis eum ad Chorum deferre, vbi, si non labijs, quibus iam Psalmodiæ canendæ impar, saltem corde enunciaret iustificationes Domini, in loco peregrinationis suæ maximoperè sibi cantabiles, quoadusque mortalitatis stamine abrupto Cæli Psaltibus iungeretur.

CCLXXIX.

1639. *Petrus Bonnier* secessus sub nuncupatione Vallis-Sanctæ dudum laudati Antistes, alter huius Seculi Iob, vitam mortalem cum immortali commutauit sexto idus Octobris. Monumenta domus eiusdem.

CCLXXX.

1641. *Laurentius Luchini Bononiensis* magnum patrij Monasterij atque adeo totius sodalitatis incrementum Seculi nuper exacti Anno septuagesimo sexto, Nonis Augusti in lucem editus est, Parentibus Vincentio Luchino, & Ludouica Gessia, Æui autem labentis Anno altero perfectionis desiderio incensus

Teatinorum Cœtui se deuouit ad tertio Nonarum Octobris, à quibus post sexennium defecit, & arctiori Cartusianorum obseruationi imbuendum se præbuit. Migrationem diuino Numine initam Pudentiana Zagnoni eadem Bononiensi in Vrbe pijssima Virgo cælitus edidicit, & Patri ex ipsomet Teatinorum albo, cui conscientiæ latebras pandebat, hoc etiam arcanum aperuit, canens, ne abituro obstantes, diuinæ reluctarentur voluntati. Habitu in S. Heronymi ædibus suscepto mox cœpit animum exerere, quem ingenribus instructum ad pietatem viribus afferebat, eumque hominem adumbrare, quem præstiritin nobiliorum Prouinciæ Tusciæ domorum regimine, videlicet Pontinianæ Anno 1616. ei destinatæ, Lucensis ad quam 1620. migrauit, ipsaque Bononiensis, Anno 1622. ei imposita, adiecta grauissima Prouincias reliquas Visitatoris auctoritate lustrandi. Tot Dignitatum culmen summa æquauit virtutum præstantia. Peste Bononiæ A. 1630. grassante suorum agmen ad pia infectorum obsequia emissum antecedebat. Obstante auctoritate Magistratus sanitaris, vt vocant, & Eminentiss. Spadæ, Legati munera tunc obeuntis, eam missionem, quam summi fauoris loco ducebat, poplite flexo deprecatus est, quam tamen nequijt impetrare. Abeuntes votis prosequutus, eos quoque singulis diebus paterna charitate fouebat, missis qui de eorumdem salute inquirerent, & æditiora Vrbis loca conscendens, vnde vel à longè filios suos prospiceret.

Fortunas Monasterij rem pauperum fecerat, nobilium præcipuè, aliorumue honestis de causis stipem publicè mendicare verentium. Contigit etiam diuinam Prouidentiam eo nonnunquam vti ad aliorum subleuandam egestatem. Quadam enim die cum duo farinæ onera Piscatori Monasterij deferenda, Bubulco eiusdem domus tradidisset, vnaque lectos ex horto flores Virginibus à Corpore Christi nuncupatis in transitu præbendos, ille perperam iussa peragens, sanctimonialibus farinam, Piscatori flores tradidit, quod resciens Luchinus pergratum habuit; intellexit enim Vestalibus illis in summa rerum temporalium caritate Deo initiatis, illud subsidij maximopere opportunum extitisse. Sobrietate morbis occurrit, ideoque æuo ad profundum vsque senium protracto vegetam senectam septuagenario maior circumtulit.

Studium in generis humani reparatricem nemo satis explicare valeat, quam Dominam, matrem, solamen, amoremque aiebat suum, quam Monasticæ Institutionis auspicem electurus, die eius Purificationi sacro primò inter Diui Caietani asseclas, & deinde S. Brunonis inter alumnos voluit recenseri; quam manuductricem fortitutus ad gloriam A. 1641. ex humanis se emigraturum 8. Id. Septembris præsciuit, Cælo videlicet se oriturum die, qua Augustissima ipsa Cælorum Regina auspicatissimis suis incunabulis mundo illuxerat.

Eo autem tempore extremis se fatis proximum nouisse diximus, quòd in ipso feruentiori dierum Canicularium æstu, mortis proximæ ergo commissarum suæ curæ familiarum lustrationem adornarit, abeundum sibi ad Superos inquiens, & inurbanum fore tanto se itineri committere, singulis ex fratribus haud valedicto. Alij aliam prætexunt huius professionis præuisa ante funera causam, quo scilicet diem suum obiens longè ab Vrbe, in qua magnam sibi collegerat probitatis famam, Parentalium honorem declinaret. Inuisit Florentinos, adijt Lucenses, Pontinianensibus se præbuit, & Maggianenses postremò amplexus, spiritum posuit in eorum sinu, quos inter licet tumulatus, funerum tamen solemnitatem, & publica æstimationis signa à Patriæ Conciuibus decreta nequaquam effugijt, tota enim ad iusta ei persoluenda in Parœcia S. Isaiæ Bononia conuenit, vbi parietes auleis obducta lugubribus cernebantur, & gentilitijs sub insigni-

insignibus circumquaque appensis lemma erat adiectum *D. Laurentius Luchinus Pater Pauperum*.

Eius mentio apud Gasparem Bombagium in Sac. Hist. Virorum, & Fœminarum Bononiæ pietate illustrium, itemque penes Gesta V. Seruæ Dei Pudentianæ de Zagnonis, cuius dudum meminimus, & Antonij Masini Bononiam perlustratam pag. 173.

CCLXXXI.

1642. *Petrus Geinoz* Donatus Vallis Sanctæ, in diebus suis placuit & ipse Deo, ea conuersatione, qua hominibus admirabilis erat. Desijt esse mortalis tertio Kal. Decembris ex monumentis eiusdem Asceterij.

CCLXXXII.

1643. *Io. Sydgrauius* in ipsis pubertatis crepundijs à Patria, quæ fuit Lancastria in Scotia religionis ergo sponte extorris, in Remensi primò, deinde Romæ in Scotico sub disciplina PP. Soc. Iesu Collegijs Latinè, & Græcè didicit, Philosophiæ, & Theologiæ controuersias inuidiosa ingenij felicitate excussit. Anno deinde Seculi, ei, in quo sumus, proximi nonagesimo primo totus in Christi mancipium concessit, voluntario sibi à terrenis indicto exilio, & rudimentis vitæ à Mundo sequestris Neapolitano in Cœnobio positis, luce immaculatæ Mariæ Conceptioni festiua. Ex eo tempore Bernardi nomen assumpsit, & in generos Monasticarum virtutum stadio constitutus, vigilijs, ieiunijs, cilicijs, flagellisue exquisitis veluti delitijs anhelantem perfectioni animum recreauit. Continua penè inter eum, & cælites intercedebat familiaritas. Nam multis Annis apud Trisultum hospitanti si interdum contingebat per saltus Monasterio circumpositos, horis animi gratiæ concessis, vnà cum sodalibus euagari, colloquio abrupto, cunctor, aiebat eisdem, in cubiculo. Vultus ij ad abeuntem conuertebant, aspiciebantque formosissimos adolescentes, (Angelos conijciebant) cum ex cubiculi eiusdem fenestris ad se vocantes; Nonnunquam etiam in ipso claustro auditæ animæ in Purgatorio affl ctæ eius suffragia alto clamore exposcere his alijsque consimilib. ingeminatis vocibus. Me commendatum habeas Bernarde. Bernarde pro nobis intercede. Auditores sciscitatori quisnam tales ederet voces, ex ostij rimis introspiciebant in Oratorium, quibus tamen alium præter ipsum Orantem intueri non dabatur.

Illustres S. Martini, vbi vota, & ipse nuncupauerat, Cœnobitas Andream Cancellarium, & Dionysium Cocciam grauiter decumbentes sanauit, illum Sudario suo ad vulnus obuoluendum misso, hunc verò pedis carcinomate, generosa humilitate, ac charitate planè heroica propria lambendo lingua. Io. Donatus Epiphanius campensis hæc aliaque ante, & post humum miracula recenset non pauca, asseuerans, se pleuritide laborantem, eo implorato morbum discussisse, eamque in grati animi monumentum assumpsisse elucubrationem, qua eius gesta latè prosequitur. Gratiæ curationum Prophetia non defuit. Bartholomæo Speranzæ initiationis ad sacra certam spem fecerat. Ille operosæ Laicorum vitæ inter Conuersos deditus Vatleinium ministerij sublimioris desisit. Verùm stabilitatis suæ in arrepto proposito nondum emisso Sacramento sæculum repetijt, & clericali insignitus gradu inopinatam sacrorum administrationem consequitur. Thomæ Imparato Causidico Ecclesiastico, qui eiusdem precibus felicem desiderij, suis tantummodo arcanis concrediti, exitum commendauerat, remisit qui diceret. Thoma. Secretò angeris voto promotionis in Canonicum. Breui, & Canonicus renunciaberis, & Pontificale Ecclesiæ Vico-aquensis fastigium conscendes. Sæpe obseratis ianuis intra cellulas penetrauit, præsertim exci-

excitaturus Conuersos,aliosue quibus excitandi ad nocturnā psalmodiam Cōuentus onus incumbebat, quandocumque obrepti somno stato tempore non consurgerent. Hæc aliaque absolutæ virtutis inditia pijssima mors subsequuta est A. 1643. 13. Kalend. Decembris. Vigesimo à depositione mense corpus effossum, repertum est incorruptum, viuidumque sanguinem affudit. Apparuit non semel Fr. Dominico *Mad*rigali ex Neapolitanæ eiusdem Cartusiæ Conuersis pietati addictissimo,qui diem suum obijt vndeuigesima die mensis Augusti, Anni proximè elapsi 1680. & in ipso migrationis eius articulo, Patres Ord. Prædicatorum ad B. Mariæ de Salute commorantes, conspexere semitam lucidissimam eminentis ab Asceterij fastigio ad Cælum vsque pertingentem, per quam idem Dominicus ad Societatem Filiorum Lucis crediturconscendisse.

CCLXXXIII.

1645. In Suburbana suæ Patriæ Bononiensi Cartusia pijssimum finem oppetijt *D. Hilarius Sassius* cum à trigesimo antea Anno solam mortis imaginem suis oculis obuersari voluisset, assuto ideo strictinti, quo defunctus inuolueretur cucullo, eoque secretiori in cubiculo appenso vnàcum lignea Cruce pectori in tumulo apponenda. Hac iugi finalis suæ resolutionis meditatione vitam peregit mortis actuum nesciam, caducorum despectu, abiectione infra omnes, carnis maceratione beata æternitate dignissimam, cuius vias ingressus est Pridie Nonas Ianuarij orbis in libertatem asserti. A. 1545. Monachatus verò, cuius se viuendi normæ addixerat tertio Idus Aprilis 1590. Anno quinto sup. . quinquagesimum. Complectitur in elogio Catt. Bononiensis inserto ab Antonio Masino pag. 173. Bononiæ perlustratæ.

CCLXXXIV.

1653. *Antonius Vuiddman* ex Comitatu Tiroli, & Vico Nadders dicto, Filius Cœnobij Memmingani sub appellatione B. Mariæ peregrinationem suam octuagenario maior complet hospes inter sodales Itioganos. Religiosissimus planè Monachus Sacrosanctam Virginem puerperam summa veneratione coluit, & filiali affectu dilexit. Animarum in Purgatorio æstuantium refrigerio consuluit, ad feruentia pro eis impendenda suffragia earumdem fletibus passim excitatus. Reuelationibus etiam claruit,quas inter suam prænouit migrationem ex viuis hora quarta noctis tertiæ Nouembris diei insequentis.

CCLXXXV.

1653. *Andreas Mantica* Ortonensis, & *Hieronymus Fina ex Oppido Montesani*, ille ex Sacerdotum, hic Conuersorum ex censu domus Padulæ filij, alter diu Nouitiorum tyrocinio Præfectus, alter Annis duodecim lectulo affixus manibus pedibusque impotens, vterque vitæ inculpabilis 4. Non. Octob. 1653. caducis exortes æternis potiuntur bonis, in elatione ad tumulum visi obuijs Angelorum turmis immixti, & suauissimæ melodiæ inter concentus gloriosè admodum in Cælum recipi. Ita Monumenta Catt. Padulæ ex relatione Mon. qui in funerum processione repentè extaticus, ad beati illorum exitus contemplationem se raptum asseuerauit, quem etiam descripsit.

CCLXXXVI.

1655. *Carolus Fizialdus ex Oppido Laurea* natus, intra septa verò præmemoratæ Cart. Padulæ vitæ Anachoreticæ, inter Conuersos adscriptos conuersationem suam optimè exactam infelici fine perinde claudere videbatur, quòd nouissima ante fata graui morbo vexatus cadauericum exhalaret fœtorem, cæteris adeo grauem, vt ipsimet Laici ad obsequia admoti,pædore offensi,lethaliter decumberent. Sed cuius caro pessimè olebat, spiritus morum fragrantia suauissimus,

Cælites

Cælites odore mirifico perfundebat, qui ad eum animam agentem conuolantes æternæ gloriæ spem certam fecerunt. Adesne Protomartir Laurenti? ades *Magister* Bruno? in transitu repentè exhilaratus clamare cœpit. Adestis tutelares optimi? ò fauores, ò honores! & hæc repetens vitam mortalem cum immortali commutauit.

CCLXXXVII.

1661. ***Daniel Grancius.*** Singularem in Mariam Dei genitricem affectum à crepundijs edidicit, parentibus natus magna in eam religione propensis. Ad vitæ postea totius spatia sub vexillis disciplinæ eidem addictissimæ emetienda beneficijs obstrictus est, cum profundum in puteum pubes delapsus, citra etiam vestimentorum madorem euasit. Multiplicis præseruatricem in Dominam obsequij inter vestigia illud præcipuum suspicitur eum domus Ferrariensis Præfectus, siue Bononiensis Rector, aut Inuisor Prouinciç Etruscæ, quæ omnia ei munera demandata, Gratianopolim recurrente Anno concedebat, aut familias de more circumibat. Nam in Vrbibus, Oppidis, aut sane pagis vbi pernoctandum erat, aut matutina sumenda refectio, certas habuisse legitur Virginis eiusdem Imagines, ad quas, iumento hospiti commendato rectà se conferebat, annuale redditurus animi deuotissimi vadimonium. Censebatur Sacrariorum Præfectis, Ecclesiarumue Æditius non profectionem instituisse ad celebranda Comitia, aut lustrandas Colonias Ord. sed peregrinationem adornasse ad singulas Basilicas, aut sanè ad quascumque diuinæ Puerperæ tabulas, quæ in eo satis longo itineris tractu occurrebant.

Pietas quoque in egenos memoriæ est nunquam interituræ. In ea enim fame, quæ Anno 1648. deseuijt, cum horrea ad Christum suis in pauperibus enutriendum euacuasset, bona etiam stabilia, pretio in eosdem conferendo, distraxit: quòd singulare charitatis exemplum locupleriores opulentissimæ vrbis incolas ad animarum inedia pereuntium commiserandam inopiam traxit.

Decubitus signatur in Necrologio sub Anno Æui decurrentis 61. die verò 28. Nouembris.

CCLXXXVIII.

1663. ***Marcus Mondoniensis*** Bergomas, Venerijs summæ æstimationis apicem attigit, vbi exacto trienali Cartusiæ Montelli regimine, & solitudinis S. Andreæ initiatæ ad Annos sex, & viginti Præsulem agens varijs inclaruit nominibus, disciplina claustrali, sui abiectione, amore in Deum, eiusdemque amoris germana in pauperes charitate. Fuerunt, ex ditioribus præpotentis Dominationis Optimatibus, quibus cum animo hæreret facere sibi amicos ex mammona iniquitatis, qui corporis post defectionem eorum animas in æterna tabernacula reciperent, illum eleemosynarium deligerent suum. Ineuntis Anni reparationis humanæ 63. supra millesimum sexcentesimum die 23. Religiosa in perfectione iam quinquagenarius terrenam habitationem deposuit. Quanam amabò ex causa? resciens, Consanguineum S. R. E. Cardinalitia fulgentem Dignitate, ad gentiles suos in eius promotione extollendos, Episcopale culmen ei apud S. Sedem procurare: vt noueris euectum ad Æthera, quem humilitas fluxos Mundi honores fastidiens exaltauit.

CCLXXXIX.

1663. ***Angelus de Appianis.*** Perfectum à Mundo secessum, eius nempe concupiscentiarum omnium fugam Lucensi in Conuentu tyrunculus hausit, & regimini Cellæ Pontinianæ nuncio misso, denascitur Asceterij Papiensis hospes A. 1664. Pridie Cal. Febr. quo aliquot supra quinquagesimum Annis Cartusiensi

iam

iam in arena bonum certamen certauerat. Populus, qui ab vrbe quarto lapide dissita confertissimus inferijs aderat, è sanctū clamauit, fragrantia, quæ ex corpore redolebat; cælesti fulgore, quo vultus radiabat, virtutum, sublimem adeo titulum æquantium, indicibus; magis autem conuersationis vndequaque perfectissimæ tenore, quippe qui corporalem luminum orbitatem diu patientissimè pertulerat, abstinentia, & vigilijs vsque ad mortis discrimen passim se excruciauerat, vt immemorata abeat humilitas in graduum Ordinis abdicatione apprimè exemplaris.

CCXC.

1664. *Iacobus Biscionius* ætates suas perfecerat in fragrantissima Virginis Mundi reparatricis: Age quam suauis cordium sponsa? dilectione, & moribus tanto amore consonis. Febri acuta in Grangia sui Asceterij (id erat S. Laurentij de Padula) exardescens inuisitur à duobus Ordinis S. Francisci Strictioris Obseruantiæ Fratribus, Capuccinos communior nuncupatio appellat, auditque bono esse animo, ea præsertim Sabbati die magnæ Dei Genitrici Sacra. Ad nomen Mariæ summa repentè iucunditate perfusus: Ecur animum despondeam, subdit: An non eandem conspicitis Mariam humanissimè hic adstantem, animamque meam corpore solutam mox ad ineundam Cæli gloriam comitatura. Hæc inter verba somnum beatissimæ mortis excepit. Patria fuit, Oppidum Marsici veteris in Regno Neapolitano; tyrocij domus, Eremus S. Laurentij de Padula dictæ; dies occubitus, penultima Augusti in Sabbatum incidens; Hora, Missæ Virgineæ solemniter decantatæ, Annus 1664. à quo imposterum Ascetas huius institutionis absolutissima religiositate magno Ordini, atque Ecclesiæ Catholicæ ornamento alijs recensendos sinemus.




THEA-

THEATRI CHRONOLOGICI SACRI CARTVSIENSIS ORDINIS

PARS SEXTA;

MONASTERIOLOGIA;

I.



ARTVSIA Maior in Delphinatu secus Gratianopolim, cuius incunabula septem Cellularum designatione metari Christus visus est; primos incolas, luculentis totidem syderibus Cælum expressit; solum, tribuit. S. Hugo Episcopus; Virgo Deipara, & solitudo ipsa, à suis nominibus, Cartusiæ S. Mariæ de Casalibus nuncupationem primò dedere; dotem ad Monachos supra centum alendos conflarunt Seguinus Casæ Dei Abbas, Vmbertus, cum Ottone de Mirabellis Fratres, Hugo de Telmont, Antelmus de Garein, Guillelmus de Monrebel Entremontij Dominus, ac Eduardus Sabaudiæ Comes, cuius patrocinio subiectum Brunonis asseclis quiequid intra Montium Cartusiensium fines clauditur; Ioanna Franciæ, & Nauarræ Regina, erogatis ad Comitiorum Generalium impensas libris annuis centum; alij, alijque fautores amplissimi nequaquam pauci, itemque Calesiensis, & Correriæ conterminæ eidem domos, quarum opes in suum censum transcripsit, & Monachos per sui Antistitis Vicarium regit. Ædificium à primordiali lapide rupium crepidini propiùs accedens A. 1136. paulò infra translatum est, non amœnitatis studio, sed incolarum saluti consulendi ergo, quorum domicilia ingens saxorum niuiumque moles repentè obruerat, Monachis ad duodecim desideratis. Sexies deinde flammis consumptum, sacrarum Ædium phœnix suis è cineribus nunquam non resurrexit, & modo luculentiùs quàm vnquam secto ex lapide consurgit. Sacra huius Institutionis Parens, illustriorum quoque illius Heroum genetrix fœcundissima suspicitur, quippeque sex, alijs octo Episcopos adsitæ Gratianopolitanæ Vrbi pepererit, è quibus quatuor Annis ferè nonaginta eam continuò administrarunt. Sedem esse Protoparentis Ordinis, præcedere reliquis per Orbem huius Propositi Asceterijs, quæ omnia nomenclationem Cartusiæ ab ea mutuarunt, patere recurrente Anno Patribus ad Conuentum Generalem confluentibus, quem sibi Priorem deligit, Cœtui vniuerso præficere reperere ex huius elucubrationis parte prima hic loci parcimus, Protocœnobij toto orbe celeberrimi laudibus coronidem imposituri.

posituri ex decore post Geneuensium in hæresim lapsum adiecto, ab ipsa nimitum denominati Prouinciam Cartusiæ eam, quæ olim appellabatur Prouincia Geneuensis.

II.

1090. *Cart. SS. Brunonis, & Stephani inter Arenam, & filum* Calabriæ Oppida, à qua antiquior Italiæ Prouincia, Lombardiæ remotioris dicta, post nostræ Ætatis Annum 29. obsoleta huiusmodi nuncupatione, Prouincia S. Brunonis appellatur. Hic vbi Magnum Cassiodorum solitariam olim transegisse vitam Card. Baronius ad Ann. 561. num. 9. tradit, S. Bruno eiusque symmistæ luteas immorari cellas à Rogerio Normanno Calabriæ, & Siciliæ Rege inter venandum reperti, saltu ipso, in quo delitescebant, donantur, vnà cum Ecclesia, cui S. *Maria* de Turri nomen erat, villis agroque latissimo. G. Surianus Belga pag. 199. Commentariorum, quibus gesta S. Institutoris elucidauit, profert Antigraphum donationis ex peruetusto Codice membranaceo exscriptum, cui pag. 209 impressionis Bruxellensis addit priuilegia in eius fauorem lata ab Vrbano II. illa ad Ann. 1090. hæc verò sub Dat. 1092. Si credimus Camillo Tutino in suo Cartusiensis Historiæ Prospectu Ecclesia consecrata fuit 1094. Mag. Brunone iam ex Aula Pontificia ad Eremum reuerso. Ita monumenta eiusdem temporis in gratiam eruditorum ex eius elucubratione excripta. *Anno Domini Nostri Iesu Christi M.XCIV. Mense Augusti Festo B. Mariæ Assumptæ Ego Alcherius Hic.... Archiepiscopus Panormitanus consecraui Ecclesiam istam in honorem Dei, & B. Mariæ Virginis, & B. Ioannis Baptistæ in præsentia Militensis, Tropiensis, Neucastrensis, Catanensis, & Squillacensis Episcoporum vna cum Domino Rogerio Comite Chalabriæ, Adelaide Comitissa, Magistro Brunone, & Lannino, & cæteris Patribus Assistentibus, & in præsentia bonorum hominum. Ego Alcherius Archiepiscopus Panormitanus, Ego Tristerius Tropiensis Episcopus interfui, Ego Angerius Catanensis Episcopus. Ego Theodorus Episcopus Squillacensis interfui. Ego N..... Neucastrensis Episcopus.*

Cum verò Domus propè eamdem Ecclesiam molita arctior esset, quàm excipiendis tyronibus vndique confluentibus par foret, A. 1099. Rogerius, Rogerij primi Conditoris Filius, iubet amplum ac magnificum excitari Monasterium prope ipsam Eremum, sub titulo S. Mariæ, & S. Stephani, quod, & dotat Oppidis Arauno, Monte Aureo, & Oliuano, vt sileamus milites Capuanæ coniurationis reos, quos omnes, familias, fortunas, posterosque Brunoni insidiarum reuelatori perpetuo addixit obsequio.

His, alijsque facultatibus impinguata patuit Cartusiensibus ad A. 1191. quo consentientibus Guillelmo Priore, cum Monachis, nec reclamante Cælestino summo rerum sacrarum Præfecto, imo diplomate relato à G. Suriano Belga pag. 469. migrationem comprobante, concessit in amplitudinem Ordinis Cisterciensis. Redijt postliminiò ad conditorum posteros ætatis nostræ Superioris Anno 1514. opera Iacobi Aragonij Cænobij Neapolitani Antistitis, & Ludouico Cardinali de Aragonia Abbati Commendatario Sanguine coniuncti. Eodem tempore S. Brunone in Sanctorum album relato, eius corpus ab Ecclesia S. *Mariæ* de Turri ad aliam S. Stephani de Nemore translatum est, quæ exinde SS. Brunonis, & Stephani nuncupatur. Monachus Anonymus compilauit breue Chron. huius Domus, quod Camillus Tutinus edendum curauit ad calcem Prospectus historiæ Cartusiensis à se Vlterbij excusi. Ab eo relata hausimus, quibus etiam suffragantur, Leander Albertus, in Descriptione Italiæ pag. 332. vbi De magna Græcia octaua Prouincia; Gabriel Barrius, lib. 2. De situ Calabriæ; Surius, in fine vitæ S. Brunonis; G. Surianus Belga, in notis, quibus, & vitam

vitam, Diui Brunonis luculenter elucidat, & de amplissimi huius secessus origine, Sanctitate ac opibus maximopere benemeruit.

III.

1115. *Cartusia Portarum, vulgo Portes in Bugesio*, secus Oppidum S. Ramberti, Diœcesis Lugdunensis. Initiatores habuit ad Annum 1115. Bernardum, & Pontium Monachos Ambroniacenses, non autem Humbertum de Baugiaco Archiep. Lugdunensem, vti perperam Senertius in Chronologia eiusdem Primæ in Gallia Ecclesiæ, dictaque est Portarum à Saltu ipso, in quo excitata fuit, Portarum nimirum antiquitus nuncupato, quod in eo natiuæ ipsæ rupes, certis locis, velut artificis manu excisæ, portas ementirentur. Bernardo, & Pontio primùm concesserat Ambroniacensis Abbas nomine Didier locum, qui de iure sui Cœnobij erat incolere, vitamque Eremiticam profiteri, & deinde ad Annum præfatum Cartusiensibus nomen dare, exactissimamque Anachoreticam hanc institutionem ibidem inferre, quod, & Innoc. II. Christi in terra vices tunc temporis gerens, Pontificio diplomate ratum habuit. Primus copiosissimæ nunc domus census, solum fuit Eremo adsitum, cuius possessionem, cum immigrationis ad Diui Brunonis disciplinam facta potestate Desiderius Abbas vltrò eisdem primis inquilinis impertitur, tabula Guicenonianæ Hist. Bugessij intexta.

Subinde cum lautis multorum donationibus latiùs iura protenderet, de more Sanctissimi huius Propositi certi agro, & nemori designati limites, vltra quos sibi posterisque facultates dilatare nefas esset. Termini ipsi ex carta cui subscripserunt, præter laudatum Bernardum, & reliquos Monachos Humbaudus Archiep. Lugdunensis, Sedisq; Apostolicæ Legatus, S. Hugo Gratianopolitanus, & Pontius Bellicensis Episcopus, sunt Camious Romanus, & extremi fines iugi Ordinatus, Mornia, Arenarius de Benuncia, Mons Varelli, Filgiarium, fons Gustacij, Mons Espinacij, Calmus de Ars quos idcirco tanta diligentia fatentur se descripsisse, vt si fortè successores intrà præscriptos limites possessionem quamlibet Ecclesiasticam sæcularemue, modo quolibet vbicumque, vel à quocumque acquirere, vel retinere tentauerint, ex tunc sciant se institutionis, ac propositi tramitem excessisse. Processu temporis Petrus Sanctæ, & ipse Lugdunensis Ecclesiæ Minister, & Sedis Apostolicæ Legatus ex Apostolica authoritate addidit cellarium extra prædictos terminos, ad congreganda vina, quod incuria prætermissum indispensabili necessitate deposcebatur. Optimates, nobilesque alij viri, qui in Cartusiensium fauorem dimiserunt quicquid infra hos terminos possidebant, sunt præter Riardum de Benuncia, Amedens Comes, Guichardus Bellijoci, Giraldus de Turre, Amblardus de Turre, Amblardus de Grandimonte, Humbertus de Coloniaco, Boso, & Vuillelmus de Briord, Hugo de Plumbis, & Fratres eius Sigebertus, & Amblardus, Lambertus cum filijs suis, Artaldus Frater eius, & Boso nepos eorum. Totidem recens
et Autographum adseruatum in tabulario eiusdem Cœnobij.

Cartusiatum solemniorum ad instar duas habet Ecclesias superiorem, & inferiorem. Vtramque consecrarunt Humbaldus Metropolita Lugdunensis, Primas, & Apostolicæ Sedis Legatus, vnà cum S. Hugone Ep. Gratianopolitano, & Pontio Bellicensi, illam quidem A. 1125. hanc verò 1128. quo etiam tempore statuit, quæ Monachorum quieti magis consulere videbantur; scilicet prohibuit mulierum intra limites præfatos domicilium, plaustrorum, vel quadrigarum ductum, prædam per eosdem, aut hostilia arma portari, seu cuilibet in eius transitu iniurium esse, quædam itidem veteres semitas non parui Monasterio

incommodi auerti praecepit, & semita recenter strata, & aperta, quam ideo nouam appellari placuit, ab vniuersis pertranseuntibus teneri mandauit, quae omnia Beroardi Prioris, & Monachorum illius Æui solertia litterarum monumentis consignata, ad perennem posterorum memoriam extare voluit.

Prodierunt ex absolutissima hac Monasticae perfectionis palestra Nantelmus, Bernardus, S. Anthelmus Bellicenses Episcopi, Bernardus III. & S. Stephanus de Chastillon ad Diensem moderandum gregem assumpti, Ayraldus Maurianensium, Henricus Geneuensium Pastores delecti, Bernardus de Turre, & Bernardus de Samia ad Supremum Ordinis regimen admoti, praeter S. Anthelmum, quem ante Infulam Pontificiam summo hoc munere primò functum, suo loco adnotauimus. Alij Eruditis vigilijs, spectarissima alij morum probitate coruscarunt, qui omnes luculento dignitatum, scientiae, & perfectionis nitore sacra inter Monachorum Claustra Portarum Conuentum potissimùm euehunt, & commendant, illudque, gloria nomini consona, ad Religiosam Sanctitatem, ad Infulas Ecclesiasticas, & tandem ad Caelestis gloriae fastigium patentem hactenus portam multiplici ex nomine comprobant. Consonè, haec ad monumenta eiusd. Cartusiae euulgata ab Auctore Hist. Bressiae, & Bugesij pag. 86. itemque T. 3. Probationum eiusd. Historiae. pag. 220. ad 224. Compilatori Anonymo vitae Pontij de Balmeto Bellic. Ep Chiffletio, in prolegomenis praefixis dissertationi de V. Bernardis Portarum Prioribus, Rebus gestis S. Hugonis Ep. Gratianopol., Humbaudi Archi. Lugdunen. itemque Gauceranni, eadem Dignitate functi, apud Seuertium in Chronologica Hist. Antist. Lugdun. alijsque.

IV.

1115. *Cartusia Durbonis* alicubi dicta D. Vrbonis. Conditur instante Domino de Beaudisner in Dioecesi Vapincensi, cuius Cathedralis Antistites varijs eam cumularunt beneficijs. Leodegarius enim huiusce nominis Secundus Ecclesiam consecrauit Anno ab eius primordijs sexto, qui fuit, Seculi à Virgine Puerpera duodecimi, vigesimus, & alter, & alij, qui munificentissima in eam pietate familiam Regnum Dei primò quaerentem temporalibus locupletarunt bonis. Aucta deinde iure pascendi gratis animalia per Comitatum Viennensem, & Albonensem ex diplomate Taillafers Comitis, Raymundi Ducis Narbonae filij alijsque quamplurimis largitionibus, & immunitatibus. Æno tandem, in quo viuimus adaucta Censu Parthenîae, Bertaudi nuncupatae, quartum sibi locum vindicat in Ordine, primum verò inter *M*onasteria Prouinciae. Porro praefata Bertaudi Domus erat sanctimonialium eiusdem conuersationis Claustrum erectum Ann. 1160. ab eadem Cart. Durbonis duabus leucis seiuncta, cuius antiquitatis vestigium extat in actis Ottonis XXVI. Vapincensis Antistitis, qui approbat concessionem Ecclesiae S. *M*ariae de Saxobaudo ei factam ab India Abbatissa Monasterij de Subripis A. 1260. Extructionis verò monumentum habetur in tabulario Cartusiae Prati-mollis, ad quod Bertaudi Virgines traductae memorantur, earumque vltimam euolasse ad Sponsum A. 1627. quae omnia Bibl. Sebusiana, Centuria prima, in elucidationibus ad Cap. 5. Hist. Delphinatus Nicolai Chorier, Part. 2. Lib. 1. §. 10. Hierarcarum Sedis Vapincensis Elenchus; Index antiquus Domorum *M*onialium Sac. Ord. Cartus. in lucem editus à G. Suriano; Petrus Louuet de Beauuais D. M. & Historicus S. A. R. Dombarum, in Epitome Hist. Prouinciae, vbi Claustrum etiam de Subripis ad Ann. 1160., eiusdem professionis Virginibus patuisse enarrat.

V.

1116. *Cart. Sylua Benedicta*, in nemore dicto Paladrù Viennensis Dioecesis.

Terricus

Terricus Federici Imperatoris Consanguineus, seu potius Spurius, post secundam expeditionem Italicam, bellicos tumultus exosus, luculento auctuario haec domum insigniuit, se nimirum, & lautissima secum dote, qua modicis ante incrementis exurgens, inter solemniores est recensita. Aderat non longè pagus, Ars nomine, cuius Oppidani cum Cartusianos, quos inuisos habebant, varijs affecissent contumelijs, auersione opulentiam peperere. Opprobria, & incommoda Sanctissimo Cœtui illata sanioris mentis hominibus visa sunt sacrilegium. Gliscebant tunc temporis inter Alexandrum Pontificem maximum, & summi Sacerdotij insignia per vim extollentes turbæ, bella, ingensque fautores augendi studium. Cartusienses inter primos Christi vices legitimè gerenti adhærebant. Commune ijs aduersans in suspicionem deuenit propensionis ad Schismaticos. Extemplò hostiliter adoritur, ruinis, cædibusque obruitur, Ædificia collabentia prope subiectus amnis excepit, eaque imum adhuc occupantia alueum inspicientibus objicit. Inde Scriptores inepti argumentum sumpserunt cuulgandi, incolas Cartusiensibus infestos, vltricibus vndis absorptos. Terricus opportunitatem nactus patrimonium suo Cœnobio componendi, excisi populi agros à Pontifice, & à Cæsare impetrat. Robertus postea Archiep. Viennensis, & Humbertus III. à Sabaudia, ius iure acquisitum comprobaruot. Sed, & alios quamplures in benefactorum Catalogum hæc Domus congessit. Hi fuere Guillelmus de Poitiers, eiusque filius Aimarus A. 1183. Thomas à Sabaudia, Guillelmus, Castrinoui apud Isaram Dominus A. 1286. Eduardus, Sabaudiæ Comes, Guigo de Albon A. 1240. Raimundus, Prouinciæ Comes eodem Anno, quos omnes recensfet laudata Delphinatus Historia 4. Lib. 2. §. 18.

Eiusdem vltima nequaquam laus est A. 1333. excepisse in sua Grangia coactos ad ineundum pacis fœdus Humbertum Secundum Delphinum, & Aymonem Sabaudiæ Comitem diffidentes inter se Principes, eorumque ditionum Optimates, Episcopum de Puij, Guillelmum, Abbatem S. Antonij Viennensis, Amedeum Allemant, Priorem S. Laurentij Gratianopoli, Soffredum de Commiers Priorem S. Stephani, de Sancto Iyers, Bertrandum, Comitem de Montcayeux, Amedeum Comitem Geneuæ, Hugonem de Geneua, Comitem de Anthon; Humbertum de Villars, Girardum de Rossillon, Dominum de Annonay, Antonium Claromontanum, Dominum de la Bastiæ d'Albanois, Albertum de Cassenatico aliosque præpotentes Dynastas, ac Priores, quorum vberiorem notitiam promit Nicolaos Chorier pag. 274. Aiont Tetrico animi vires ferarum venatione in hoc saltu exercenti sæpe occurrisse duodecim albi coloris Ceruos, quos assequi cum nunquam valuisset, tandem intellexit Ceruos Cartusienses esse, candorem, morum innocentia, ac indumentorum colore æque præ se ferentes; & ceu Ceruos ad venas aquarum, indeficientem bonorum omnium fontem Deum sitientes. Eo frequentioris Ceruorum occursus portento cælitus sibi indicari, debere iam, belluarum syluestrium insectatione abdicata, mundoque repudiato, animarum venatori Deo sacram se prædam sistere, eaque de causa luculento in ea Sylua moliendo Cartusiensium claustro, amplectendisque Brunonis consuetudinibus animum adiecisse. Sed de his fides sit apud nonnullos Scriptores.

VI.

1116. *Cartusia Maiorevi*. Nomen deduxit à Castro in quo excitata, Castrũ verò ipsum à *Maioreuo*, ijs confinibus à Valentiniano donato, qood maluisset oculo dextro carere, quàm principem prodere. Patet ex inspectione tabularum Maiorevi in quarum vna habetur. *Nouerint omnes præsentes, & futuri, quod Valentinianus*

nianus Imperator anno decimo Regni eius concessit Maioreno eius Cubiculario quidquid ei antea dederat in Montibus & Vallibus prope Vallem Helnonis, prope Vallem Michalia, & prope montem del Cambet, cum omnimoda potestate alte. & basse. Domos, Turres, Castra, & Vrbes construendi, Leges condendi, propria numismata fabricandi, ita agendi ac si esset Imperator. Eo quod ille maluit oculo orbari dextro, quam clauim cubiculi Imperatoris tradere Arbogasti Hosti. Apud Isernoros Kalendis Aprilis. A tergo hæc scripta erant. *Maiorenus ædificauit Vrbem de Balmeto, à qua nomen sortitus est, & Castrum proprio nomine ab ipso vocatum Maiorenum in Valle de Meria*, &c. Hæc præmissa ad celebrandam nobilitatem generis Pontij de Balmeto, quem Auctorem huius Cartusiæ declarat tabula subnexa, exarata 1116. *Vuilelmus prima Lugdunensis Ecclesiæ Decanus, vniuersumque eiusdem Ecclesiæ Capitulum omnibus Christi fidelibus salutem, & pacem. Nouerit quicumque vestrûm hanc cartam aut legerit, aut viderit, quod Dominus Pontius de Balmeto Lugdunensis Ecclesiæ prædictæ Magister, & Pœnitentialis, atque Canonicus, Vallem Maiorenum nominatam dedit, & liberè concessit Fratribus Ordinis Cartusiensis: Fratri videlicet Stephano pro Priore ibi misso, Bono Filio, & Lanfrido Conuersis, & omnia in prædicta Valle nemora, prata, existentia, cum omni iure proprietatis, & dominij alti, & bassi, nihil inde sibi, vel suis retinens, quin potius omnia præmissa cum suorum appendentijs vniuersis, prædictis Religiosis pro se, & posteris suis ibidem heremiticè Deo famulaturis deuotè consuluit, & concessit, quæ ipse, & sui iure parentum hæreditario pacificè possidebant, ad testimonium autem huius donationis, & ad remouendam materiam quæstionis in rebus prædictis, dictus Pontius sicut ipse, suique Antecessores possederant terminos designauit, Montem Valesium in aditu prædictæ Vallis, à qua donationem suam terminare incipiens, peruenit ad Montem Bardonem, à septentrione vnde progressus ad cacumen supra fontem, Albarona, à meridie procedens ad Roccam de Maconoleto, & deinde ad Castellionem: Garnerius de Balmeto, & Vuillelmus Dominus Dorchia milites prædicti Pontij Fratres prædictam donationem approbarunt, & laudauerant in præsentia. Actum in Capitulo nostro Lugduni anno Domini 1116. cum appositione nostrorum Sigillorum.*

Cœnobitis huius Domus scribit Petrus Venerabilis Ep. 24. Lib. 6. in qua inter cætera Ord. commendat dicens, *Instituta Cartusiensia vniuersarum Religionum institutionibus prætuli à primis penè adolescentiæ annis.* In quos etiam munificentissimus Thomas 1. Comes Sabaudiæ, & Marchio in Italia concessit quicquid infra eorum terminos habebat hoc monumento. *Thomas Marchio in Italia De Fratribus Maioreni quidquid habere possum, infra terminos eorum, vt pro me Deum orent. In testimonium Sigillum ijs apposui Anno Domini M. CC. IV.* ex gestis Pontij de Balmeto, apud Auct. Anonymum; Thomæ à Sabaudia, penes Probationes Genealogicas Regiæ eiusdem Familiæ; nec non, & ex Serie Episcop. Bellicensium, L. 11. Galliæ Christianæ; *Monumentisque Historicis à Chiffletio, Manuali Solitariorum præfixis.*

VII.

1117. *Cart, Montis riui* in Diœcesi *Massiliensi*. Hæc domus ab Episcopali Vrbe Tolonensi versus Septentrionem, & à Monte Balmæo, vulgò S. Baume quatuor leucis distans initium habuit An. 1117. munificentia quorumdam huius regionis Dominorum, inter quos fuerunt Domini à Soleria, de Soliers dicti, Gaufridus scilicet, Hugo, & Fulco Fratres, nec non vxores præfatorum Hugonis, & Fulconis, qui omnes vno consensu huic nouo Asceterio dederunt iure perpetuo campum Gauadani, cuius donationis extant litteræ datæ A. 1123. 8. Maij in præsentia D. Guillelmi Ep. Tolonensis, D. Benedicti Prioris, D. Petri Procuratoris, Michaelis, Petri, & Ioannis Conuersorum. Accreuit deinde beneficen-

neficentia Antistitum Massiliensium, Monacorumque Benedictinæ, & Cisterciensis Institutionis: nam quemadmodum apud Galliam Christianam lego, Raimundus III. *A.* 1141. sacra iura præscribens ratam habuit donationem Monti: Riuio factam à Massiliensi Benedictinorum Priore. Fulco ex Abbate Toroneti, quod Cisterciensium sodalitium, ad Massiliensium pedum euocatus, in gratiam Bertrandi Montis: Riui Præfecti compescuit vexationes ab hominibus de Meuræ religiosissimæ huic familiæ illatas, sententia pronunciata 1174. ad 7. Kal. Iunij, & 1185. Cal. Maij Fulcone alio eiusdem Domus Præsule exemit à solutione decimarum Episcopalium prædia quæque amplissimis Monasterij limitibus conclusa. Agunt de hac Cartusia Io. Bapt. Guesnay in Annalibus Massiliensibus sub An. 1172. n. 2. Honoratus Bouche, in Hist. Prouinciæ, Petrus Louvet, de Beauuais, in compendio Hist. Prouinciæ eiusdem, quæ etiam, Guillelmo, Anno à lapide primordiali duodeuigesimo, eius Rectore, indeque ad Solium Arelatense prouecto, & subinde à B. Ioanne Hispano, diuinis post mortem signis corrusco, administrata, iufulatis, sanctissimisque gauisa est incunabulis.

VIII.

1122. *Cart. Araceria in Bressia.* Initiatorem, & benemeritos prodit membrana Cartularij eiusdem loci, in qua habetur.

Hæc sunt Nomina Benefactorum nostrorum.

Amedeus Comes Sabaudia qui obtulit locum istum Deo, & Beata Maria, & Ordini Chartusiensi.

Humbertus Dominus de Belloioco qui prædictam domum confirmauit, & Grangiam de Faollet acquisiuit.

Guichardus Filius eius qui Cellam vnam fecit.

Amedeus Comes Sabaudia qui nobis dimisit mille solidos, & praalliam ab hominibus de Sasiriaco liberatam nobis tradidit perpetuo iure possidendam.

Stephanus Decanus Lugdunensis, qui vnam Cellam fecit.

Artoldus Decanus de Sasiriaco, qui Refectorium construxit.

Petrus Seneschallus Lugdunensis, qui fecit Capitulum, & Grangiam de Rauoria contulit.

Magister Pontius fecit Hospitium Religiosorum Domus inferioris, cum cella Prioris.

Aymo, & Hugo de Varennes adificauerunt Ecclesiam.

Aymo de Riuoria fecit dormitorium Fratrum.

Petrus de Chimilieu, & duo fratres eius adificauerunt Coquinam.

Alij Benefactores huiusce Domus sunt.

Henricus Rex Anglia.
Pontius Episcopus Matisconensis.
Ardutius Episcopus Gebennensis.
Antelmus Episcopus Patracensis.
Bernardus, & Guillielmus Episcopi Bellicenses.
Petrus Episcopus Glandauensis.
Perrinus de Luyriaco.
Antelmus de Balma.
Artaldus de Sancto Romano.
Hugo Palatinus.

Collatis

Collatis à tot Benefactorum pietate facultatibus ditata Arueria, Cartusiensis disciplinæ consuetutinibus morem gessit, cum incrementis suis limites statuit, prout in sequenti vocalium omnium sancito. *Nos inquam Arueria Fratres in hoc etiam prouocati certos terminos heremo nostro præfiximus, quos etiam presenti ad notitiam futurorum transmittere congruum duximus. Ab Oriente antra luporum, fons fagi de Moiret, A meridie Iordanis, Chardura, leuret, ab occidente Cumba Graffiltonis, Efforatorium, Ab Aquilone prati Annuelis extrema pars, & crista de vacino. Hos namque terminos circumquaque positos diligentia tanta describimus, non quod infra eos quamuis totum, si fieri posset paupertati nostra crederemus necessarium, præter nos alter nil habeat, sed quod nobis vltra quicquam immobile, vel censuale iure aliquo possidere non liceat.* Antiqua hæc Arueriæ Domus monumenta profert Guicenonius To. 1. Hist. Genealoq. Regiæ Sabaudiæ Domus, itemque in Hist. *Bressiæ*, & *Bugesij*, vbi etiam, parte quarta Probationum, pág. 177. extat Diploma Tomę 1. Sabaudiæ Comitis, quo Monachos, & bona eiusdem familiæ sub sua protectione excepit, , *Ego Thomas Comes Sabaudia, & Marchio in Italia. Omnibus præsentem cartam inspecturis notum facio, me pro remedio anima nostra, & parentum nostrorum, in mea custodia demum Arueria suscepisse, cum enim prædicta domus prædecessorum nostrorum elcem sinis sit fundata, iustum est eam tanquam res proprias me defensare.*

IX.

1126. *Cart. Vallis-clusa* in Burgundiæ Comitatu, Institutore Hugone Domino de Cusello. Ex Bibl. Sebusiana cap. 96. in monumentis Pontij de Cusello genitoris eiusdem Hugonis.

X.

1134. *Cart. Montis Dei.* Cōdita fuit in Diœcesi Remēsi, & Præfectura *Mosomēsi* ad honorem Matris Dei, eiusque Præcursoris ab Oddone Abbate, & Capitulo S. Remigij, quibus manus adiutrices præbuere Richardus Abbas Mosomensis, & Vrceo Diui Dionisij, alijque solemnes Proceres, collatis agris, quos in confinijs possidebant. Locus vbi metata est, Mons Bosonis prisca nuncupatione vocitabatur, qui postea à Cartusiensium incolatu præclaro Montis Dei titulo insignitus. Antigraphum erectionis hæc omnia prodit, quod exorditur. *Vniuersorum Domino famulantibus memoria tam præsentium, quàm futurorum fixum esse volumus, quod Ego Odo humilis minister Ecclesia B. Remigij, totumque Capitulum eiusdem Monasterij, communicato mecum labore prompta voluntate, & pia deuotione benignum præbentes assensum, Cænobium in quo vsus, & sacras consuetudines Cartusiensium honesti moribus fratres teneant, & custodiant in fundo Ecclesia nostra, videlicet in loco, qui mons Dei nuncupatur (nam antiquitus vocabatur Mons Bosonis) in honorem Beata Mariæ Virginis, & S. Ioannis Baptista construximus. Actum Remis Anno Incarnati Verbi M.C.XXXVII Ind.XV.* Consecrationis Ecclesiæ seruatur hæc Inscriptio. *Anno Domini M.C.XXXXIV. dicata est Ecclesia ista à Samsone Archiep. & Gosleno Suessionensi Episcopo, & Milone Taruanensi.* Dotlandus ex Kalcar hoc Asceterium inserit intermiro Dei nutu excitata, ob Cartusiensium conuersationem Odoni, cui ante erat ignota, Romæ pro Ecclesiæ suæ curis degenti in sommo frequentissimè obiectam, eumdemque Gallias repetentem ab itinere deuium, & errabundo per montium abrupta gressu, ad Cartusiam Maiorem, nusquam visam, deductum, vbi exceptus, inspexit ipsos Cænobitas esse, & Anachoretas, quos albo indutos colore in publico nullos, aut raros, in choro assiduos, silentio mutos, corpore ad ieiunia, cilicia, vigiliasue durato, sibi dormienti in mentem reuocari adeo crebro stupebat, animumq; addidit absolutissimæ perfectionis ordini ampliando.

Monachi

*M*onachi huius Cænobij sunt Fratres de *M*onte Dei, ad quos extat Tractatus de Vita solitaria Auct. Guillelmo Abbate S. Teodorici, non verò S. *B*ernardo *A*bbate Clareuallensi, licet eius operibus commisceatur, multoque minus Petro Cellensi, prout alij autumant; Nec ego Sententiæ exactissimè iam ventilatæ à *B*ertrando Tissier Monacho *A*nonymo collectore, & euulgatore operum Petri Cellensis præfati, Vincentio Placcio, cum Gesnero diutiùs immorabor. Quanto autem studio idem Petrus Cellensis complecteretur *A*scetas eosdē satis apertè connotant sex primæ Epistolæ Lib. III. ad eos scriptæ, aliæque. Reliqua Monasteria Picardiæ infra se habet, puta Laudunensem in Diœcesi Valencenarum, *A*udomaropolitanum, Monstreolense, Nouiodunense, *B*ethuniense, Virile, & Fœmineum, Tornacense, Lemouicense, item, & Duaci adauctum, sed et hæc nonnisi dimidiata est amplitudo, nam Anno 1411. in duas dissecta est Prouincias, Picardiam propinquiorem, & *P*icardiam remotiorem; ab Anno tamen 1474. absolutè *P*icardiæ *P*rouincia nuncupatur, discrimine propinquioris abiecto, quòd *P*icardia Citerior ex tunc maluerit Prouin. *B*elgij, seu Teutoniæ dici, quæ omnia indicant Gallia *C*hristiana in Reginaldo II. & in Sampsone III. *A*rchiep. Remensi; Codex S. Remigij, penes *P*. Labbe, in Guigone ex Generalibus v. Dorlandus, Chron. Cartus. Lib. III. cap. 29. Bibl. *C*isterciensis, *A*uct. Carolo de Vuisch; *P*lacius, in Tractatu de Scriptoribus *A*nonymis. *P*etrus Vuallius, in Syllabo Visitatorum *P*rouinciæ Teutoniç; Raissius, in Origine Cartus. per Belgium.

XI.

1138. *Cart. Ripalia ad lacum Lemanum in Sabaudia:* Ripalia Eremus est Tonono Allobrogum Oppido adsita, & Anno 1626. Brunonis Assectis adaucta beneficio Caroli Emanuelis primi Sabaudiæ Ducis, *P*edemontij *P*rincipis, ac Cypri Regis, nec non & auspicijs Diui Francisci Salesij. Cum enim eamdem solitudinem primò incoluisset Amedeus III. amplissimo ex *P*rincipe humilis Anachoreta, & ex Anachoresi ad summi *P*ontificatus apicem, sub Felicis V. nomine, euectus, & deinde Canonici Regulares, quorum sequestrem à *M*undo conuersationem Amedeus ipse seruauerat, hæresi ab ijsdem confinijs, Apostolici *S*alesij prædicatione profligata, Optimus Princeps *C*arolus illico cogitauit de *C*artusiensi viuendi norma Augustini Assectis sufficienda. Accessere, & Sancti Antistitis Francisci, maximi ponderis, apud pium Ducem instantiæ, qui sub Dat. Annecij Gebennensium Anno 1624. in hanc formam Carolo scripsit.

Serenissime Princeps. Cum Anno proximè elapso Celsitudinem vestram debiti Obsequij ergo adijssem, de Cartusiensibus in Abbatia de Filly in Chablesio collocandis sermonem inieci, quorum exemplo, & pessundata in ijs regionibus pietas instauraretur, & religiosissima eiusdem Abbatia primordia reflorescerent. Vt verò certior factus sum Celsitudinem vestram animum adiecisse eisdem in Prioratu Ripalia stabiliendis, magnam inde hausi lætitiam, & piam mentem quantocyus executioni mandet exoro, vt nostra Ætate eam reuirescere Eremum gaudeamus, quæ latam adeo famam ex Sanctissimo Celsitudinis vestræ prædecessorum secessu vbique gentium promeruit. Enimuerò initialis eius splendoris restitutionem haud faciliùs ab alijs auspicandam reor, quàm à Cartusiensibus, qui beneficijs Sabaudia Domus ab incunabilis adaucti, eidem deuinctissimi, ac obsequentissimi ex tunc perstitere. Interea D. O. M. enixè interpellare perseuerabo beneficiam amplissimum aqua remuneratione compenset vberioribus suis gratijs effusis in coronam, ipsamque Celsitudinis vestra Personam, cui viuit Humilissimus, Obsequentissimus, ac Fidelissimus Orator ac seruus F. E. D. G. Igitur ad votum Sanctissimi Episcopi Ripaliam

 ingressi

ingressi Cartusienses, non tantùm vetera Augustinianorum septa replent, sed & ipsam Amedei Aulam occupant, cellis distributis per Turres, quas Equitibus Eremiticam secum agentibus vitam Princeps Anachoreta excitarat. Eodē tempore Præpositi Generalis sancito Plantario Ripaliæ successit facultatibus, & Antiquitati Cart. Vallonis, quam conditam à Dinastis de Langin, & de Balcisone in Montibus Fulciniaci, quinto à Geneua lapide Bernenses dudum euerterant. Hoc nomine labenti licet in hac Ætate reliquis Ordinis domibus accensita, vndecimum inter easdem implet locum. Videantur Ep. 43. Diui Francisci Salesij: Bibl. Sebusiana, in Notis ad Cap. 21. Centuriæ primæ; Historia Genealogica Domus Sabaudiæ, & Historia Pontificum, & Cardinalium Ciacconij, Ferdinandi Vghelli, Oldoini, aliorumque.

XII.

1140. *Cart. Vallis S. Petri in Diœcesi Laudunensi.* Fundator, (inquit G. Surianus pag. 432.) D. Reginaldus, Dominus de Rosoy in Tierassio dedit A. 1140. cum annuis prouentibus ædificandæ Cartusiæ, cui & fundum Correriæ protinus adiecit. Delegatus per Superiores Ordinis Iordanus professus Montis Dei, qui postea ab Eugenio III. Pont. Max. Card. renunciatus est, & ipse locum metatus est in valle. Hactenus Surianus. At Renatus Choppinus, Monast. lib. 11. pag. 214 & 225., initiatam inquit per Cap. S. Remigij Remensis, & accreuisse munificentia Mon. S. Michaelis in Terascia, ac Vallis-claræ, itidemque Ingelrami Comitis Suessionensis. Inter eius Rectores præcelluit Engelbertus, qui postea Ep. Cabilonen. adauctus, vir namque suo Æuo clarissimus, ab eruditione, solertia in agendo, & Principum, doctissimorumque hominum consuetudine opidò commendatus. Modò antiquam Vallis S. Petri nuncupationem retinet, licet Patres desertis sedibus, quas ab exordio habuere in imo Vallis, æditiori in loco, & in claustro schemate nitidiori sibi excitato, immorentur.

XIII.

1146. *Cart. Vallis S. Mariæ in Delphinatu, in Marchionatu Royanesij.* Chorerius Hist. Delphinatus P. 2. lib. 1. §. 10. tradit exordia sua numerare ab Anno 1141. qui alibi, Lib. nempe 8. §. 15. docet Garnerium de Balmeto Vallis sub nuncupatione S. Mariæ Dominum, Sæculo posthabito, Christo inter Cartusienses adhæsisse, facultatibus inter filium Aymonem de Balmeto, & hanc Cartusiam dimidiatis. Vallis S. Mariæ portio fuit, quæ Ordini attributa, huic Monasterio opes titulumque donauit. Idem Garnerius priusquàm sub Brunone stipendia faceret, vt in Elogio Pontij de Balmeto inter Insulas præmisimus, erigendis Maiorenii septis, vnà cum eodem Pontio operam, opesque contulerat, vt nouerit Lector, nobilem Balmetorum familiam prosapiæ splendorem, facultatum luxum, morumq; sanctitatem in hunc Ordinem non semel intulisse. Eminet hoc Claustrum Humberti Delphini Viennensis Monachatu, qui Anno 1297. Anna vxore è viuis sublata, Mundo & ipse obijt, vita in Christo abscondita, sub Cartusiensium Proposito, imposterum victurus.

XIV.

1151. *Cart. Sellionis prope forum Sebusianorum in Bressia.* Genesis petenda ex conuentione inter B. Abbatem Ambroniacensem, & D. Priorem huius domus, qua sancitur eadem suffragia persoluenda in domo Sellionis pro Mon. Ambroniacensibus defunctis, qualia fierent pro eiusdem familiæ Asceris. Verba sunt. *Anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo sexagesimo octauo Otho Sacerdos, & Monachus Ecclesiæ Ambroniacensis cupiens vitam anachoretanæ conuersationis apprehendere, & secundum huiusmodi sanctæ Institutionis rationem conuersari, feruenti deuotione*

uotione ductus exijt de dicta Ambroniaci Ecclesia, & accessit ad Syluam Sellionis gratia faciendi in ipso loco residentiam, quandiù sibi ab alto concederetur, & verens si in alieno fundo cellam statueret, ne fortassis reprehensibilis videretur, recessit in fine dictæ Syluæ videlicet in confinibus Parochiæ Ecclesiæ S. Petri de Brou ad dictam Ecclesiam pertinentis, & in ipso loco propè fontem ibidem à Domino sibi preparatum Anno prædicto Oratorium in honorem B. Mariæ semper Virginis erigere cœpit & iuxtà ipsum Oratorium cellam suam construxit, in quo loco per plures annos sedit & quamuis infirmitatem podagræ in ipso loco per longum tempus sustinuerit, adeò etiam quod ex ipsa infirmitate summitates manuum, & pedum videlicet extremam partem digitorum, & articulorum amiserit, tamen in ijs, quæ sunt huiusmodi anachoretæ conuersationis sedulò institit. & post multos labores infirmitatis prædictæ, & vigiliarum, ac ieiuniorum continuationem cursum præsentis vitæ in huiusmodi sancto proposito laudabiliter finiuit. Post cuius quidem dicti Othonis decessum Vir quidam Martinus nomine Sacerdos & Religiosus intrauit locum prædictum, & volens habere institutorem qui eum in ijs, quæ sunt legis diuinæ instrueret, & in ordine sanctæ Conuersationis dirigeret, obtinuit præfici in Abbatem ipsius loci Clementem Monachum Monasterij Ambroniaci prædicti, qui quidem Clemens ritu Ordinis Cartusiæ, & fixa conuersatione personarum eiusdem delectatus se, & Fratres de Sellione anno Incarnationis prædicta millesimo centesimo octuagesimo septimo transtulit ad prædictum Cartusiæ Ordinem. Hæc Monasterij Sellionis rudimenta, cui vt lautioribus abundaret prouentibus Raynaudus de Baugiaco cessit quicquid infra eius terminos possidebat tam in saltu, quàm in planitie, nemore, & agro. Quibus largitionibus malens addere, quàm demere Vlricus Dominus Balgiacensis, Raynaldi filius, carta signata Anno gratiæ 1180. 11. Kal. Aprilis, approbat, & confirmat laudatam Patris donationem, eamque impinguaturus addit quicquid habebat in confinijs Nigri fontis, partem scilicet eiusdem loci mediam, quicquid apud Vassalliacum possidebat, scilicet tenimentum Rellio, & de Caramilas, quicquid iuris sui erat in nemore, & planis de Montarnol. Famulos Monasterij in tota sua Ditione delinquentes, per alios Iudices plecti noluit, quàm per eosdem Cœnobitas, lege in hanc sententiam lata. Vectigalia cuncta eisdem concessit. Raynaldus ideo, & Vlricus potiores habentur huius familiæ benefactores, quibus Archiuij Tabulæ accensent Guichardum, & Guidonem fratres, cognomento de Flamens, & Humbertum II. Archiep. Lugdunensem, perperam à Paradine, & Seuertio Fundatoris titulo decoratum. Lector consulat Guicenonium. Historiæ Bressiæ *P* 4 pag. 141. Hist. Bugesij *P.* 2. præter Recensores Antistitum Lugdunensium.

XV.

1151. *Cart. Repausatorij* in summa Fusciniaci montium crepidine excitata, loco verò antea *Brol* dicto, & postmodum ab Anachoretis huius Institutionis turbis procul mortalibus, votis Creatoris in contemplatione quiescentibus antiquata prisca nomenclatione, Repausatoriū appellato. Enituit in eius erectione cum promotoris, primique Antistis Ioannis ex Hispania oriundi, ideoque Hispani nuncupati sanctitate, prout supra inter Sacros Fastos Religio, & in Cartusienses propensio trium Germanorum fratrum Rodulphi, Arduini. & Aymonis, Fusciniaci Toparcarum, è quibus Rodulphus, qui iam S. Conuersationi inter Conuersos, vt vocant, se le dederat fundationi subscripsit; Arduinus, Gebennensis moderator Ecclesiæ fundationem ipsam vltrò comprobauit, primumque lapidem iecit; Aymo verò pijssimus Institutor, votorum summam attigisse se refert, cum libuit Cartusiensium Coloniam in suam Ditionem Anno millesimo sesquicentesimo primò traducere. En verba, à quibus donationis

pagina exorditur. *Ego Aymo de Falciniaco multum desiderium, & promptam iam à multo tempore habens voluntatem, quatenus pro anima mea salute, omnisque mea posteritatis, & successionis, Domum* (si fieri posset) *Carthusiensis Ordinis in meo adificarem, & construerem territorio, tandem à Domino exauditus, &c.* Reliqua cum pigeat transcribere ex originali, lubet subdere populorum adiacentium munificentiam, qui facultatibus collatis Monachorum inopiam subleuarunt, & latifundia ad stabiliendam substantiam impertiere: nam quemadmodum in vita laudari B. Ioannis Hispani, *Domum maiorem, & minorem ipse construxit, exemplo virtutis permouit homines loci illius ad facultatibus iuuandos Monachos, qui à Comite solo tantùm donati, scribendo sacros Libros vitam transigebant.* Eadem Io. gesta Lector adeat, nec non, & Bibl. Sebusianam, Cent. 1. cap. 7. T. 2. Galliæ Christianæ, vbi de Arduino Ep. Geneuensi; & Genealogiam Domus de Cassenatico, Lib. 11. § 6. pag. 39.

XVI.

1156. *Cart. Bona Fidei*, Calmeliacense vbi olim Cœnobium, ad Orientalem Aquitaniæ plagam, in Velaunia, Diœcesis Viuariensis, sexta à Podio Leuca, educitur à fundamentis à nobili viro Guillelmo Comitis Tholosani filio circa humanæ restaurationis A. 1156. Collegiorum huius professionis in eadem Aquitaniæ Prouincia est Primas, aliorumque suo ære fæcundissima Parens. Bonæ Fidei titulum iure meritò sibi impositum tunc potissimùm patefecit, cum reparatæ salutis Anno sesquimillesimo septuagesimo Caterij furor, eo turbine, quo Aquitaniæ reliquum, hoc etiam Brunonis Sodalitium inuoluit. Gestijt sublatos debacchante à Caluino filios, quos astris laureandos pareret, & silentio Anachoresis præcone inter *Monacos* recensendos; cruore verò, qui fidei lingua, inter *Martires*. Flammis gratulata est suis, queis Cœnobitæ in victimam, Cœnobium in Aram transijt. Risit pretiosam supellectilem militis expilatoris prædam abire, eò futura imposterum ditior, quò nihil sibi præter Christum superesset; nam ex tunc opibus exuberantior, Molinensem, & Aniciensem recenter conditas Domos suis ipsa redditibus excitauit.

XVII.

1163. *Cart. Scala Cæli in Catalaunia* ab Alphonso II. Aragonum Rege, & Barcinonensium Comite instaurata, in Comitatu Pratensi. Quos primus habuit inquilinos; fuerunt autem Petrus à *Monte* Sancto, Gerardus, Anselmus, Raymundus Sacerdotes, cum Fulcone, Pontio, & Raymundo Laicis Conuersis, dedere Cartusia maior, & Eremus Repausatorij dicta. Ædificium imam vallem latè occupat, vtpote non vno cellularum ambitu, seu claustro spatiosum, sed tribus, quorum primum Alphonsus condidit A. 1167.; alterum Ioanes Iacobi Aragonij filius, & Archiepiscopus Toletanus extruxit, absoluitque 1333. tertium autem Berenguerius Gallart Ciuis Ilerdensis posuit A. 1403.

Ecclesiam Virgini in Cælum assumptæ inscriptam construxit Guillelmus de Sirca summus militiæ Aragonicæ Præfectus ad An. 1232. cuius nomen sub Anno præfato suis Commentarijs Zurita intulit Lib. 2. Indicis Aragoniæ, & exuuias è Cœnobio Populetano traductas Monachi collocarunt in Odeo cum hac inscriptione.

Admodum illustris nobilisque D. D. Guillermi de Sirca,
qui hoc sacrum Templum circa Annum Domini 1228.
fundauit, fœliciter. O mors isto lapide teguntur Ossa!
Perfruitur anima gaudijs summis Poli.

Vbi

Vbi modo sacrarium visitur fuit olim Pinus, propequam conspecta Scala, è solo syderibus hærens, vt mox dicemus. In claustro ab Alphonso fundatore instaurato iacet modo antiquum cœmeterium, in quo & B. Io. Fort prædixit, Deo ita volente, futurum, & experientia comprobat, neminem, qui mortali noxa coinquinatus fatis concesserit, posse locum dormitionis accipere. Pagi de Torrebeses, Piuguerr, Casteldasens, & de Morresa, quando aliæ facultates deessent, locupletando Monasterio sat essent.

Scalæ Cæli attitularione Eremus hæc à reliquis Cartusijs distinguitur, & quemadmodum Scala è terra Cælum attingens, Angelique Cartusiano indui cucullo per eam ascendere ac descendere crebrò visi, Alphonsum excitarunt ad moliendum sacræ munificentiæ amplissimum monumentum, nomenque splendidissimi secessus edocuit, ita Ascetas monet non sapere nisi quæ sursum sunt, quod quàm abundè ijdem præstent liquet ex elucubratione Ioseph de Valle, vbi præter Ioann. Bertrandum, Ioannem Fort, Io. Ros, Io. Valero, Ludouicum Brù, Andream Capilla, Bernardum Gort, Simonem Nouillam, ac Ludouicum Telm Angelicos viros, alios Monastica conuersatione in paucis insignes enumerat ad sexaginta. Theutonius de Bragantia Eborensis in Portugallia Hierarca ideo aliud consimili Scalæ Cæli, seu Scalæ Dei nuncupatione molitus est Asceterium; quod aliquando hospes in hoc Catalaunensi animaduertisset quanam animorum contentione pijssimus ille Monachorum cœtus conaretur rebus procul mortalibus Diuorum societati se iungere. Tantæ fundationis mentio fit penes Bzouium Tom. 13. A. 1339. Zuritam, in Indice Aragonico sub eodem Anno; Raymundum, in Hist. B. Mariæ de Mercede, vt omittamus luculentam de ea narrationem à Ioseph de Valle, vt diximus, conscriptam.

XVIII.

1165. *Cartusia Seitzensis sub appellatione Vallis S. Io. Bap. in Marchionatu Stiriæ.*

Anno 1155. Ottocarus Stiriæ Marchio venatum aliquando egressus vidit ingentis formæ, & pernicitatis præstantis Ceruam, quæ citato cursu prætervolans Venatores, locum vsque peruenit in quo nunc ædificatum cernitur Monasterium. Vbi cum substitisset aliquantisper, subitò ex oculis mirantis Marchionis euanuit. Quo spectaculo Princeps obstupefactus, ex equo descendit totus cogitabundus, cumque sub arbore resedisset, obdormiuit. Ecce autem videt in se venientem hominem humana forma augustiorem, Sole lucidiorem, niueo habitu vittato indutum, auditq; dicentem sibi: Ottocare salue, noli timere: Ego sum Ioannes Baptista filius Zachariæ. Ex parte Dei Omnipotentis Nuntius venio tibi, significoq; voluntatem numinis esse, vt mei in memoriam ædifices hoc in loco Asceterium. Facerem, inquit ille, si scirem, cuius Ordinis esse debeat. Tunc Ioannes denuo: Septuaginta nunc anni sunt, ex quo magnus, diuinusq; Theologus B. Bruno natione Theutonicus Ordinem instituit Eremiticum, cuius hic candidum me vides gestare habitum, ex illo de Lige tibi Coloniam virorum, mitte ad Basilium Cartusiæ Priorem, & ille tibi eos summittet. Et his dictis recessit in Cælum. Venatores interim venatorijs cornibus omnia ventilabant. Quorum clamoribus excitus è latibulo lepus, ad dormientis sinum Marchionis confugit. Qui protinus à somno excitatus dixit Sclauonica lingua *Seitz*; quod leporem significat. Vnde, & post modum ab euentu vocatum est, quod inibi ædificauit, Monasterium S. Ioannis in Seitz. Dotauit illud impensè, multaque priuilegia, & Immunitates eidem concessit.

Amplitudinis, & antiquitatis ergo in sede generalitiā delecta fuit hæc domus, cum Vrbanus VI. iussit Ioannē Barensem Ordinē moderari, amoto Guillelmo

 Ray-

Raynaudi Antipapæ fautore, Cartusiam Maiorem tunc occupante. Leges præscribit Prouinciæ Alemaniæ Superioris, in qua desiderat Monasteria olim insignia Vallem S. Mauritij in Gyrio Slauoniæ, lapidem refugij in Hungaria, Horrum Beatæ Mariæ prope Pragam, Vallem item S. Antonij, Vallem Auxilij, Vallem S. Michaelis, & Thronum Sanctissimæ Trinitatis, de quibus suo loco.

Mirificè etiam per aliquot sæculorum volumina Cartusiana hic viguit obseruantia, rigor, & vigor Ordinis; donec Religiosi quidam alij locum cernentes penè exhaustum cultoribus iniuria bellorum, postularunt à Summo Pontifice redditus, & prouentus sibi concedi, partem ad subleuandam Cameram Apostolicam, partem ad Seminarium erigendum; quod, & concessum est Ordine Cartus. fortiter, sed frustra se opponente: & actum erat procul dubio, nisi V.P. Franciscus de Quintana illi sæculo succurrisset. Qui impetratis Regis Hisp. Philippi II., & Dominæ Imperatricis sororis eius litteris ex Carthusia sua de Paulari profectus Romam ad Summum Pontificem, quantocyus ab eo restitutionem petijt, & obtinuit anno 1593. Accidit autem tunc stupendum quid, & mirabile. Si quidem Campanæ Monasterij sponte sua se concitarunt, & sonuerunt, concentusq; Angelicus ibidem auditus est. Quod cum V.P. Fr. de Quintana, qui Pragæ in Aula Imperatoris decumbebat ex morbo nuntiatum fuisset, adeo exhilaratus est, vt, & statim melius habere cœperit, & lætus præ voto, festinus præ gaudio, quantocyus illuc profectus sit. Vbi primus loci Prior initiatus est, & mox Visitator totius Germaniæ Superioris, immortalem sui memoriam reliquit beneficentiæ in ordinem, & zeli feruentioris testem.

XIX.

1170. *Cartusia Vallis Dei, in Diœcesi Sagiensis Sylua, Reno nomine.* Rottodus, seu Rottoldus III. Pertici Comes suam hanc esse fundatitionem perpetuò constare voluit tabulis ab Arturo de Monstier euulgatis. *In nomine Sancta, & indiuidua Trinitatis Amen. Ego Rottoldus Dei patientia Comes Perticì dictus, vnà cum vxore mea Matillo, nec non, & filio meo Gaufredo, cum vxore sua Matilli, tam modernis, quam posteris notum fieri volumus me Fratres Cartusienses nutu Dei. & prouidentia, nec non consilio, & auxilio Domini nostri, Vuillelmi, Senonensis Archiepiscopi in terram meam adduxisse, vt iuxta morem Cartusiensium, domum Dei inibi adificent, & construant, &c. Hoc publicè actum est apud Resno Anno ab Incarnatione Domini, millesimo centesimo septuagesimo, in natali Apostolorum Petri, & Pauli: recipientibus ab ipso in Dei nomine eleemosinam, Simone Montis-Dei Priore, & Inchelto S. Petri Priore, assistentibus quatuor fratribus eiusdem Ordinis, nec non, & fratre Amberto fundatore loci illius.* Frogerius Episcopus Sagiensis suas comprobationis litteras addidit. Consecraretur ab Archiepiscopo Senonensi, effecit Petrus Cellensis, eidem scribens Epistolam 11. libri sexti. Magnis subinde aucta incrementis, at nedum regijs Codicilis suffultam, ea subsignauit S. Ludouicus nonus Datis apud Siluanectum mense Augusti 1233. Petrus secundus Valesius, Comes Pertici, Nepos Philippi pulchri à Pottìcu excitato, quod de eius adhuc nomine vocitatur, & censu ditaro, alijsque titulis secundus fundator non abs re æstimandus. Qui è mortalitatis statione reuocatus vigesima Septembris A. 1404. ad eandem hanc Cartusiam iuxtà supremam voluntatem deportatus est, & in Odeo conditus vnà cum Ioanna eius filia Virgine lectissima, quæ Anno 1405. patrem amantissimum subsequta deuixit. Epigraphem tumulò inscriptam, sed rythmicis gallicis, consulto hic prætereo, quòd prostet lectori Neustriæ piæ pag. 874. quemadmodum reliqua, quæ innuimus habentur Comitum Perticeosium in Historia, Bruyo Auctore, Lib. 1. Cap. 4. In Gestis Ep. Sagiensium.

XX.

XX.

1170. *Cartusia Vernè nuncupata in Prouincia Prouinciæ.* Nomen Verne à loco, in quo excitata, quemque in limine fundationis pro dote accepit, desumpsit. Dynastas eiusdem loci de Verne eodem tempore Monacos excepit, quo conditores habuit. Ijs terreno ex iure septum condere, in quo ex præpotentibus humiles; ex opulentis, inopes; ex legum præscriptoribus, obedientiæ filij subessent Christi amor suasit, quo impellente, Cœnobitis ex Cartusia Maiori euocatis se, suaque omnia in Diui Brunonis ius transcripsere, largitionis postea comprobatoribus Raymundo de Foulquerijs *A.* 1204. Raymundo Berengerij, Comite Prouinciæ 1213. & Ludouico Rege Siciliæ. Fides est apud Renatum Choppinum *Monast.* L. 11. pag. 226.

XXI.

1173. *Cart. Vallis S. Hugonis in Sabaudia*, iuxta Oppidum la Rochette, Diœcesis Gratianopolitanæ. Cœlestia, quibus condita, auspicia ex veteri monumento, ibidem asseruato sunt hæc.

Locus iste, cui nomen Vallis de Ben vetustas dederat, nunc verò Vallis S. Hugonis S. Hugone nuncupatur authore, nam quomodo, & quando construi, inhabitarique à Religiosis, velut à Senioribus nostris comperimus, in subiectis narrabimus. Cum autem in parte quadam ipsius vallis ruricola habitarent, quidam ipsorum sæpius viderunt, in loco, vbi nunc Monasterium fundatum est, Episcopum quemdam pontificalibus ornatum procedentem cum duodecim Monachis, Cartusiensis Ordinis habitu præcandidis, vnde arbitrati sunt ipsum Episcopum fore S. Hugonem Gratianopolitanum quondam Episcopum, qui iam è sæculo migrauerat sub anno 1132. Kal. Apr. Venit verò vt prædicta visio in auribus multorum deuotorum nobilium Virorum, ac Mulierum vulgaretur, quorum Deus Corda tangens, locum ipsum vnanimi deuotione fundantes, ac nobiliter dotantes possessionibus, Montibus, & terminis spatiosis, tandem demum vallis S. Hugonis nuncupari voluerunt. Fuerunt verò Fundatores specialiter septem. Capit itaque domus ipsa construi, & inhabitari Anno 1173. Consumatis autem Ecclesiæ ædificijs vocati sunt duo Episcopi ad eam dedicandam, & cum ex eorum more peragentes officium ventum esset ad locum vt altare consecrari, & vngi sanctificato chrismate deberet, videntibus ipsis Episcopis descendit vnctionis chrisma sanctum de Cælo, ipsumque altare inunxit, & consecrauit. Mirantes autem quod factum fuerat Episcopi dixerunt, quod Deus consecrauit homo consecrare non debet, & ita chrisma, quod secum ferebant non apposuerunt, in cuius rei signum seruantur ibidem vsque in hodiernum diem Corporalia, & palla altaris, super quibus vnctio diuina, vt prædictum est, descendit; hæc autem diuina consecratio facta est Anno 1189. 6. idus Nouembris regnante Cæli, & Terra Rege Domino nostro Iesu Christo in sæcula sæculorum Amen, &c.

Nobiles viri ac Mulieres, qui audita supernæ visionis fama manus admouerunt ædificio, non illi quidem, quod in præsentiarum cernitur, & œconomiam Cœnobitarum fundatricem agnoscit, sed exordiali humilioris structuræ quique lautos census contulere in Monachorum alimoniam, memorantur à Guidone Colard in recensione familiarum sanguinis splendore per Delphinatum pollentium. Qui omnes in Transumpto fundationis facto à Guidone Officiali *Maurianensi Anno* 1644. & à Francisco de Vuerthamon Regi Galliæ à Consilijs, in præsentia Ioannis Furgis Prioris, & D. Nicolai Viguer cum suo Archetypo collationaro, loquuntur, vt sequitur.

Gratia S. & indiuidua Trinitatis misericorditer nostra salutis admoniti, recordati sumus de humana statu conditionis, & vita fragilis lapsus ineuitabiles, quam sine termino ducimus in peccatis, bonum itaque indicauimus nos peccati seruos de manu mortis redimere,

redimere, temporalia pro cælestibus mutari, æternam hæreditatem pretio peritura possessionis comparare, ne duplici contritione conteramur, & præsentis vitæ miserius laborum, & dolorum initium sumamus, itaque Priori Nantelino, & ijs, qui cum eo venerans fratribus, vt Deo vacarent, quærentibus ipsis, & eorum Successoribus in æternam possessionem spatiosum Eremum concessimus. Ego Hugo Altiuilaris, & vxor mea Audisia, & Filius meus Hugo vnà cum cæteris iuris, qui aliquid habebunt in prædicta Eremo; hi verò sunt Gauffredus Aynardi, & filius eius Aynardus, Albertus, & Petrus, Beatrix Comitissa Gebennensis, de Guido Castronenc, Eydelina de Bond Villars, Iordana Aquabella, Vir prædicta Eydelina, Villencha de Moretel, & filij eius, Amertun, Humbertun, Petrus, & Bermondus, Hugo de Rochetta, & filius eius Guglielmus, & Hugo filius, Guglielmus Isendo de Aix magister templi, & cæteri fratres templi Cartulam eamdem, in qua continebatur donum, quod ipsi nobis fecerunt per vnum, è fratribus suis, Pontium scilicet de Valle sigillatum suo sigillo nobis miserunt. Ipsa verò Eremus, quam eis dedimus tres habet terminos. Ab Occidente locum, qui vocatur Monsiones à fossato, quod est in eodem monte, tendunt termini & descendunt ab Aquilone vsque ad riuum, qui vocatur fentione, & à prædicto riuo sentione vsque ad pratum Eldinum, sicut mons pendet ex parte ipsorum, & à prato Eldino tendunt termini vsque ad alpes Mauriana, &c.

XXII.

1177. *Cart. Luuiniacensis*. Initiatorem habuit Galterum de Bourgougne Antistitem Lingonensem, quem deinde abeuntem ex Insula, Cœnobitam excepit, & piæ vitæ clausula fato functum resurrectioni seruat in sarcophago condecorato inscriptione, quam subnecto.

Præsul Lingonicus sapiens ac mente pudicus
Nomine Galterus, sapiens, humilis quoque verus
Zelator cultus Christi, manet hicque sepultus.
Hic nos fundauit, pariter Templum dedicauit,
Fastum calcauit, Mundum stercus reputauit,
Noster & inde fuit factus, terrestria spreuit,
Ac habitum tenuit in quo cum pace quieuit
Anno milleno, centeno, septuageno
Octauo pleno, migrauit corde sereno.

Ex eiusdem Vita in Syllabo Episcop. Lingonensium.

XXIII.

1153. *Cartusia S. Ioannis in Diœcesi Turonensi sita*, propè Ligerum.

XXIV.

1143. *Cart. B. Mariæ de Allione in Sabaudia* impensis Humberti III. Maurianæ Comitis, in carta erectionis sic posteros alloquentis. *Quod intuitu fit pacis, & bonitatis, sic est stabiliendum, vt de cætero maneat inconcussum. Artifex enim est præsens Ætas, & id calumniosè tentat infringere, vnde lucrum sibi putat extorquere. Præsentibus itaque, & posteris notum sit, quod ego Humbertus Comes Maurianensis, & Marchio Italiæ, pro remedio animarum Patris, & Matris meæ, & parentum meorum, & pro remedio animæ meæ, amore Dei omnipotentis, istius Domus Allionis in Ordine Cartusiensi Fundator existis, territorio, & quidquid in illo loco de iure possidebam, prædicto Ordini, per manum Domini Guigonis Venerabilis Augustensis Episcopi tunc temporis Prioris Maioreni, cui præcordialiter adhibebam, quidquid ibi habebam, & quidquid ibi acquirere, emere infra terminos eorum potui, liberè donaui, & concessi. Hoc quidem vt prædixi donaui Deo, & B. Mariæ primùm, & Ordini Cartusiensi, & illius loci seruitoribus, prout melius ad honorem Dei, & ad vsum illorum euenire poterit, præterea, quia infra terminos huius Domus non multum abundant pisces, donaui Domui prædictæ Lacum meum de la Tuelli, quem iure possidebam.*

Volo

Volo iterum præsentibus, & posteris notum fieri, quod ego Humbertus Comes Mauriànensis, & Marchio Italiæ concessi, & liberè donaui Domui Allionis per totam terram meam nemora, & pascua, & propriè ad hyemandum oues pascua del Vellen, & ad pastum ouium Lagnelajour de Chapannay vsque ad territorium Marevarum, & Lagnelajour terram ad faciendum pratum cum Grangia, & feudum Guigonis Sibondi, quantum ad pratum pertinet, & nemus ad calefaciendum Pastores, &c. Latiùs Probationes Historicæ Genealogiæ Regiæ Sabaudæ Domus pag. 44., Vita eiusd. Humberti III. Tom. 1. cap. 8. quibus adstipulatur Papirius Massonius in Elog. Ducum Sabaudiæ.

XXV.

1170. *Cart. Pomerij, vulgo Pomiers, duabus tantum leucis à Geneua distans*, ad cuius exordia contulere quiequid possidebant infra terminos eiusdem Pomerij in pratis, nemoribus, syluis, hominibus, & feudis Vuillelmi duo Comites Gebennenses. Vuillelmus primus, inquit, excitatus sum ad pium opus, *Gratias agens Deo, qui Cartusianorum Fratrum, cæterorumque Religiosorum meritis & patrocinio cunctis inimicis meis confusis, mihique subactis Comitatum integrè restituit. Sub Dat.* 1179. Vuillelmus verò II. in Carta confirmationis, & ampliationis, id volumus, ait, *Cum Domum Pomerij speciali dilectione, & priuilegio debeamus amplecti, cuius fundatores extiterunt Patres nostri. In cuius rei testimonium &c. Actum Anno ab Incarnat. Domini* 1252. Tabulæ fundationis, & confirmationis, quæ iacent per extensum Bibl. Sebusianæ Cent. 2. cap. 13. à cap. 14.

Eamdem Domum sub sua protectione suscepit Petrus à Sabaudia, carta apud Piney data A. 1261., idque suffragante pro Cartusiensibus Henrico Ep. Geneuensi 61. prout Sammartani in Elenco.

XXVI.

1172. *Cart. Boni Loci Leuca distans à Salmis*. Primordia debuit Herueo Comiti Niuernensi, incrementa verò Hugoni de Noyers Ep. Autissiodorensi, teste Noua Biblioth. MSS. P. Labbe Tom. 1. cap. 58.

XXVII.

1172. *Cart. Casularum*, Eremum occupat solitudini Cartusiæ supremæ consimilem, quà Mondinus asperrimus Diœcesis Albensis Mons, in Subalpinis vergit ad occasum, septimo à Garrexio Liguriæ municipio lapide, sex verò horarum itinere à *Monte*-Regali. Primordia duxit à nonnullis amore Anachoreticæ conuersationis flagrantibus viris, quorum incompta, & frequentia per nemoris anfractus tuguria Casoti, & Casularum nomen monti dedere, qui etiam accersitis è Calabritano S. Stephani claustro aliquot ex Brunonis alumnis, præclaram Cartusianorum disciplinam profiteri voluere. Patrocinium deinde sumpsit à B. Virginis Præsentatione, & B. Guillelmo, suos inter Laicos, quos Conuersos vocant miraculis ad Sanctimoniam probato, eaque ratione Ecclesia B. Mariæ, & B. Guillelmi de Casotulo nuncupatur. Facultates debet largifluæ multorum benignitati, quos inter Anno 1572. Anselmus Episcopus Astensis, teste Vghello in eius vita, donauit Domum *Mallonis* de Turre possidendam; Domini de Caraxono subieeere perpetuo iure Costam foueam, quæ ex parte Casotuli est A. 1180. Guillelmus de Morotio filius quondam Amedei, donauit Cellam vnam in Alpibus Morotij, accipiente *Petro Mon.* administratore, idque A. 1180. quo itidem Rectore; quinquennio post, sub die 5. Aprilis Domini, & Commune Garrexij eisdem erogarunt Montaneas determinatas à *Collo de Caneta, à lapide magno, à Rascatio, à Cuneorbo, à Podio pilloso, à lapide de via, à cacumine Castelli in Petra Montis-Prisini per serram vsque in Ferrerie.*

Colonias emisit Vallis Pisij, Assumptionis B. Mariæ, Trisultanam, S. Bartholomæi; Albingaunensem, S. Petri, Sauonensem, B. Mariæ Lauretanæ nuncupatarum, traductis ideo ab ea palmitibus, quod præcipua semper fuerit respectio sanctarum eius animarum. Confirmationis diplomata obtinuit à Cæléstino III. *A.* 1192. ab Innocentio III. 1199. 24 Ian. bonorumque omnium à suis Prædecessoribus ei elargitorum à Iacobo de Porria 37. Ep. Astensi A. 1227. referente Vghello T. 4. Italiæ Sacræ, Priorem tunc temporis viuentem Petrum appellans, fortè alium à Petro primo eius administratore, qui initiatus 1172. quindecim vltra centū muneris Successores enumerat. Quæ omnia excerpsimus ex Archiuio eiusdem *Mo*nasterij.

XXVIII.

1173. *Cart. Vallis Pisij* celeberrima in Subalpinis Eremus, sita in Diœcesi *Mo*ntis regalis, sub titulo Assumptionis B. *Ma*riæ, & olim Vallis-ardua, aliquando etiā Vallis-benedicta nuncupata, modò nomē desumit à *Pi*sio flumine, à quo gratissimo murmure recreatur. *Mo*rotios eius conditores indicant sequentes tabulæ ab Originali desumptæ. *In Nomine Domini nostri Iesu Christi. Arnaldus de Morocio filius quondam Anselmi, & Amedeus de Brusa porcello filius cuiusdam Vidonis, & suus frater Anselmus, Amedeus Pulisellus Filius cuiusdam Robaldi, Vbersus de Breolo filius cuiusdam Adalrici, Arricus de Breolo, & sui fratres Ramundus Vuilliel-mus, & Amedeus filij cuiusdam Vberti, itemque Ioannes Prior Ecclesiæ S. Blasij de Morocio, iubente Abbate Fruterij cum omni suo Capitulo, omnes isti Domini de Morocio fecerunt donationem in manus Vldrici Prioris de Ordine Cartusiensi, de terra, quæ iacet in Montanis villa, quæ dicitur Clusa, sita in loco qui dicitur Arduu à Riuo de Almu, & à Riuo Concerij, vsque ad summitatem Alpium cum vtraque parte fluminis, qui dicitur Pisius, siue culta, siue inculta sit terra, siue nemus. Nominati enim dederunt isti Domini cum omni populo Clusæ Alpes scilicet Vacherij, & Serpenterij, & Pratum Brunum ad Ecclesiam construendam in honorem Dei, Sanctæque Virginis Mariæ, & S. Ioannis Baptistæ & Actum in Morocio anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo septuagesimo tertio, Indictione nona. Ego Iordanus Iudex, atque Sac. Palatij Notarius iussu supradictorum Dominorum de Morocio scripsi, & dedi.* Alia recentior Tabula est.

Nos infrascripti Prior, & Monachi Professi Cartusiæ Vallis Pisij Diœcesis Montis-regalis Prouinciæ vero Taurinensis certam fidem facimus Prædecessores nostros, consequenter, & nos semper in honore habuisse; coluisseque familiam Morotiam, e Monte-regali, vt potè traductam ex Illustrissimis Dominis de Morosio Sacri nostri Monasterij Vallis Pisij Conditoribus, idque veteri traditione apud nos firmiter teneri, vti patet ex ipso erectionis Instrumento sub Dat. Anno 1173. *Indict.* 9. *quod asseruatur in Archiuio scripturarum Cartusiæ nostræ Vallis Pisij. In fidem præsentem dedimus subscriptam ab omnibus Religiosis Monachis Professis præfatæ Cartusiæ Vallis Pisij, & munitam solito sigillo nostri Monasterij Dat. & in prædicta Cartusia Vallis Pisij* 21. *Februarij Anno Incarnationis Dominicæ* 1635. *D. Laurentius Bergiu Professus, & Prior testor vti supra D. Vincentius Ratbaudus Professus, & Vicarius testor vti supra. D. Geruasius Cardesius testor vti supra.* Sequuntur nomina omnium *Pro*fessorum ad numerum decem, & octo. Chronologiam huius *Mo*nasterij contexuit P. Benedictus Costafortis, quam apud se M. S. seruabat.

XXIX.

1185. *Cart. Apponiacensis in Gallia*, Prouinciæ, cui Ordo nomen Franciæ dedit, quarta Colonia.

XXX.

1201. *Cart. Siliniacensis prope Arnium* in Bugesio, non in Sabaudia, vt malè Auber-

Aubertus Miræus, & nonnulli alij scriptores, cuius Auctorem Hugonem de Colignij laudant, multisque commendant. Hist. Bugesij P. 3. & Delphinatus P. 2. Lib. 3. § 6. vbi nuncupatam olim Vallem S. *Martini*, multaque alia: laboriosè, & eruditè de ea à Guicenonio, & Nicolao Chorier edita Lector reperiet.

XXXI.

1203. *Cartusia Vallis-bona* ex familijs Prouinciæ quarta. Est in Diœcesi Vticensi in Gallia Narbonensi, à Ciuitate S. Spiritus duabus leucis ad occidentem distans, fuitq; olim Monasterium Monialium Ord. S. Benedicti, vocatum nostra Domina de Bondilhonet. Nihil nunc de hoc Parthenio superest, nisi ruderum acerui cum sacello quodam sub vocabulo S. Ioannis Baptistæ. Anno 1203. 10. Februarij Guillelmus de Venejan Episcopus Vticensis de consensu Domini Præpositi, & Capituli suæ Ecclesiæ hunc locum de Bondilhonet dedit, & vniuit Ordini, præuia tamen compensatione facta Priori de Gondargues Ord. S. Benedicti, cui competebat præfatus locus de Ecclesia d'Arnost cum suis pertinentijs. Hæc ex Archiuio eiusdem Vallis-bonæ, cuius aliæ tabulæ suggerunt, Abbatissam de Aniana locum habuisse in hac permutatione, & Guillelmum de Venejan præfatum, infulis abiectis, Cartusiensem in hac suis auspicijs condita Eremo Sanctissimè vsque ad cineres vitam egisse.

XXXII.

1212. *Cartusia Montis Merulæ, alia appellatione Vallis S. Stephani, dicta.* Origo innotescit ex tabula Asseruata in Archiuio eiusdem Cœnobij, in qua habetur. *Multis incommodis prudenter occurrimus, cum ætatis nostræ negotia literarum memoriæ commendamus, ideo carta præsenti ad notitiam omnium exarare curauimus, quod priusquam Ordo Cartusiensis in Domo Sellionis elucesceret, Domus de Montemerulo regulari famulatu ei subiacebat, sed quoniam præfatus Ordo Cartusiensis extra circumpositos terminos aliquid possidere non patitur, Fratres Sellionis sibi prouidè consulentes, conuocatis Religiosis viris Raynaldo scilicet Abbate de Iugo Dei, & Guichardo eiusdem Domus Monacho, commendauerunt eis, & Domui de Iugo Dei Domum de Montemerulo. Facta est verò hæc confirmatio Anno ab Incarnatione Domini* 1186. *Indictione IV. Verum haud multò post cupientibus Monachis ibidem collocatis Cartusiensium se albo aggregare, Innocentius Papa transitum benignè indulsit*, Diplomate emanato Romæ apud S. Petrum 4. Kal. *Maij* Anno XIII. tenore, quo infra. *Innoc. Ep. seruus seruor. Dei, dilectis filijs Superiori, & conuentui Montismerulæ Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum esset olim Monasterio Sellionis Domus vestra subiecta illo se demum per inspirationem Diuinam ad Carthusiensem Ordinem transferente, de prouidentia eius fuit Abbatiæ, de Iugo Dei Domus memorata, commissa, cui vos hactenus obedientes in spiritualibus extitistis, nunc autem vestram Sanctam Religionem videntes in Domino profecisse, sicut bona membra cupitis illam sequi, & Carthusiensem Ordinem profiteri. Nos igitur pijs vestris postulationibus annuentes authoritate vobis præsentium indulgemus, vt non obstante temeraria contradictione cuiusquam, liberè ad ipsum Ordinem transeatis. Dat. Romæ apud S. Petrum 4. Kal. Maij Pontificatus nostri Anno XIII.*

Disciplinæ immutationem in hoc domicilio prohibere molientes, & proinde Diplomate Pontificio coerciti erant Aymo Abbas, & Io. Prior de Iugo Dei, cum quibus postea Anno 1224. transactum est hoc pacto, quod ipsis cederet grangia de Chinros, Cartusianis autem quidquid reliquum erat intra limites eiusdem Monasterij, ad eius olim dominium pertinens. Ratum id voluit Honorius III. Sancito obsignato Anagniæ 6. Nonas Octobris, in quo etiam conti-

netur, quod si forte contingeret, vt Ordo Cart. Domum Montis merulæ ad alium Ordinem transferre vellet, non posset, nisi ad Domum de Iugo Dei, neque illi de Iugo Dei ex tunc alium Ordinem possent ibi statuere, nisi suum.

Cœterum mox pinguissimæ ei accessere fortunæ ex pijs largitionibus Benefactorum, quorum omnium recensio habetur in vestibulo Menologij eiusdem Cartusiæ, vt sequitur.

Isti sunt præcipui, & speciales benefactores nostri, qui multa, & magna beneficia Domus Vallis S. Stephani contulerunt, pro quibus annuatim primo die vacante post Circumcisionem Generalem commemorationem facimus, excepta quotidiana commemoratione, quam incessanter omnibus horis tam in Cellis, quàm in Ecclesia facimus, Rolandus, & Humbertus de Asnerijs milites Fundatores Domus istius, Renaudus Dominus de Beaugiaco, Comitissa Cabilonis, Hugo Dominus Colontaci, Dominus Poncius de Villarijs, Episcopus Matisconensis, Ioannes Archiepiscopus Viennensis, Bernardus Prior Portarum, Thomas nobilis Comes Flandrensis, Ioannes nobilis Comes Burgundiæ, & Dominus Salini, Dominus Petrus Episcopus Ereforaensis, & Dominus Seguinus Venerabilis Episcopus Matisconensis, Dominus Ioannes de S. Triuerio de Dombis, Dominus Hugo Cardinalis, Stephanus de Monte lupello Archidiaconus Cantuariensis, Magister Stephanus de Epeyssia Archidiaconus Matisconensis: sunt, & alij quamplures illi soli numerabiles, qui solus nouit numerum omnium filiorum hominum, qui multa beneficia Domui nostræ contulerunt, alij terras, & possessiones suas quas infra terminos nostros habebant, pro salute animarum suarum Deo, & nobis tribuentes, alij pecunias, aut alia beneficia nobis largientes, alij orationibus Domus nostræ se deuotissimè commendantes, quorum nomina, & si in hoc libro non scribantur, suppliciter tamen Dominum deprecamur, vt in libro vitæ scripta inueniantur & ipsi cum Sanctis omnibus in sempiterna gloria cum Christo sine fine lætentur.

Quæ omnia ex Bugesiana Guicenonij historia excerpta, nihil vltra quod de eius incunabulis dicamus inuenit, nisi fortè ædes ob situm in loco aeris grauissimi, nostra Ætate translatas ad salubriorem, & incumbere apici amœnissimo, qui ab area prima distat ad explosionem sclopeti.

XXXIII.

1208. *Cartusia S. Bartholomæi de Trisulto.* Innocentius III. Coloniam è Casularum Monasterio eductam, ad S. Bartholomæum de Trisulto, quinquagesimo ab Vrbe milliario, in Alatrina Diœcesi Eremum traduxit, seù potius Benedictinis suffecit Monachis, quorum ex editiori Cartusiæ vertice, haud longè Cœnobium adhuc prospicitur. Inductionis monumentum eo tempore exaratum, & meliori caractere expressum in vestibulo Necrologij vidi in hæc verba. *Dignum est omninò notari diligentius, atque sciri, quòd 7. Kal. Oct. die scilicet 4. ante festum S. Michaelis hebdomada feria 5 indictione 11. Incarnationis Dominicæ Anno 1208. Pontificatus Domini Innocentij Pap. III. Anno 9. intrauit conuentualiter Ordo Cartusiensis in domum S. Bartholomæi Apostoli de Trisulto, anteà scilicet Nigrorum Monasterium Monachorum. Intrauit autem in Monachis quidem cum Priore Rodalpho numero decem, Conuersisque octo, cum equitaturis decem, & octo; cum famulis verò duodecim, supra hos Conuersi quatuor fuerant ante ad loci custodiam destinati, quibus cum Superioribus computatis 34. fit numeris personarum, & hoc absque equitaturis, & famulis iam dictorum quatuor Conuersorũ. Ingressus iam dicti anno 4. datum est priuilegium domus huius, videlicet pridie Kal. Oct. indictione 15. Incarnationis Anno 1211. Pontificatus Domini Innocentij Papæ III. Anno 19.*

Secessus ipse latentibus quibusdam stimulis animos exciat ad diuina. Excelsis montibus circumquaque obducitur, qui in modicam planitiem decliuium pedem sistere simulantes, vbi Monasterio aream circumscripsere, rursus vastam

se

se deijeiunt in voraginem, demittuntque in torrentem flexuosis aquarum recursibus apprimè delectantem. Brunonis symmistæ auitam ideò austeritatem tenaciùs ibi retinent. A Monasterio quæuis structuræ pompa abest; ab ipsa sacra æde aulea serica, ab aris argentea etiam vasa, aliaue quæcumque exulat pretiosa supellex. Summam omnia præferunt paupertatem, ac rigorem. Ad informandas recentiores Cartusias, qui ablegantur, ex hoc veteranorum agmine deliguntur. Modo quæcumque domus, aut persona Ord. ad Summum Pontificem, aut Card. pro tempore Protectorem scribere valet. Secus alias, cum ex indulto Clem. Papæ IV. sub Dat. Viterbij v. Cal. Aug. Anno IV. Pontificatus soli Cartusiæ matrici, & Trisultano huic Monasterio id fas esset.

Columnenses in Censu huius domus syluis, agris, pascuis, impinguando eum Innoc. III. munificentia certarunt, quorum etiam immunitates per circumeffusa eorumdem ditionis oppida leguntur in magno regesto priuilegiorum, & exemptionum in Cella Prioris asseruato. Num verò ad statuendum hic Cartusiensibus sodalitium aliud incitamentum eumdem Innocentium impulerit, quàm sacrum recessum priscis vacuum incolis Anachoretis replere constantioris inter asperrimos cautes domicilij, consulat lector visionem, qua audita Innocentius Papa VI. Cartusiæ Aueniononensi ædificandæ animum applicuit sub Anno 1343. Hactenus dictorum fides est penes monumenta eiusd. Cartusiæ, Dionysium Kichelmium in sua, De Præstantia Ordinis Cartusiensis elucubratione Art. viij. Nouam Collect. Statutorum Ordinis P. 2. cap. 25. §. 9. Bullarium G. Rieschij, diplomate 45.

XXXIV.

1219. *Cart.* sub appellatione *Portus B. Mariæ*, Monasteriorum Prou. Aquitaniæ secunda. Consurgit in Aruernia, & est Diœcesis Claromontensis, à qua Vrbe quinque leucis distat, versus Septentrionem, & fundamenta debet Vuillelmo, & Rudolpho de Belloforti A. 1219.

XXXV.

1220. *Cart. Glanderij*, tertia Prouinciæ Aquitanlæ propago, in Regione, & Diœcesi Lemouicensi inter Oppida Tulle, & Vserche à primo vna, & sesqui leuca dissita, suaque exordia, dotemque referens in Archambaldum Vicecomitem de Combom Anno assertæ humanæ salutis 1220.

XXXVI.

1232. *Cartusia Prati-mollis* in Delphinatu, inter montes dictos Vaunauais. Parthenia est florentissima Sanctimonialium huius Cœtus, cui Anno 1256. præerat B. Catharina virtutibus, & miraculis illustris. Fundatores habuit Hugonem Delphinum, & Beatricem, filiam Petri Sabaudiæ Comitis, eius Consortem, qui quidem Hugo in Ecclesia Virginei huius claustri tumulatus iacet, cum Beatrix nouissimam mortuorum resurrectionem præstoletur in Templo Mon. Melamensis, fœmineis etiam sexus claustri suo ære extructi. Ita Chorier Hist. Delphinatus P. 2. Lib. 1. §. 10. Hist. Genealog. Sabaudæ Domus T. 1. pag. 207. Renatus Coppinus Monast. L. 2. pag. 225.

XXXVII.

1235. *Cart. Vallis S. Georgij dicta*.

XXXVIII.

1236. *Cart. B. Mariæ, de Parco Orci appellata*, sita in sylua de Charnia Diœcesis Cenomannensis, & impensis Margaritæ Vicecomitissæ de Fif incœpta, ac demum magnificentia Gaufridi de Loudon Cenomannensis Antistitis consummata, quemadmodum sepulctale hoc eius Elogium indicat.

Reueren-

Reuerendus in Christo Pater Dominus Gaufridus de Loudeno Cenomannensis Episcopus, & Baro Treuiarum Domus huius Parci magnus Benefactor, hanc adem B. Virginis Maria sacram fecit, ornauit, dedicauitque A. 1244. inibique sepultus claret miraculis.

XXXIX.

1259. *Cart. Vallis viridis secus Lutetiam.* S. Ludouicus Galliarum Rex PP. ex Oppido Gentilliaci euocatos collocat in Ædibus Regijs sitis in Valle agri Parisiensis, à dæmonum infestatione Vallis Inferni appellata. Carta donationis annuum etiam censum exprimens legitur Tom. 3. Vniuersitatis Parisiensis Auct. C. E. Du Boulay, pag. 360. sub Dat. apud Melidunum Anno Dominicæ Incarnationis 1259. mense Maij. Eam in solo vel ipso nomine horrendo parare austeri adegere Eremitæ, qui mundanas delitias in agro Gentilliacensi, Galliarum Tempe, exosi, Vallis inferni nuncupatione, nequaquam exterriti sunt, certi, cælestes amœnitates in ipsum etiam Inferni domicilium, claustrali posse rigore induci. Expectationi respondit euentus: Siquidem Lucifero, ipsis accedentibus, illicò loco cædente, Vallis-Inferni lucis Angelos excepit, vnàque tetrum nomen deposuit, Vallis Viridis, & Vallis Paradisi deinceps nuncupata. Dundeno incolarum numero Regiam ostendi amplitudinem S. Fundator noluit, ideoque datis ad Gratianopolitanum Generalem consessum literis, impetrauit, hanc familiam ad quaterdenos propagari Cœnobitas, nec ab Ordinis consuetudine, sed à Conditoris munificentia ampliari.

Structura itidem magnificentior, quàm Anachoretis par sit, effusiorem eiusdemmet S. Ludouici pietatem commendat, hisce carminibus in prospectu adeuntium obiectis.

Hanc rogo quisquis ades non admireris Eremum
Et dicas hac sunt tecta superba nimis
Regia sunt etenim viridis fundamina vallis
Francorum iecit qua Ludouicus honos.
Rex primùm instituit, Regum Rex auxit, & auget
Augebitque suam tempus in omne domum.

Ecclesiam à Diuo Rege inchoatam, absoluit Ioannes de Ceresio Thesaurarius Ecclesiæ Luxouiensis, consecrauitque Ioannes Hierarcha Trecensis, Inscriptione in rei memoriam perpetuis duratura temporibus muro affixa.

Anno Domini 1325. 6 Kalendas Iulij, scilicet in Festo Beatorum Martyrum Ioannis, & Pauli fuit dedicata præsens Ecclesia Vallis-viridis Ordinis Cartusiensis, & consecrata à Reuerendo Patre Domino Ioanne, tunc Episcopo Trecensi ad honorem Beatissima semper Virginis. Beatique Ioannis Baptista, & omnium Sanctorum, totiusque Curia Calestis. Primò incepta à Beato Ludouico Rege Francorum, & consummata à Magistro Ioanne de Ceresio quondam Thesaurario Ecclesia Luxouiensis, Orate pro eo.

Sancta conuersatione totam Lutetiam hæc Cartusia ædificat, adeò vt Caluinista quidam sola inspecta modestia, qua Monachi diuinas laudes in Choro persoluebant, extemplò hæresim eiurarit, quòd se Parisijs commorante euenisse narrat S. Franciscus Salesius Lib. 8. cap. 10. De Amore Dei. De qua desertiùs Claudius Malingre, in Antiquitatibus Parisiensibus; Iacobus Doublesius Lib. 2. cap. 12., Honoratus Bouche, Annal. Aquitaniæ *P.* 4. cap. 1. in Syllabo *Mon.* à

S. Ludo-

S. Ludouico conditorum, *Petrus* Sutor, Dorlandus, & in sua Angelica D. Polycarpus de la Riuiere, cum Renato Choppino Monastic. Lib. 11. pag. 242. n. 9. vbi de immunitate eiusdem à functionibus Annuli Regij in Officina diplomatica, *Prætura* Vrbis, aliaue Regio Tribunali, è quo iudiciaria Litium Acta depromantur.

XL.

1260. *Cart. Vallis iocosæ* titulo, in Freydnitz Slauoniæ pago excitata, & *Prouinciæ* Germaniæ Superioris altera post Seitzensem propago.

XLI.

1272. *Cart. Portæ Cæli* titulo, in Regno Valentiæ, in Valle Lullinensi B. Virginis Mariæ dicata à D. Andrea Albalat Valentinensi Antistite, Decano, & Capitulo eiusdem Sedis Canonicorũ, & 1277. à Petro Rege adaucta possessione Vallis Lullinensis à Ximenio *Perez* de Areno, pretio comparata. Distat ab Vrbe ad leucas quatuor, metata in loco diuinorum contemplationi aptissimo, à Septentrione, & Occasu Altissimis montibus circumsepta, ab Ortu verò, & Meridie aperto gaudens solo, & per æquatam agri planitiem, ad Vrbem, mare vsque pulcherrimus eius aspectus. De ea Bzouius Ann. Ecclesiastic. Tom. 13. sub Anno 1248. n. 5. Franciscus Diago Ord. *Prædicat.* Annal. Reg. Valentiæ T. 1. lib. 7. cap. 61., Escolanus, Hist. eiusdem Coronæ, *P.* 11. lib. 8. cap. 20. Zurita, *P.* 1. lib. 3. cap. 79. Baptista Cibera, qui de illustribus eius Ascetis præclarum edidit Commentarium; Bernardinus Gomezius, Lib. 14. Vitæ Iacobi I. Reg. Aragonum, Salazar, & Ioseph de Valle, à quo edisco sacram plantationem traductam ab Eremo Scalę Dei, primum lapidem fundamentis aptatum 6. Nou. 1272. *M*argaritam de Lluria Comitissam terræ nouæ in Calabria secundam eius instauratricem ab ædibus ampliatis, à dote locupletata, ab Ecclesia sacra supellectili ornata appellandam, licet claustrum ipsum, quòd modo PP. inhabitant ipsi sibi construxerint A. 1339. ac tandem ab eadem domo prodijsse Bonifacium Ferrerium, & Franciscum Maresme summos Ordinis Archimandritas, quique soli ab Hispaniarum Regnis euocati sunt ad ius nobiliori è Sede Ordini præscribendum.

XLII.

1266. *Cartusia Montis-hilaris* secus Barcinonam in Cathalaunia, A. 1412. initiata, & Augustissimo Deiparæ Virginis Nomini inscripta, familiam Scala Dei transmittente, & Nicolao V. P. Maximo impensas ad ædificium, & latifundia pro dote munificentissimè impendente ob arctam necessitudinem, quæ inter ipsum in minoribus constitutum, & Ioannem de Nea Conuersum, alias intercesserat. Mundi reparati A. 1412. inchoata, constituitur sub eiusdem restaurationis Seculo tertio decimo, Anno verò sexto supra sexagesimum, quòd Anno 1433. cum facultatibus, in suum etiam ius transcripserit antiquitatem, & præcedentias Barcinonensis alterius Cartusiæ, Maresmensis dictæ, quam septimo ab Vrbe lapide sitam, S. Paulo Gentium Apostolo sacram, & ex Benedictinorum Domicilio Anno 1269. auspicante Guillelmo de Mongriu Sodalibus huius professionis accensitam, docent Martyrolog. Hispan. sub die 6. Octob., Ioseph Valle, & Barcinonæ Antiquitates. Aliam quoque Domum suis bonis adiectam possidet, eamque *A.* 1347. sub Vallis Paradisi nuncupatione, Diui verò Hispaniarum *Patroni* S. Iacobi à D. Blancha Centellas Terracæ in Cathalaunia conditam, & ipsi à primo iacto lapide aggregatam. Fauit, & amplitudini *M*aria *A*ragoniæ Regina, fauit Nicolaus Beltran mercator Barcinonensis, quemadmodum, & Sanctissimus Institutor: nam, teste *P.* Theophilo, sanitate mercatori grauí

graui langnore vexato, miraculosè impertita, viri Fortunæ bonis copiosissimi pietatem excitauit ad benemerendum de Cœnobij patrimonio, & luculentum in Ecclesia construendum Sacellum, ipsimet S. Brunoni dicatum.

XLIII.

1280. *Cartusia S. Crucis de Iaresio* à Beatrice de Turre Pini, Guillelmi Rossillionis, & Annoniaci Domini vxore, in Diœcesi Lugdunensi fundata, cuius erectioni testis adfuit Amedeus de Roussillon Ep. Valentinensis. Ioannetta de Montelupello contulit, & ipsa magnam substantiarum huius familiæ partem, medietate redditaum de Veisiaco *A.* 1319. eidem impertita. Clemens VII. Pontificatus Anno duodecimo addidit ad redditaum pinguedinem exemptionem à decimis cum de agris, tum de iumentis acquisitis, & acquirendis, Bulla speciali signata Auenione Nonis Ianuarij. Quæ omnia hausimus ex vetustatis solertissimis indagatoribus *Auct.* Bibl. Sebusianæ, Cent. 1. cap. 63. P. Frere Doux Cartus., in *MS.* monumentis Ordinis, relatis, ab elucubratore Hist. Delphinatus, *P.* 2. lib. 5. § 16. & Bullario Cartusiensi, diplomate 100. incip. *Inter cunctos.*

XLIV.

1285. *Cart. Schola Dei* extra, & iuxta Parmam D. Rolando Taberna Ciue Parmensi, Episcopo autem Spoletano, Auctore, qui Rolandus cum à Martino IV in Gallias ablegatus, Italiam repeteret, graui decumbens infirmitate, Cartusiam hanc instituit hæredem, in qua obiens sepeliri mandauit, sub habitu Cartusiano, eamdem Regulam, Episcopatu abdicato, professurus, si eo morbo discusso, diutius viuere contigisset. Refert Vghellus, Italiæ Sac. Tom. 1. vbi de Ep. Spoletanis, n. 40.

XLV.

1295. *Cart. B. Mariæ de Macourt* in Vrbe Valencenarum in Hannonia, quam Guillelmus de Hainaut ex nobilibus de Auesnes, Cameracensis Episcopus erexerat primò iuxta Cameracum, deinde hoc anno propè Valencenas transtulerat, vbi Anno 1298. à Ioanne de Auesnes eius fratre consummata fuit. Verùm cum nec huiusmodi locus suis vacaret incommodis, Ecclesia in Marleum translata est, & impensis Iacobi Malbodij Cameracensis, & Attrebatensis Canonici quinquennio absoluta, Anno 1343. ab Antistite Cameracensi consecratur. In hoc loco enumerauit 210. stabilitatis annos, scilicet à 1343. ad fatalem 1566. quo repentina Iconoclastarum irruptione direpta, & euersa fuit. Pace demum reddita P. Io. dell'Esclufe modernam metatus est intra ipsam Vrbem, quam, & consummauit, condecoratus ideo Elogio hoc sepulchrali.

Deo Optimò Maximo
Domno Ioanni Sacrum dell'Esclufe
Monimentum.
Siste parumper hospes, illud te
Hoc saxum monet:
Clusus hoc tegitur, huius conditor Cartusiæ, postquam
Hæreticorum dira rabies, illam, quæ in Vrbis pomærio florens
Conspiciebatur, solo æquasset: Intra eius mœnia hanc coempta
Area, sumptus parsimonia suppeditante funditus excitauit.
LVIII. solitudinem, silentium, Annis, carnisque priuium perpetuum
E D. Brunonis norma professus religiosissimè coluit.
E quibus
LIII. Fratribus monendo præfuit, exemplo profuit,

In

In illos lenis, in se rigidus
XXXIV. Gallia Belgica sacros greges
Alternansibus annis lustrauit.
Denique cum tanta in eo virtutum, immo sanctitatis fulgerent nota,
Vniuersis penè Patrum votis, summus Minister expetitur.
Verum à maioris Cartusia
Moderatore, Assessor nuncupatur.
Tandem octogenario maior senecta, & pietatis operibus
Grauatus, inter suorum suspiria, & lacrymas Animam lubens
Deo Creatori efflauit.
Die XXI. mense Martio, Anno M. DC. X.

Hæc Henricus Outremam Præpositus Cathedralis Valencenarum in Hist eiusdem Ciuitatis. Surius ad Ann. 1566. Raissius in Originibus Cart. Belgij.

XLVI.

1288. *Cart. Melunensis*, Virginum claustrum in Fauciniaco Sabaudiæ ditione, erecta munificentia Beatricis à Sabaudia, quæ in Instrumento erectionis sub *Datum hoc Anno, Pridie Idus Aprilis, Indictione quinta, ait, pro remedio anima nostra, & Ioannis Delphini quondam carissimi filij nostri, & quondam Comitis Petri carissimi Patris nostri, & illustris Agnetis quondam Domina Fauciniaci, carissima Matris nostra, & omnium Parentum nostrorum, in Baronia nostra Fauciniaci, in Castellania Castri nostri Castellionis, in loco, qui vulgaritèr Melanum appellari consueuit, de Ordine Cartusiensi Monasterium sic duximus ordinandum; videlicet quod in dicto loco de Meluno sint perpetuò, & esse debeant, quòd perpetuum intelligatur sine temporis prafinitione quadraginta Monacha, & septem Monachi Sacerdotes, qui, & qua ibidem omni tempore Deo seruiant secundum Statuta, & Instituta Ordinis Cartusiensis.* Quod sequitur petendum ex Probat. Historicis Genealogiæ Ducum Sabaudiæ, pag. 84. Meminit etiam huius fundationis Papirius Massonius in Elogio Petri Thomæ 1. Filij.

XLVII.

1295. *Cart Vallis-Sancta* (seu Vallis Sanctorum omnium) *apud Friburgum Elsetiorum*. Exordia debet Domino de Charmei, qui illiber cum esset, eamdem Cartusiam fortunarum suarum hæredem ex asse, donatione inter viuos facta, instituerat, sed prole postea auctus masculina, cui nomen Gerardus, hic à Priore, & Conuentu deposcit subsidium puellæ suæ Ioannettæ nuncupatæ, & obtinet, concessione in hæc verba impertita. *Charissimis, Fratribus, Priori, & Monachis Vallis-Sancta salutem. Exoptat Gerardus Dominus de Charmei. Placeat vobis amantissimi Patres mihi cum filia mea quam vestris precibus à Deo obtinui, facere misericordiam eique concedere sub conditione tamen legis salica in hac patria obseruari solita, aliquam partem in bonis, qua donatione irreuocabili facta inter viuos ob defectum liberorum, olim Pater meus, & ego vobis donauimus, sicque Deus vobis retribuat in aeternum; Nos igitur Frater Vuillelmus humilis Prior, cateríque Monachi Vallis Sancta Cartusiensis Ordinis, visa supplicatione prascripta, de licentia Reuerendi Domini Vuillelmi Lausanensis Episcopi, Domino Gerardo de Charmei filio bona memoria, felicis Fundatoris nostri, eiusque carissima filia vnica Ioannetta, concedimus tertiam partem omnium bonorum, qua ipse Gerardus, eiusque Pater nobis antea deuotè contulerant apud Villam de Charmei, &c. Actum apud Vallem Sanctam die decima mensis Decembris, An. Christi 1296. Ad cuius robur, & testimonium sigillum nostrum vnà cum sigillo Reuerendi Domini Vuillelmi Lausanensis Episcopi ijs apposuimus.* Penes Guicenonium pagina quinta Probationum Hist. Bressiæ, & Bugetij.

Cæterùm cū præfatus Instaurator huius Cartusiæ, sacram plantationem præuia Comitum Sabaudiæ facultate, minimè roborasset, Amedeo impertiente, illam tandem obtinuit literis Burgeti Datis A. 1369. 10. Nouembris, quæ prostant in Guicenoniana Sabaudæ Domus Hist. locupleti reconditæ eruditionis promptuario.

Huic Eremo Legem dedit P. Iacobus de Viuiaco A. 1330. ad supremam Ordinis Præfecturam euectus,& sanctitatis fama satis clarus. Ibidē floruere celebres fama probitatis D. Mamertus Rocheri, D. Nicolaus Raphael Guillaume, D. Petrus Bouuier omnes eiusdem familiæ moderatores, & Petrus Geinoz Donatus, de quibus in Fastis sacris.

XLVIII.

1297. *Cart. S. Bartholomæi de Riparolio*, in Genuæ Sururbio. Bertulinum de Nigro Genuæ Ciuem suum noscit fundatorum, tenuissima tamen stipe, ac fructu. At in dies aliorum benefactorum opitulationibus opulentior, duodeuiginti alit Monachos, tanta aliquando conuersationis sanctitate illustres, vt populos circum effusos ad magnam cum Ordinis totius, tum eiusdem imprimis Monasterij venerationem excitarint. Primus lapis iactus quinto Idus Iulij, cum biennio antea ablegati ad fundationem vrgendam, loci iam possessionem adijssent. Ex monumentis eiusdem Cart. in Arch Proc. Generalis de Vrbe, in quibus huius, aliarumque per Italiam Cartusiarum Origo, Auctores, & substantiæ dilucidè patent.

XLIX.

1299. *Cart. Salettarum* in Diœcesi Diensi,alio nomine *Aula Beatæ Mariæ*; Virgines Brunonis normam sequentes huc induxere Humbertus Delphinus, Anna eius Consors, Delphinatus Domina, eorumque Primogenitus Ioannes Comes Vapincensis. Hi tres vnanimiter donarunt Ordini territorium nomine Bermondieres, in Parœcia Dalmeosi, ditionis de la Tour, latè sese ad Rhodani littus extendens. In ipsis institutionis crepundijs familia numerabatur ad Monialium triginta,& Monachorum sex. Priorissa illas rexit nomine *Agnes*; Vicarius his leges præscripsit Hugo appellatus. *Accreuit* deinde Sacra Colonia ad Religiosas septuaginta, Religiosos autem tredecim. Humbertus II. Ioannis filius dotem ampliato cœtui coæquam A. 1338. attribuit, in gratiam Auunculæ suæ Mariæ,quæ Agnetem in Prioratu excepit. Fundatrix Anna quinquennio ante occasum sæculi è viuis sublata, hic quiescit, Fundator inter Conuersos Vallis S. Mariæ Deo initiatus, ibidem obdormijt in Dominò subsequentis Ætatis Anno v.

Tabulæ eiusdem Partheniæ, & Hist. Delphinatus P. 2. Lib. 6. §. 11.

L.

1300. *Cart. Audomaropolitana*. Ioannes à S. Aldegunde Norquelmy Dynasta à fundamentis excitat, censuque annuali solus locupletat Cartus. apud Audomaropoleos in *Atresia*, cui semel inditum Vallis S. Aldegundæ nomen, in hunc vsque diem perseuerat. Dedit initiatores non paucos aliarum domorum,imprimis Cart. Brugensis, atque Monsterolensis, nec absque singulari Dei adiutorio, cen Isthmum æstuantia inter maria, Galliam videlicet hostili manu incumbentem, & Flandriam tumultuantem, nullum vnquam detrimentum ad sua vsque tempora passam narrat Raissius in Orig. Cart. Belgij, qui consulendus, vti & Locriusin Chron. *Belgico* ad Ann. 1298. eorumque testimonio castigandus Miræus, qui eam statuit sub Anno 1197. cum nonagesimum octauum posterioris seculi annum primordialem enumeret, fueritque nobilis propago Cart. Valencenarum eiusdem Æui A. 95. constructæ.

1300

LI.

1300. *Cart. Abbatis-Villa* Prouinciæ Picardiæ Colonia, Sanctoque Honorato in limine erectionis inscripta.

LII.

1300. *Cart. sub titulo Capellæ B. Mariæ.* Apud quoddam Deiparæ sacellum in Angiano Hannoniæ Oppido miraculis frequens aliæ, atque aliæ Regulares familiæ firmare sibi diuersorium contendebant; puta Patres Ord. Predicatorum, Moniales, seu Sorores Hospitalariæ. Verùm quòd pro Cartusiensibus ex alto staret, Vualterus IIII. Angiæ Dynasta, cæteris amotis, eosdem hoc anno accersit, Vualteri III. Patris sui mentem impleturus, qui Anno 1309. morte præuentus illos Mariæ à sacris deligere haud valuerat, vt aliàs firmiter apud se decreuerat. Fuerant hæc Theodorico, laudatissimæ viræ incluso, reuelata, qui accolis percunctantibus, quid sibi vellent, lumina super aream, in qua modò sita est Ecclesia, Cælitus nocte intempesta demissa ? portendere, prænunciauerat, Cartusienses vix de nominè notos ex vicino Brabantiæ limite sacri diuersorij metatores à Deo cooptatos. Quotquot Vualteri III. & IV. in Angiano principati sunt, Zigerus, Vualterus V. Lutzemburgici, Borbonij, toridem fautores huius Cartusiæ centuriantur. Eminet præ cæteris *Maria* Hannoniæ Comitissa, quæ eam deuastatam condolens bellico à furore Belgas inter, & Flandros recrudescente Anno 1408. Monachos Brussellam profugos reuocauit, & post congiario suo per Annum, & dimidium enutritos, donis onustos, domum remisit. Retinet primam appellationem *Capellæ B. Mariæ*, & est caput Prouinciæ Belgij, seu Germaniæ inferioris per annos sexaginta tres Picardiæ remotioris nuncupatæ, & ab Anno 1474. Teutoniæ dictæ. Hæreticorum seuitiem experta, eorum cessit furori, & cupiditati Cartusias Montis Sion apud Zirizeam in Zelandia, S. Bartholomæi apud Delphos, S. Saluatoris de noua luce propè Vltraiectum, *Montis* S. Gertrudis apud Oppidum eiusdem nominis, S. Mariæ vulgò Monichussen propè Arnhemium, S. Martini in Monte solis secus Campum in Transiselania, Portus salutis *S.* Andreæ iuxta Amstelodamum, Syluæ Ducis, seu S. Sophiæ in agro Buscoducensi, de quibus suo loco, & Mechlinienſem, qua vtebantur (inquit *Mirræus*) aliquot Patres extortes ex Anglia. Verùm hanc hospitium potius dixerim quàm Cartusiam, Anno 1626. Neoportum translatum. De viris illustribus eiusdem Domus Capellæ B. Mariæ scripsit Ludouicus Boutlat ibidem *Asceta*, de qua etiam Chron. Rerum Belgicarum, pag. 323. Raissius, in Orig. Cart. Belgij; Hareus, lib. 2.

LIII.

1300. *Cart. Vallis omnium Sanctorum in Maurbach* tertio à Vienna Austriæ Metropoli lapide, Friderici Pulcri Alberti Imperatoris filij magnificentia, eiusdem que incolatu, insignis; nam pijssimus conditor, eum solitudinis, ac Cartusiensis Institutionis amore captus, ibidem aliquandiu conuersatus esset, pensum mortalitatis humanæ naturæ exsoluit, & locum dormitionis accepit Anno ab eo quo visitauit nos oriens ex alto millesimo, tercentesimo, trigesimo. A Turcis postea euersa splendidiori schemate Patrum solertia, piorumque impensis è ruderibus euasit, & quos defleuit *Maometico* ferro sublatos inquilinos, eosdem martyrij palma superno à retributore in Cælo donatos gratulatur.

LIV.

1301. *Cart. Vallis profunda.* quam fundatrice Isabella de Meloto Iouiniaci Comitissa, seculi reparatę nostræ salutis quarti decimi Anno altero initiatam Philippus de Marigne octuagesimus Vrbis Senonensis Hierophanta Ecclesiæ

consecratione decennio post decorauit, & incolæ conuersationis sanctitate, illustrioribus, nedum Prouinciæ Franciæ, cuius inter Colonias locum nonum occupat, sed, & totius Ordinis familijs accensent.

L V.

1306. *Cartusia S. Laurentij de Padula*, Diœcesis Caput-aquensis, erectore Thoma de S. Seuerino Marsici, in Prouincia Principatus Regni Neapolitani, Comite, primisque Ascetis D. Ioanne Tomasio de Vico Priore, & tribus socijs ablegatis ex Eremo Trisultana, totidemque ex Casularum Monasterio delectis. Chronicon Monachorum Montis-Virginis Auctore D. Amato Mastrullo pag. 124. docet Ecclesiam S. Laurentij de Padula fuisse de iure præfati Regij Archicœnobij, cuius Abbas Guillelmus IV. Sanseuerino permutationem vtiliorem offerenti, assensum præbuit, cessitque in Cartusiensium fauorem. Quia (exscribo tabulā à laudato eodem Auctore prolatā) *inter nos Abbatem, & Conuentum Monasterij Montis Virginis ex parte vna, & virum magnificum Dominum Thomasium de Sancto Seuerino, Egregium Comitem Marsici ex altera, pro euidenti vtilitate nostri Monasterij quadam extitit permutatio celebrata de Domibus, ædificijs, & officinis, Terris, Hortis, Vineis, Molendinis, cæterisque possessionibus, & Iuribus, ad Cappellam seu Ecclesiam S. Laurentij de Padula Caput aquensium Diœcesis, nostræ iurisdictioni subiecta spectantibus, Cappella ipsa seu Ecclesia, sine facultatibus, & prouentibus remanent, & à nobis remota existens, debitis obsequijs fraudabatur, ijs pia, & sollicita meditatione pensatis, considerantes etiam, quod sacer Ordo Cartusiensis, quem non immeritò omni fauore dignum, & gratia arbitramur, in Territorio Terræ Padulæ iam dictæ, quoddam construens Monasterium intendebat, ad solum Deum habendo respectum vnanimiter, & concorditer intuitu pietatis, concedimus, damus, & assignamus irreuocabiliter, & in perpetuum iam dicto Carthusiensi Ordini Ecclesiam, seu Cappellam S. Laurentij supradictam, quæ ad nostrum Monasterium spectare dignoscitur pleno iure. Dat. in dicto nostro Monasterio Anno Domini* 1306. *die* 16. *Mensis Septembris, quintæ Indictionis.*

Varijs præterea Summorum Pontificum beneficijs impinguatur, Ecclesia nempe S. Demetrij incorporata à Iulio II. A. 1505. alia item nuncupata S. Catharina de Saponaria, diplomate eiusdem Pontificis A. 1513. emanato; Abbatia S. Nicolai de Turone, adaucta beneficio Pauli Papæ III. A. 1538. S. Maria de Cadassa, & S. Maria de Casali. Ius præterea Ciuile, ac Criminale dicit in Oppidis Padulæ, Boni habitaculi, Montesani, & Casalisnoui, vbi etiam Prior Pontificaliter celebrat, auctoritate fungens, quasi Episcopali, feudatarius etiam Oppidorum S. Basilij, & S. Demetrij cum plena, & consueta temporalium Procerum potestate in Vassallos, prout fusiùs in tabulis Archiuij Monasterij eiusdem, è quibus hausimus, quæ hic perstrinximus.

L V I.

1309. *Cartusia* sub appellatione *Partis Dei* secus Friburgum Heluetiorum in Diœcesi Lausanensi.

L V I I.

1308. *Cart. Montis S. Ludouici* titulo apud Nouiodonum in Picardia, excitata à Philippo Galliarum Rege, in honorem S. Ludouici Patris sui, cuius Chronologiam, & amplitudinem pete ab Annalibus Nouiodunensibus, Auct. Iac. le Vasseur, mihi enim satis superque erit innuere inter cæteros spectatissimç probitatis, summæ prudentiæ, profundeque doctrinæ, quos Ordini dedit Patres, vidisse moderum Priorem Generalem Innocentium Lemasson à suo regimine, ad Cœtus vniuersi primam sedem assumptum, cuius quandoquidem hic mentio recurrit

curris lectorem moneo Nouocomiensem Eum, errore typographorum, in Generalium syllabo dici, pro Nouiodunensi, seu Nouiomensi, vigiliarumque eius elencho, quem ibidem edidimus, addendum, typis supposuisse præter alium Theologiæ Tomum recentem statutorum Ordinis collectionem, eamque exactissimam.

LVIII.

1314. *Cart. Maggiani* iuxta Senatum Vrbem in Etruria, solemnitati Virginis in Cælum assumptæ inscripta. Ricciardus de Petronijs A. 1313. alijs 1314. decedens, executoribus suæ vltimæ voluntatis eius condendæ Prouinciam imposuit. Facultatibus tamen in disceptationem vocatis, biennió post initiata fertur. Nam P. Bartholomæus Senensis, qui præter Ciacconium in vita Ricciardi S. R. E. Card. Augustinum Oldoinum, Orlandum Malauoltam, & Fastos Senenses, eius primordia luculenter euulgauit Lib. IV. P. 2. pag. 73. Vitæ B. Petri Petronij, testatur ad Annum duntaxat 1516. delectum ad fundamenta iacienda Michaelem quemdam ad S. Bartholomæi de Trilulto Ascetam, & per ea tempora negotiorum totius Ordinis in Curia Romana promotorem generalem, quem Bindus de Bindis Testamenti à Ricciardo de Petronijs editi executor in soli possessionem induxit.

Infra se habet cæteros Prouinciæ, quam Tusciæ vocant, Conuentus. Pentimallus, qui in Catalogo, Bononiensem illi præfert allucinationem suam postea expunxit, & qua morum innocentia insignes Monachos alat dilucidè admodum edocet vel vnus Petrus Petronius Beati titulo insignis, & successorum Ricciardi Instauratoris sanguine satus, cuius vitam relatus Bartholomæus Senensis sub prælo gemere fecit, illustrauitque quampluribus monumentis ad eandem hanc Cartusiam spectantibus.

LIX.

1315. *Cart. Montis S. Petri* Diœcesis Albingaunensis in Liguria. Mons S. Petri appellabatur quoddam Monasterium à Desiderio Sanctissimo Ligurum Episcopo, & Christi Martyre A. 407. 23. Maij interempto erectum ad honorem S. Petri Apostolorum Principis, quem vetustissima monumenta produnt, dum Italiam peragraret, consedisse aliquando in ea Salebrosi montis parte, vbi placuit dudum laudato Desiderio Templum eiusdem nomini sacrum erigere, & montem ipsum Montem S. Petri imposterum nuncupari. Claustrum postea eidem Ecclesiæ adsitum cum Benedictinæ Obseruantiæ professores à Reparatoris nostri A. 775. ad 1308. incoluissent, habitatores desiderauit ad Annum vsque eiusdem Ætatis quintum decimum; quo Emmanuel Episcopus Albingaunensis mensa Episcopali facultatibus eius impinguata, nuda septa, sancito Neapoleonis S. R. E. Card. Diaconi, Apostolicæ Sedis Legati, Brunonis alumnis adiecit Nonis Aprilis. D. Nicolinus Prior Casularum possessionem inijt, & velut membrum suo adiecit Cœnobio, à qua subiectione Anno postea 1321. 17. Augusti exempta est, satagentibus VV. PP. D. Roberto Priore S. Laurentij de Padula, & D. Michaele, Præfato Monasterij de Maggiano Visitatoribus à Capitulo Generali creatis, assentiente D. Dominico Casularum Moderatore, & D. Petro de Garzano, familiæ ab eius regimine absolutæ sollicitudinem ad se transferente.

Eidem Abbatiæ Montis S. Petri suberat domus Cellatium, aut Casanoua dicta, sita prope Torranum, quo nomine vocatur vicus ad ipsius Montis pedes, qua flumen indigenis Varatilia, & Varatella præterfluit, & hanc domum in Monasterium ampliatam Patres ab A. 1495. inhabitant, sedem mutare coacti impellentibus aeris intemperie, ædificiorumque ruinis.

De

De his meminit Vghellus in Emmanuele Albingauni Hieratea, quæ tamen disertiùs hausimus ex monumentis ibidem asseruatis.

LX.

1315. *Cart. de Bello-loco* in nemore de Lupateria Diœcesis Carcassonensis. Eius Instructor Petrus de Rochefort. Ep. Carcassonensis huius nominis tertius cum ad extrema deuenisset, vi fortè morbi parum sui compos. Monach. emitti, & tredecim Presbyteros sæculares eis subrogari mandauit. Re tamen delata ad Ioannem 22. Pont. Maximum, Sanctitas sua antiquata in hac parte vltima eius voluntate, Cartusienses in legitimam possessionem redintegrari præcepit. Alios quoque Carcassonenses Episcopos benemeritorum Catalogo hæc eadem Cartusia inseruit. Petrum Roderij 44. eiusque successorem Petrum de Iean, qui pomerium dilatauit, & fontem in medium claustri deduxit.

LXI.

1318. *Cart. Boni-passus*, in Caualicensi Diœcesi à Ioanne XXII. Pont. Max. Iuculenter erecta, lautisque opibus A. 1318. dotata. Eodem tempore supremus idem rerum sacrarum Præfectus propensissimo in Cartusienses animo, nec minus effusæ in eosdem manus, Cadurcensi itidem claustro adornando animum adiecit, in quod ad fastigium perductum A. 1328. incolas euocauit, ideoque Bonus-passus prima, & sexagesima Ordinis Colonia habetur, Carurcensis tertia vitra septuagesimam connumeratur. Qui velit vberiorem vtriusque huius Cartusiæ notitiam, euoluat haud abs re erit Gregorium Rieschium in Bull. fol. 22. diplomate 77. Sebastianum Fantonum lib. 3. cap. 9. n. 14. Hist. Ciuitatis Auenionensis, eiusdemque Comitatus, Dionysium RicKelm. De Præconio Ord. Cartusiensis, Art. 7. Chopp. Monast. lib. 11. pag. 225. ex ijs nimirum hauries immunitates Caualliceensi splendidissimè collatas, & locum, qui à frequenti viatorum cæde horridam *Mali-passus* nuncupationem olim audiebat, à Cartusiensium statione, & copiosa in aduenas charitate Boni-passus denominationem feliciori bus auibus ex inde sortitum.

Cui verò libeat disertiùs de Cadurcensi edoceri, consulat operæ pretium est Guillelmum Cruceum in Ep. Cadurc. Actis à n. 214. ad 210. & pag. 290. n. 311. vbi productis ex membranis adnotabit quàm pingui prætio duorum nempe millium, & quingentorum florenorum Auri de Florentia solum ab Helio de Villanoua Domus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani Magistro A. 1320 29 Octob. comparatum; qua solemni benedictione Ioannem de Lassana, dictum etiam Fannium Priorem, & duodenum Monachorum numerum, ad occupandas sedes iam absolutas ab Aymone Generali Ord. moderatore selectos exceperit; quo diplomate ad Guillelmum de la Capella Bertrandi de Cardaillaco Cadurci vices agentem, in possessionem inducendos dimiserit, ait enim. *Gratum Altissimo, qui non cessat à benedictionibus gratiarum, cuique nunquam sine remuneratione seruitur, præstare obsequium probabiliter arbitramur, si Cartusiensem Ordinem, cuius sinceritas in sui simplicitate non deficit, sed quasi lux splendens vsque ad diem perfectum crescit, Domino promouente, opportunis prosequamur fauoribus*; qua commendatione ab vrbis Consulibus foueri impositerum curauerit, quippe quos latere noluerit: sacrum hunc Cœtum se traduxisse Cadurcum, potiùs in suæ patriæ decorem, illorumque Ciuitatis singulare ornamentum, quàm in eiusdem Ordinis satis iam extensi amplitudinem, & hæc præter Regiam protectionem à Philippo Valesio sub Dat. Belluaci A. 1329. impetratam, Bullam communicationis omnium priuilegiorum à quibuscumque Pontificibus Summis plena manu, ac quacumque sub verborum formà alij cuilibet Mon. eiusd. Cœtus concessorum.

Hic

Hic ego de *More* ipsam dumtaxat subtexam Epistolam , quam Anno post soli emptionem octauo, bonis lustratis iam singulis, prouentuum iam inuestigata ratione , cellarum alijs constructis, vel alijs instauratis ad Aymonem *Priorem*, & *Monachos* Cart. Maioris dedit sub huiusmodi verborum forma.

Ad vestrum Ordinem pium gerentes affectum vt suos extendat ad Dei gloriam, & ædificationem fidelium palmites, operosum libenter studium adhibemus. Cum itaque domus vocata de templo, sita in suburbijs Ciuitatis Cadurcensis, quæ olim fuerat ordinis Templi ante sublationem ipsius, & ad Hospitale S. Ioannis Hierosolimitani, ex ordinatione Sedis Apostolicæ vna cum alijs bonis dicti quondam templi peruenit, quamque nostro, & Ecclesiæ Romanæ nomine à dil. Filijs Helione de Villanoua Magistro, & Fratribus Hospitalis præd. acquisiuimus, & pro Monasterij vestri ordinis præd. idonea existere dignoscatur: Nos prædictam domum cum Ecclesia, seu Capella B. Mariæ, sita infra Claustrum domus prædicta, quam in Monasterium præd. vestri ordinis auctoritate Apostolica erigimus, & quam Monasterium eiusdem Ordinis volumus, & decernimus de cætero nuncupari, ac omnibus alijs ædificijs, bonis, & iuribus prædictis vbicumque sint, & quocumque nomine censeantur ad opus eiusdem Monasterij vobis, & eidem Ordini vestro habenda, tenenda, & possidenda perpetuò eadem authoritate Apostolica de fratrum nostrorum consilio concedimus, & donamus. Datum Auenione decimo quarto Kalend. Ianuarij, Pontificatus, nostri Anno decimo tertio.

LXII.

1318. *Cart. Vallis gratia*, extra Portam *S*anctæ Crucis Ciuitatis Brugensis obstreticante piorum charitate circa festum Sancti Lucæ excitatur. Deuotus Presbiter Ioannes Van Coukclære solum, quod ab ædificio occupatur, Coolstid antea vocatum, iam ab anno 1309. pro area contulerat, qui postea anno 1334. in cæterræ redditus est. Monachi Coloni ex Audomaropolitanis Sanctę *A*ldegundis cellis extracti sunt. Guido Episcopus Tornacensis cum suæ Ecclesiæ Capitulo fundationem eodem *A*nno ratam habuit, facultate ijs verbis expressa. *In nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Nos Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Sancti Donatiani Brugensis, Tornacensis Diœcesis, ad honorem Dei, & Beatæ Virginis Mariæ, ac totius Curiæ Cælestis augmentum, ob honorem, & reuerentiam Sacri Ordinis Cartusiensis, & diuini cultus augmentum eijsdem Religiosis Cartusianis concessimus, vt Ecclesiam, Claustrum, aliaque ad habitandum pro se, & suis liberè fundent infra limites Paræciæ Sanctæ Crucis, &c. Datum & actum Brugis in Capitulo Ecclesiæ Sancti Donatiani prædictæ. Anno Domini* 1318. *penultima die Mensis Nouembris. Professi* in hac Cartusia celebres fuere Daniel de Alneto Præpositus Sancti Martini Iprensis, Ioannes BaKere *Præ*positus Sancti *A*ndreæ iuxta Brugas, Petrus *A*durnius de quo alibi; Guillelmus filius naturalis Guillelmi Sexti Ducis Bauariæ, Comitis Hollandiæ, & Hannoniæ; Qui Clericus redditus ex eis scilicet, quos iuxta Ordinis statuta ad Diaconatum dumtaxat euehi consuetudo ferebat. Nullum fundatoris titulo decorauit ante Annum 1395. quo tales dixit Philippum Regis Galliarum filium, Burgundiæ Ducem, Flandriæque Comitem, ac Margaritam eius Coniugem ob amortizationem, vt inquiunt tabulæ, plenam, & specialissimam omnium bonorum suorum Conuentui concessam. Anno 1578. huiusmodi Cartusia funditus euersa Patres se recepere intra Ciuitatem. Hospitium potius diceres, quàm Cœnobium incolentes, donec *A*nno 1608. per Albertum Flandriæ Comitem collocati sunt in Xenodochio Sancti Auberti, eiusque Xenodochij bonis locupletati. Quæ omnia Raissius in Orig. Cart. per Belgium; Sanderus, Tomo 1. Flandriæ illustratæ, *Capite* 1. Re-

rum

rum Brugensium; Emanuel Sueyro, Libro 10. pagina 41. Annalium Flandriæ. Itemque Meyerus, in Annal. eiusdem. Comitatus.

LXIII.

1320. *Cart. S. Catharinæ*, quæ modo Lyræ consurgit fuit ab origine filia Domus Angianæ collocata in Suburbio Antuerpiæ à quodam eiusdem Vrbis Dancardo, tenuem, imo nullam dotem augente Henrico Helte Vuaghen aduena Germano. Situ fruebatur percommodo ex adiacenti Scalde, qui Cellas, & Cellaria alluebat, aquationem suam ex suburbanis compascuis, hortis, & villis, suis solatia victus, ex mercium comportatione, quæ ex toto ferè orbe illuc conuehuntur, solatia maxima temporalia, denique fortunam magnificam sed vitream, quæ Anno 1542. cum maximè splendebat, fracta est. Recruduit bellum Geldro Gallicum. Antuerpienses veriti, ne Martinus Rossemius, qui Brabantiam vastabundus discurrebat, munitiones ibi faceret, de ea ferro flammaque euertenda iniere consilium. Dictum factum. Momento fit cinis ædificium diu ad inuidiam magnificentissimum. Familia postquam Antuerpiæ hospes, mœrorem aliquandiu posuisset, Lyram commigrauit, vbi Priore D. Henrico Bruno eam inchoauit Cartusiam, quæ modo sub originali Virginis, & Martyris Alexandrinæ auspicio floret, licet Anno 1573. & 1589. ab hæreticis inuasa bis corruerit, suæque molis euersione, & restitutione vberem de ea scribendi materiam præbuit Hareo, in Annal. Duc. Brabantiæ, Raissio, in Orig. Cart. Belgij; Ludouico Torrio in speciali elucubratione de eius incunabulis edita.

LXIV.

1320. *Cart. Moguntina, Archangelo Michaeli* sacra, & impensis Petri de Achtzpalt eiusdem Ciuitatis Archiepiscopi excitata. Præsidet Prouinciæ Rheni, quæ vltra quindecim Monasteria adhuc existentia, alias habuit S. Paulam de Porto-Montis Bernç Heluetiorum sitam; Vallem S. Margaritæ, Basileæ, Insulamque Reginæ Cæli, apud Vuesaliam.

Celebris est Moguntina hæc Colonia penes Nicolaum Serrarium, de Rebus Moguntiacis, in vita laudati Petri eius Instructoris; Cratepolium, de Ep. Moguntinis; Aubertumque Miræum, in Synopsi Manast. huius Institutionis.

LXV.

1320. *Cart. Gosnayensis*, sub appellatione *Vallis S. Spiritus*, cuius hæc narrantur incunabula. Theodoricus de Herisson ante inaugurationem in Attrebatensium Antistitem Artesiæ Cancellarius anno 1320. arcem condiderat pro Mathilde eiusdem Artesiæ Comitissa, & filia Roberti, cognomento illustris Artesiæ itidem Comitis II. in pago Gosnayensi haud longè à Bethunia, quam malis genijs obnoxiam expurgare desiderans, Cartusianos adeò in Tartarum præpotentes accersit. Factus igitur sacræ magnificentiæ amplissimus Trimegistus, bina eiusdem Institutionis septa ibidem excitat, primum pro Monachis, alterum verò pro Sanctimonialium Cœtu, quibus Xenodochium ad inopes, & peregrinos excipiendos adiecit, ne frequentiori hospitio nimium grauarentur. Claustrum virile Vallem S. Spiritus placuit nuncupari, ne posteros lateret exturbatos inde infensos Spiritus, quorum improbitate appellabatur Vallis malorum geniorum. Fœmineum sub appellatione Montis S. Mariæ ipse quidem inchoauit, verùm primo Episcopatus Anno à caducis euocatus perficiendum curauit per Mathildem præfatam, quam ideo extremæ tabulæ executricem instituit. Cadauer in Monachorum Ecclesia humatus resurrectionem expectat sub hac Epigraphe. *In hac Ecclesia iacet M. Teodoricus de Herisson Præpositus Ariensis, qui fuit Clericus Optimi Comitis*

tii Roberti Artesiensis 11. *huius nominis, & postea Cancellarius, & Gubernator terræ suæ, eo defunctæ Comitissæ Mathilda sua operam suam pariter impendit, qui fundauit istam domum, & Hospitale extra. Postea Episcopus Attrebatensis decessit An.* 1328. Hæc parum Lœrio cohærent sed ex minus solerti indagatione, non enim Margareta quondam Artesiæ Comitissa Cartusiam Partheniam fundauit, sed tantùm auxit, inserenda proinde in benemeritorum syllabo, inter quos eminet Isabella Lusitana Ducissa Burgundiæ, & Brabantiæ Caroli Audacis mater. Ambæ hæ domus externo schemate illustres, clariores sunt interno numinis domicilio. Circa seculi decurrentis primordia, cum limitanei hostes infestarent Artesiam, & Bethuniam vsque penetrassent, Virgineam Partheniam adorti, Cælitus repelluntur. Itaque quia parùm proderant assultus, appensa ad portam pila tormentaria conati sunt viam opera tumultuaria aperire. Sed sicut imprecatur ei Psalmus, ita contigit: Gladius eorum anceps intrauit in corda ipsorum, nam tormentum resilijt in auctores suos, vnde in effusam fugam retroacti, confessi sunt occultam reuera quamdam virtutem pro foribus stare; seque acrasia percolsos circuiuisse domum, nec vnquã aditum potuisse reperire, haud dubium quin Assistente eis præside loci virtute; quin etiam viderunt vigiles aliquot religiosæ velut sepimentum porrectum in hostes, quod nunquam transilire potuerunt. Quæ omnia excerpta ex Gestis Theodorici præfati Attrebatensis 21. Antistitis, Galliæ Christ. Tomo 11. Raissio, Loetio in Chron. Belg. ad A. 1379.

LXVI.

1324. *Cart. S. Mariæ de Pratis* iuxta Monsterolum Ambianorum. Auctor huius Asceterij [nomen desideratur] cum in Sacramento de ea ædificanda sensim tepescetet, mira visione ad implendum quod spoponderat excitatus est. Concesserat ad Veronicam, quæ Monsteroli apud Sanctimoniales Ord. Cisterciensis colitur, in quam obtutus figens, terribile dictu! Christum aspexit toruos ab ea oculos, indignatumque aspectum auertentem. Puduit, doluit, expauit, causamque Numinis commoti apud se inquirens, hæc præ cæteris grauissima visa est, votum de Cartusia ædificanda neglexisse. Statuit cunctationem culpabilem solertiori structura vindicare. In hanc confestim ac iuit sententiam, faeri Lintei externo in schemate nihil amplius toruum in oculis, nihil sinistrum aspexit, quin potius arridenti similem, gratiam sibi senfit afflauisse. Hæc Zuuedero de Abconde Vltraiectensis Domus constructori applicat Raissius, vbi de eius Genesi, quæ tamen narranda de constructore Monsterolensis disco ex Dorlando Lib. 6. cap. 28. cum facti veritatem hauserit ex MS. Henrici Kalcariensis, lib. de orig. Ord. Cart. cuius Æuo res accidit. Inter Cartusiæ Audomaropolitanæ fastus recensetur traductam ab ea hanc propaginem, & Petrum de Bergis Rectorem, ex suis itidem primò datum, qui Petrus exauthoratione tandem A. 1333. impetrata, mortalitatem expleuit, tumulo eleuatiori, ac Epigraphe dignus, quam appendo.

Hic iacet D. Petrus de Bergis Cartusianus bonæ memoriæ primus initiator, & promotor huius domus, qui fuit à confessionibus nobilissimæ, & potentissimæ Dominæ, Dominæ Comitissæ Boloniensis, & Auernæ, Filiæ Regis Francorum, qui obijt anno salutis millesimo, trecentesimo, trigesimo nono decimo septimo Ianuarij.

LXVII.

1325. *Cart. Fontis B. Mariæ* titulo, ad Franciæ Prouinciam spectans.

LXVIII.

1326. *Mons omnium Angelorum*, in Soals Comitatus Tiroli Oppido, altissimos intra montes, rupesque inaccessas sita Cartusia, ita vt vix aliquot horarum spa-

tio peruia fit, locusque horroris, ac vastæ solitudinis. *Principe* conditore excitata, nempe *Poloniæ*, ac Bohemiæ Rege *Principem* occupat locum in *Prouincia* Alemaniæ Inferioris, *Monasteriorum* videlicet Nouæ Cellæ, in Grunauu; Cellæ salutis, in Tuckelausen; S. Saluatoris, Erphordiæ, Herbipolitani, *Memmingani*, Asthemiensis, Ratisponensis, & in Illembach à Baltassare de Faer positi, quibus olim iungebantur B. *Maria* apud Norimbergam, Annunciatio B. Mariæ Padebornensis.; Hortus Christi Noertlingæ; *Passio* Christi, apud Legnitz, B. Maria boni lapidis, secus Vrachium; Transfiguratio Iesu Christi in Misnia; *Mons* S. Io. Baptistæ de Vogelsberck, & Erphordianæ Filia S. Elisabeth in Turingia. Cæsareis haustis sumptibus, Primatu amplissima in Prouincia obtento, à sublimitate, & natalium, & gradus cum temporalium copia opum, tum bonorum vbertate spiritualium nunquam excidit, sibi ipsi vndequaque respondens.

LXIX.

1327. *Cart. Mons S. Mariæ* appellata, Fœminarum huius Propositi apud Betuniam in Artesia, loco verò Gosnay nomine Parthenia, de qua lege sub *An.* 1320. vbi de Gosnayensi itidem virorum Cœnobio.

LXX.

1329. *Cart. Sylua S. Martini* prope Gerardi-montem in *Belgio*. Diœcesis est Cameracensis, & Claustrum sua primordia referens in Ioannem Gheylins conditione rusticum, at bonis fortunę copiosum, qui eam fundare aggressus in prædio Rodendriesck à Niouuensi Abbate coempto in vicinia viæ publicæ Atho, & Gerardi *Monte* Ninouiam ac Alostum Flandriæ Oppida ducente, eamdem *Anno* sequenti magis à turbis semouit, statuitque in sua Schendelbeke villa, quam etiam pro dote attribuit. Debet præterea Templi consecrationem Ep. Lindensi vi dimissorialium Petri Cameracensis Hierarchæ A. 1352. Priuilegia, & immunitates Ludouico Cressiaco Flandriæ Comiti, tanto Brunonis filiorum *Mæcenati*, vt Cartusiarum per Flandriam exordia ferè cuncta in eius tempora inciderint; Regiam protectionem Ludouici successoribus. Io. & *Philippo* Burgundiæ Ducibus, & Flandriæ Dominis A. 1406. & 1436. redituum tandem incrementa Baroni Schornacensi, *Margaretæ* de Vuedergracte, Voorde Domini, coniugi, & Roberto aurei Velleris æquiti, qui erecta sibi domo claustro attigua, in eam secedebat aliquot per Annum hebdomadibus, solitudini, abstinentiæ, orationique, ac si Monachorum vnus, incumbens. Postquam verò ab Iconoclastis deuastata fuit, restitutionem suam debet P. Leuino de Iaeghere Priori meritissimo, Prouinciæ Flandro-Belgicæ Conuisitatori, illi scilicet Leuino, cui Petrus de Vualllus syllabum suum inscribit A. 1632. *Pius* initiator Ioannes Gheylins post fortunas suas, se quoque Brunonis Instituto adiecit, & inter conuersos deuotus, Cælum quinquennali pœnitentia consequitur, vti eius Cęnotaphium ibidem docet.

Hic iacet Ioannes Gheylins: Obyt A. millesimo trecentesimo trigesimo tertio, decima sexta Septembris, & Isabella de Goede eius vxor, obyt Anno millesimo trecentesimo trigesimo primo, Octaua Octobris.

De qua Cart. Sanderus, Flandriæ illustratæ Tom. 11. p. 528. Io. Vuasbergius Lilleriensis, in Gerardi *Montio*, L. 2. cap. 4. Lindanus, Teneræmundæ L. 3. cap. 3. n. 101. Gaillardus in Analectis.

LXXI.

1328. *Cart. Bassa-villa* nuncupata, decima Prouinciæ Franciæ Colonia.

LXXII.

1328. *Cart. Montis S. Io. Baptistæ* in Vico Zelemensi apud Diesthemium Brabantiæ

bantiæ Oppidum Auctoribus Gerardo Toparcha Dieſt-hemienſi, & Ioanna à Flandria coniugibus. Louanio quinto milliari; Mechlinia, ſexto; Antuerpia atque Broxellis nono diſtat; famigeratæ verò Sichemienſis Virginis, de qua eruditiſſimè Iuſtus Lipſius admodum affinis, quæ diuinum neſcio quod contermino huic ſepto afflare videtur, vt ſcitè Inſerit Raiſſius, cum dixit, reſtaurari hic cognationem veterem inter Virginem, & Montana, rurſumque domum ingredi, ſi non ſilentiarij Zachariæ, certè domum domeſtici Ordinis ſui. Mirùm prorſus, Dorlandum huius Inſtitutionis Chronicon apprimè eruditum edidiſſe, nec verbo quidem facto Dieſt-hemienſi de hoc Cœnobio. Verùm, eo de Monaſterio ſuæ curæ aliquando ſubiecto, ſilente, audiendi Miræus in Donationibus Belgicis; Lipſius, Cap. 3. Virginis Sichemenſis; Raiſſius, in Geneſi Cart. Belgij; Bollandus 12. Martij in notis ad vitam Dionyſij, Rickelmij, cap. 1. n. 3.

LXXIII.

1318. *Cartuſia B. Mariæ Cadurcenſis* à Ioanne XXII. *Pont. Max.* inſtaurata, prout ſupra ſub Anno 1318. n. 61. vbi De Aſceterio Boni-paſſus ab eodem *Petri Succeſſore* inſtructo.

LXXIV.

1327. *Cart. Gandauenſis*, Luculento *Vallis-Regalis* titulo, Regiam, qua pollet magnificentiam præferens. Eam excitat, ſeu primus dotat Ioannes Vuillebertius ad D. Donatianum Canonicus, in quam itidem Ludouicus Flandrorum Rex immunitates, & priuilegia; Michael Crelian primus Superior, paternas ſubſtantias; Gandauenſis Senatus impenſas ad cellas tres conſtruendas ex publico ærario contulerunt. Sed, & alij duo pernobiles viri agros contermινos addidere, permoti, alter quidem Monachorum in Dei laudibus concinendis aſſiduitate, alter verò Guillelmus de Vuaeroeuijch nomine, humili patientia cuiuſdam ex conuerſis, qui ei alapam impegenti alteram genam illicò percutiendam porrexerat. Vallis-regalis nuncupationem ſortita eſt, non quidem regiæ ab amplitudinis mole, modicis enim exordijs incæpit, licet poſteà 130. pedum longitudine 30. verò latitudine, pulcherrimo ambitu, excelſaq; turri arboribus, gramine, floribus viſum oblectantibus ad regiam nobilitatem heroico ædificio inſtructa fuerit; minus à dominio feudali huius loci, ſub Caſtellania veteris caſtri, quod Audenburch vocant, vt quidē auidè accipiunt, & in Originibus Cartuſiarum Belgij vulgatum eſt: ſed à loco, & dominio Roy-heym, quod idiomate Gallo Germanico locum Regalem ſonat. (Roy quippè Gallis Regem ſonat; heym Germanicè locum ſignificat); idcirco quod tres Reges Gaudam obſidentes ibi tentoria fixiſſent. Ad cuius vallem Cartuſia Gandenſis conſtructa, Vallis Regalis appellata eſt. Inter Belgicas Anno 1599. clades ruina obruta fuit hæc domus, & 1584. intra Vrbis mœnia in confinibus Parœciæ S. Saluatoris ad Clauſtrum olim Tertiariorum Ord. S. Franciſci tranſlata, quietiorem ſedem inuenit. In hac reſtauratione antiquum amiſiſſe nomen, & S. Brunonis in Eremo appellatione nuncupatam haud aſſeram. Capitulo Generali Anni 1585. die 19. Maij ita placuerat. Verùm ratihabitione non obtenta à comitijs Anno 1586. decretum præcedens infirmatum eſt. Hoc enim conſuetum inter Cartuſienſes, Acta vnius conſeſſus Generalis irrita eſſe, niſi per ſubſequens conſtabiliantur. Ex hoc defectu iam nomenclatura S. Brunonis in Eremo, vt minus valida reijcienda foret. Sed ad priſcum titulum maiori ſoliditate ei vindicandum D. Leuinus de Iagere diù eiuſdem domus moderator à Reuerendiſſimo P. Domino Brunone de Affringues Ord. Generali in Comitijs An. 1629. impetrauit, Valliſque Regalis peruetuſtum, & celebre ei nomen reſtituit. Aſſerunt Petrus Hyſene

eiusdem Gandēsis Cart. Ascera In historicis eiusdē monumentis MS. Sanderus, Lib. 5. cap. 6. Rerum Gandauensium ; & Flandriæ illustratæ cap. 13. Raissius, atque Miræus.

LXXV.

1329. *Cart. Trecensis* Augustissimæ Cælorum Reginæ nomini inscripta, & Prouinciæ Franciæ Monasteria adaugens.

LXXVI.

1330. *Cart. Vallis Clara* Petragoricensis Diœcesis in Aquitania, inchoata ab Archimbaldo Petragoricensium Comite, & deinde consummata à Talairando S. R. E. Card. eius fratre, Ep. Autissiodorensi, qui A. 1364. ea nondum ad fastigium perducta decedens, decem millia scutatorum auri, quibus absolueretur, tabulis extremæ voluntatis, à Sammartanis in eius vita editis impendit: Ait enim *Item legamus Conuentui Vallis-Clara Ordinis Cartusiensis, Petragoricensis Diœcesis 10000. scutorum Ioannis Auri, qua iam habemus separata in quadam capsa, cuius claues habet Prior Cartusiensis de vltra Pontem Aueniōnis, pro faciendis adificijs ad dicti Conuentus perfectionem.* Ne Ioannes Birellius in Petri Sede collocaretur Talairandus obstiterat, quo postea miraculis in tumulo corruscante, dolore tactus, beneficijs, ijsque maximis, Ordinem cumulauit, quæ inter ab eius vitæ instauratoribus recensetur structura Vallis-Claræ.

LXXVII.

1337. *Cart. Treuirensis, & Pragensis* hoc Anno consurgunt. Vtramque condidit Balduinus Archiep. Treuerensis, illam quidem suis expensis, hanc verò suæ munificentiæ exemplo. Mox enim vt excitatum à Balduino Nepote Claustrum huius Obseruantiæ resciuit Ioannes Bohemiæ Rex, religiosa æmulatione commotus, eiusdem professores suam in ditionem accersitos, iuxta Pragam nobili in Monasterio excepit, & ipse. Treuerica S. Albani, Bohemica verò ad Regis placitum Hortus B. Mariæ nuncupationem præfert. De vtraque luculenter Christophorus Brouuerius Annal. Treu. lib. 17. cap. 74. Pragensis etiam meminere rerum Bohemicarum Scriptores Ioannes Dublauius, Cochleus, Georgius Bartholdus Pontanus, cuius testimonio: *Henricus Sextus Imperator habuit filium Ioannem caecum, quem Bohemii prafecit. Qui religione tactus, miratusque asperam Cartusianorum vitam per quam corpora castigareat, & in potestatem suam redigerent, Cartusianos nunquam antea in Bohemia visos, Pragam, condito illis Templo, & bene dotato adduxit.* A. 1406. Zischa ad nefas quodcumque Vssitas præunte, Claustrum hoc expilatum igni traditur; Monachi ad carceres ignominiosè abducti, & tandem in Moraniam dimissi. Non multò post, hæretica insania mitiùs agente, expilatas Ædes secundò incoluere, donec A. 1420. eadem feniùs quàm antea debaccante, iterum concidit, nec vltra, Vssitis licet edomitis, Ordini patuit, eius facultatibus inter Sæculares distractis.

LXXVIII.

1332. *Cart. Belnensis*, seu apud Belnam Burgundionum Oppidum, Fontanetum originali appellatione dicta, cuius primordia Guillelmus Paradinus pag. 69. de statu Burgundiæ prodit his verbis: *Hugonem Eudo subsecutus est, Vxorem ducens Ioannem Artesioram Principem, ex qua Philippum genuit, vnicum paterna ditionis haredem. Huius opera, & pietate constructum est Cartusianorum Belnense Cœnobium circa Annum Christiana salutis millesimum trecentesimum trigesimum secundum*, & infra pag. 169. *Caeterum Eudo Burgundia pientissimus Princeps Cartusiensibus Cœnobitis Templum ac diuersoria Monastica, regijs prouentibus ditata Belna exedificauit.*

1333.

LXXIX.

1333. *Cart. Noua-Cella in Grunaw* prope Vuirtheim in Franconia, quinto fermè lapide à Vuireeburgo, conditore Comite à Vuirtheim, & ampliatoribus nonnullis Nouitijs, qui se, suaque inibi Altissimo consecrarunt. Præcedebat in Prouincia Alemaniæ inferioris, seu Franconiæ, quæ optimis orbata propaginibus, amplam modò exhibet molem, vt diximus, verùm maiori ferè parte exeisam. Propagines fuere Cella B. Mariæ, apud Norimbergam; Hortus Christi, penes Noertlingam in Sueuia; Passio Christi; B. Maria Boni lapidis; Transfiguratio Iesu Christi, *Mons* S. Ioannis Bàptistæ; B. *Maria*, apud Paderbonam; S. Elizabeth, apud Isnacum; de quibus suo loco. Ipsa quoque ingentem reuerà cladem passa est circa Annum Domini 1550. ait Beyerlinckius, quando plerique Lutheranorum Princeps Passauiensem diætam, in isto regionis tractu instituere.

LXXX.

1336. *Cart. S. Barbara* in Vrbe Coloniensi instituta à Vulramo Archiepiscopo einsdem Ciuitatis in loco, vbi Diuus Seuerinus, Cœlestem in S. *Martini* Episcopi Turonensis transitu, melodiam audierat. Vt hunc eligeret situm cælitus edoctus est, voce audita. S. *Martinus* vult hic ædificari. Liberet hic Henricos, Kalcariensem, ac de Piro, Vuernerios, Bloemenuennas, Lanspergios, Surios, Petreios, aliosque eruditissimos recensere Scriptores. Domesticum adderem prælum, quo SS. Patres, & pios quosque Auctores, seu calamo exaratos, seu alias iam typis euulgatos recudere, curat, ad hæreticorum eludendos astus, quocumque expurgatos errore, & ad sacris Codicibus virtutem fouentium excitandos calamos, gratuita impressione exhibita. Haud silerem celebriora præconia, illustria nempe eius sanctitatis lumina. At quicquid de ea dixero minus erit. Literati insigne complent Athenæum; pietate inclici, amplissimum Pantheon vno in claustro pandunt, nec Brunonis familia elariùs alibi elucescit, quàm in Brunonis patria. Nicolaus Esckius huic Cartusiæ inscribit opusculum piorum exercitiorum excusum caractere Plantiniano A. 1569. in 12. in cuius Epistola præliminari, pietatem, doctrinamque alumnorum huius familiæ multis commendat, quemadmodum, & Dorlandus lib. 6. cap. 20. vbi de miraculosa eius erectione; Petreius, in Notis ad cap. 21. lib. 4. Chron. eiusdem Dorlandi, Bruschius, Cratepolius, in recensione Antistitum Agrippinensium; Erardus Vuinheim, in Sacrario Coloniensi; Ægidius Gelenius, in Hist. eiusdem Ciuitatis.

LXXXI.

1334. *Cart. S. Martino Neapoli sacra*, cuius fundationis in paucis solemnis lapidem iecit primordialem Carolus Dux Calabriæ, Roberti Neapolitani Regis filius, supremisque interceptus fatis absoluendam curauit per Ioannam filiam, eiusdemque Parthenopeæ Ciuitatis Reginam, prout tabulæ rogatæ per *Marturium* Seruium Notarium, asseruatæ in Archiuio vulgò della Zecca, & ad vberiorem sacræ suæ Neapolitanæ Historiæ eruditionem à Cæsare de Engenio pag. centesima octuagesima septima editæ. Cuius etiam nemo satis miretur, Cæli salubritatem, Ædificij aut metationem, aut molem, dotis pinguedinem; Cœnobitarum cum sanguinis splendore doctrinam, & sanctitatem; quippe quæ ad sexaginta circiter argenteorum millia singulos in Annos locuples, ad cliuum Castri, S. Elmo, vt aiunt, sita eminentique incumbens colli, ex vno latere totius Vrbis, ex alio verò subiecti maris iucundo fruatur obtutu. Verùm regiæ Vrbis, aduenarumque Sirenum litus propè salutantium magis ne decoratur prospectu nobilis hæc Cartusia, quàm Neapolitanis Patritijs, exterisque suspicienda ipsa est? Iure merito ambigas. Enimuerò siuè eminentem molis maiestatem à longè illis

gè illis objiciat, siue propè accedentes, amplissimum intra peryſtilium eoſdem excipiat: neſcias quid ad ſui admirationem magis excitet, ac luculenta Sacrarij ſupellex, an nitidus Templi apparatus, ac ſumptuoſa clauſtri, cellularumque moles, aut Cœnobitarum in Dei obſequio, & regulari obſeruantia feruor, eorumdemque charitas in confluentium ad oſtium egenorum turbis temporali ſua lautitie copiosè enutriendis.

Eidem huic Cartuſiæ *Martinus* V. Bulla ſignata A. 1443. aliam vniuit, quam ſub Ianuæ Paradiſi attitulatione, & ſub Diui Ioannis Baptiſtæ auſpicijs condiderat Agnes Grauinæ Duciſſa in Oppido Gujlloniſij A. 1339.

P. Andreas *Molfeſius* Cl. Reg. Theatin. in Promptuario, ſeu moralis Theolog. Summa, Tract. 9. num 69. pag. 667. abſtinentiam à carnibus, Deo fauente, in Ordine Cartuſienſi inuiolatam comprobat miraculo, quod in hoc Cœnobio accidit. *Cum enim*, inquit, *grauiter infirmatus eſſet quidam Monachus, amicus eius Sæcularis, miſericordia ſæculari motus apportabat illi Gallinas quaſdam aqua coctas, & ferè conditas. Cumque ſepta Monaſterij ſæcularis ille ingreſſus eſſet, ſtatim gallinæ bermes generarunt, & putrefacta fuerunt, & ſæcularis ille nouitate facti perterritus, veritatem aperuit dicto Monacho infirmo amico ſuo, non aliter conſcio de prædicto, qui ſæcularem reprehendit, & Deo ſe commendans pro ſanitate recuperanda*, meruit exaudiri. Alijs prodigioſis euentibus carnium eſus in nonnullis Mon. prohibitus, quos varij Auctores enarrant.

LXXXII.

1334. *Cart. Bononienſis S. Hieronymo nuncupata.* Omnia in hoc Monaſterio ſumma Ager domeſticus, ſylua, fontibus, floribus ſpecioſiſſimè excultus, clauſtrorum ambitus, aulæ hoſpitum, Templi ædificium, quæ ad inuidiam ſpecioſiſſima Aſceteria Ticinenſe, & Parthenopçum apud ſacræ magnificentiæ aptos Iudices interpellant de palma inter celebriores Orbis Cartuſias præteoſa; Tabulę imprimis, quas exquiſita arte, æmuloque penicillo expreſſere Auguſtinus, & Ludouicus Carraccij, Franciſcus Barberius, Franciſcus Geſſus, Cecius, alijque ſuæ Æratis Apelles. Verùm maxima quantumlibet cuncta, inæqualia tamen Monachorum incolarum amplitudini, qui non terrenis ſpatijs ſe dilatare ſtudentes, ſed æthereis, hæc artis miracula aduenis intuenda ſinunt, dum Cellulis occluſi ſuis, cæleſtem, ad quam anhelant, metiuntur laxitatem. Quemadmodum apparet ex monumentis *D. Franciſcus de Sero Parmenſis, Canonicus Tungrenſis fuit Fundator principalis huius Monaſterij, cuius corpus iacet in Eccleſia noſtra à ſiniſtro cornu Altaris, vbi apparet marmor in pauimento, & donauit aliquas poſſeſſiones omnium primus A.* 1333. *Has autem largitiones impertitus eſt expreſsè ad ſupplicationem D. Ioannis Andreæ Doctoris intendentis Eccleſiam ipſam fundare cum aliquibus Cellis de Anno* 1334. *Indict.* 2. *die* 17. *menſis Aprilis*. Qui Ioannes Andreæ ſcripſit etiam luculenter de abſtinentia à carnibus, in hoc Ordine obſeruata, ſeque huius domus Inſtitutorem propalat.

D. Bonacurſius Abbas S. Proculi de mandato Alberti Bertrandi Ep. Bononienſis lapidem ſacrum fundamentis aptauit decimoquinto Kal. Maij Anni præfati 1334. cuius ſucceſſorum Ioannes Naſo Eccleſiam conſecrauit quinto Nonas Iunias Anni à lapide primordiali ſeptimi, & vigeſimi; Aymericus verò ſpectabilem ædificij partem adiunxit, inſcriptionem promeritus, quam reſcripſit Vghellus T. 11. Italiæ ſacræ. Aliorum etiam Benefactorum memoriam perennant monumenta per clauſtra, & in Eccleſia nuper diſpoſita, ſingulatim Nicolai Quinti Pont. Max. Cænaculi ſuo ære conſtructoris.

Bononienſem Cartuſiam laudibus efferunt Carolus Sigonius lib. 11. de Ep. Bono-

Bononiensibus; Antonius Masinus, Bononiæ perlustratæ pag. 361. sub 2. Iunij, itemque pag. 510., & Ioannes Andreæ, eius Institutor, Cap. 2. de Decimis, alijque permulti, *cum P. Sebastiano à S. Francisco*, è Carmelitarum nudipedum cœtu, in inscriptione libri de Disciplina Monastica ad Monachos eiusdem Eremi.

LXXXIII.

1331. *Cart. Confluentina*, sub prisco Montis S. Beati nomine primò Benedictinorum, deinde Canon. Regul. postremò Brunonis filiorum sedes, fauore Balduini Archiep. Treuirensis, ex relatione Christoph. Brouuerij, Annal. Treuirensium lib. 17. cap. 44.

LXXXIV.

1335. *Cart. Molshemij*. Fuit Argentorati ad A. 1590. ædium laxitate, ijsque bonis, quibus fortunæ nomen, copiosissima. Initia Cælo auspicante iacta narrat Dorlandus, vbi Cartusias propemodum omnes, præuio miraculo, conditas, eruditissimè adstruit. Siquidem cum Sanctimonialis quædam inclusa, diuinis reuelationibus passim illustris, futurum aliquandò, vt & Argentoratum Cartusiensium incolatu accresceret, designata etiam claustri erigendi area, Numinis afflatu, cognouisset, Ciues pinguiores ad se confluentes hortari cœpit ad mentem diuinam quantocyus implendam. Quòd cum illis placuisset, & patrimonia ad structuram vltrò iam destinassent, auditus vndique, & delatus ad Consulum aures questus vxorum exaggerantium, viros claustra moliri posteris onerosa, & facultates à filijs exhæredibus ad Anachoretas transferri. Id imprimis turpe, quod muliereulæ inani sanctitatis rumore famigeratæ Consilio. Consules, abstinerent ab inceptis, Ciuibus mandant, paucis Cartusiensibus iam illuc accitis, vasa colligerent, mandant. Sed quandonam Tartari dolus, aut malitia Sæculi, Dei consilium destruxit? Virgo Inclusa abeuntium Monachorum Rectorem monet pedem sistere. Mox implendam spem quam abiecerant, asserit, & Coloniam in limine erectionis aduersantium æstibus iactatam, in celeberrimam, præ cæteris sui Propositi claustris, exsurrecturam. Eam, Deo consilium aperiente, loquutam, comprobanit euentus, nam haud moliò post collatis opibus Gerardi de Saxonia, & Vuerneri Hessij, caput mole sublime à fundamentis erexit sub titulo Montis S. Mariæ. Inquilini castigatissimis moribus, alijsq; titulis singulares frequentes occurrent in Athenæo, Sacrisque huius Institutionis fastis, nunquam enim scientia, & probitate non claruere, donec hæresi rerum summa Argentorati petita, Molshemium castrametatur Anno 1590. Cæsarem procurasse vt in solidum restitueretur tradit Raissius in prolegomenis ad suam Cart. Belgij historiam. Quod faxit Deus Optimus quisque vouet, nam Ioannes Eckius (vt reliqua prætercam, quæ de Cartusianis Argentoratensibus hominum memoriæ prodita sunt) in Replica Nouatoribus obijcit, eos solos abundantiorem egenis corrogare stipem solitos, quàm nunc moris sit amplissimæ, & ditissimæ Ciuitati.

LXXXV.

1337. *Cart. Gennicensis*, seu in Gennico Austriæ pago condita, & *Thronus B. Mariæ* nuncupata, de qua Theatrum vitæ humanæ Tom. 6. Lit. R. Verbo Religio habet: Ædificiorum splendore, atque opum magnitudine cæteras istius loci Cartusias longè post se relinquere. Quippe quæ fundatorem habuit Albertum Austriæ Ducem, Romanorum Regem, quem fata hinc an. 1363. eripuere: estque vnà cum thori sui consorte Domina Ioanna Sorore nimirum Regis Bohemiæ, ac Poloniæ, eodem in tumulo, ibidem humatus.

LXXXVI.

1343. *Cart. Pontiniani*. Apud Senarum vrbem in Etruria altera locata sedes, inditumque S. Petri nomen. Impensas suppleuit generosa Bindi de Bindis Ciuis Senensis, Præpositi Coloniensis pietas, eius scilicet Bindi, quem in erectione Domus Maggianæ executorem testamentarium Card. Ricciardi de Petronibus diximus. Ita Epigraphe ad tumulum loquitur.

Bindus Senensis domus huius Cartusiensis
Prudens Fundator, Domini Papaque notator
Hanc Petro donauit, iacet hic, super astra volauit
Anno milleno trecentum, Lustroque deno
Addas tres Maij pleno die tunc septimo deno

Vrbanus VIII. sub Dat. Romæ A. 1636. instante Priore Generali Ordinis Pontiniano huic Cœtui, alium de Belriguardo vniuit, quem sub appellatione Purificationis B. Mariæ Mino Xenodochij Senensis Præfectus, & Donus Deo Malauolta Senensis Antistes moliri curauerant ad mentem Nicolai de Cinughis Senensis Trapezitæ, Mini fratris Germani, qui ex pingui hæreditate hoc Deo, eiusque Sanctissimæ Genitricı Sacrificium obtulerat. Ad duo millia passuum Senis primò discreta, postea bellis deuastata A. 1618. Idibus Iunij alia in area non multùm à prima dissita, sed commodiori redintegratur, astante Alexandro Petruccio Senarum Hierophanta, & tandem in rem Pontinianensis transijt. Debuerat, & hæc vel obiter commemorari familia, vt ex P. Bartholomeo Scala referibam Epistolam Ioannis Galeatij Vicecomitis ad Senarum Commune, seu insigne eiusdem vrbis elogium petitum à tribus suo in agro exeitatis Ordini Cartusiano Colonijs. Epistola inquit.

Magnifici filij Carissimi. Habet illa Ciuitas vestra Senarum, prout nobis asseritur, plura Cartusiensium Monasteria, quam alia Ciuitas Christianitatis. Quod profectò redundat illi Ciuitati vestræ ad maximum honorem, & gloriam, quod cæteris Ciuitatibus prædicta in almo, & deuotissimo Ordine illo præualeat. Proindè moti grandi deuotione, quam dicto Cartusiensi Ordini gerimus, rogamus filiationem vestram affectione, quam possumus, vt Monasteria dictorum Cartusiensium super vestra Senarum sita territorio, & fratres eorumdem Monasteriorum velitis tam contemplatione tanti Ordinis, quam nostris precibus in omnibus fauorabiliter, & propitiè suscipere recommissa, & ea præsertim à quibuscumque taleis praeseruare. Ex hoc enim opus pijssimum facietis, nec minus complacebitis nobis multùm, qui adeo dictum Ordinem veneramur, & colimus vt de proximo vnum Cartusiense Monasterium propè hanc Ciuitatem nostram Papiæ ob deuotionem dicti Ordinis, quam solemnius, & magis poterimus construi facere intendamus. Dat. Papiæ 20. Nouembris 1394. Galeatius Vicecomes, Comes Virtutum.

LXXXVII.

1338. *Cart. Lucensis*, seu in Communi Farnetano Lucensium Diœcesis Oppido, tertio ab vrbe lapide, ædificata est hoc Anno ex opibus Gardi, Bartholomæi de Aldibrandis Patritij Lucensis filij, sedente, & approbante Guillelmo Dulcino eiusdem Ciuitatis Antistite nono supra sexagesimum, & ad mentem Auctoris, qui extremis id tabulis iusserat, Sancto Spiritui inaugurata. In Sacrario huius Ecclesiæ insignia coluntur SS. Lipsana recensita à Cæsare Franciotto lib. de Sanctis, & Ecclesijs Ciuitatis Lucensis, eiusdemque ditionis pag. 189. qui primus huius Cartusiæ primordia ex antigraphis hausit, euulgauitque in Ecclesiastica eadem patriæ Historia.

In

In Ecclesia plastico opere, alijsque ornatibus recenter condecorata, legitur.

Templum hoc cum Cœnobio
Spiritui Sancto dicatum
Pietate ac Munificentia
Gardi Bartholomai de Aldibrandis
Patritij Lucensis à fundamentis
Erectum fuit Anno Domini M. CCC. XL.
Et ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino
D. Berengario Episcopo Lucensi
Consecratum fuit Anno Domini M. CCC. LXIII.

Extra verò Ecclesiam aliud extat optimi Conditoris monumentum, videlicet.

Gardus Bartholomai de Luca
Fecit fieri Monasterium istud
Pro salute anima sua,
Et suorum Haredum, Anno Domini
M. CCC. XL.

LXXXVIII.

1341. *Cart. S. Laurentio inaugurata*, primo extra Florentiam lapide, cuius Conditor Nicolaus de Acciaiolis, ibidem tumulatur sub hoc Elogio.

Hic iacet Corpus magnifici Militis Domini Nicolai de Acciaiolis Regni Hierusalem, & Sicilia Senescalli, cuius laudes in ara scriptis versibus adnotantur. Obijt autem Neapoli, & demum translatum fuit Corpus suum ad hanc Ecclesiam, quam viuus adificauit pro salute Anima sua, & suorum Parentum.

Gloria militia, mansuraque fama suorum
Offensis alta infundens obliuia lasus
Fidus consilijs, ac ferro in bello tremendus
Eloquio potens, magnum quem clara Loygi
Regna Seneschallum videre. Hinc Trinacrius, illinc
Inclyta Hierusalem Christi veneranda sepulcro.
Quemue tulisse parens gaudet Florentia Ciuem,
Hoc Acciaiolum celebri de stirpe creatus,
Sarcophago clausus, cineres Nicola reliquit
Huius, & Ecclesia Fundator liber Olympum.
Mense petit Christi post Annos mille trecentos
Ac sex vndecies octaua luce Nouembris.

Iacet quoque ante Aram S. Brunonis Franciscus Gallutius ingens eius Benefactor, cuius ad dexteram eiusdem Sacelli pendent insignia, ad læuam verò Epitaphium.

Francisci Gallutij Nobilis Florentini hic ante ascensum Altaris iacent mortalitatis exuuia, cuius beneficentia erga Cartusiam hanc, eius Monachi religiosi obstricti hoc amoris, & grati animi monumentum ei fecerunt A. 1638. *V. Cal. Septembris, quo ille gentis sua vltimus omnium ex hac luce migrauit.*

Visitur etiam marmoreum aliud sepulcrum in vestibulo Chori cum Epigraphe.

Hic iacet Corpus Prudentis Viri F. Ioannis, Fr. Mathei de Bemena, qui simul cum Vxore sua ....se, & sua Deo dedicarunt, & huic domui commiserunt, obijt An. Domini 1418.

Quæ omnia ipse exscripsi, cum Florentinam ipsam Cartusiam adij, & Basilicam, Monasteriumque de more perlustrarem, referuntque Bartholomæus Senensis in Notis ad vitam B. Petri Petronij, Vghellus in Ep. Florentinis, & Varinus insignis Poeta, vbi de Acciaiolia gente canens, ait,

Cartusij huius Opus, moles pulcherrima Templi
Egregijs ornata viris, domus hospita Musis, &c.

LXXXIX.

1347. *Cart.* à Diuo Tutelari, *Mons S. Ioannis Baptista dicta*, apud Friburgum Heluetiorum.

XC.

1349. *Cart. S. Ambrosij*, alias *Agnus Dei* nomine iuxta Oppidum Garignani, Diœcesis Mediolanensis, D. Ioannis Vicecomitis Mediolanensium Archiepiscopi splendidum opus, de qua apud Carolum à Turri Can. Basilicæ SS. Apostolorum, & Collegiatæ S. Nazarij, in elucubratione lingua vernacula edita, & prænotata *Il Ritratto di Milano*, libro 2. pag. 195., & 233. haurio, fundatoris quidem titulum debere laudato Hierarchæ Ioanni, Luchinum autem Vicecomitem cognomento *Il Nouello*, Luchini primi, qui genitorem habuit magnum Matthæum, filium, amplissima eamdem hæreditate cumulasse, qua dotem Cœnobitis Cælestium meditationi perpetuò emancipatis, lauiè constituit. Anno 1440. eodem Auctore, propagò ex hac Eremo ad S. Ambrosium celeberrimam Mediolani Basilicam traducta est ab Abbate Commendatario Branda Castilioneo S. R. E. Card. Ep. Placentino, Cluniacensibus incolis infesto, cum onere celebrandi laudes diuinas ritu Romano, sed Philippus Maria Vicecomes, Mediolani Dux, inremoto etiam, ni recedereor, igne, eosdem Cartusienses inde expulit, qui Garignani reperiere lares, numquam imposterum Ambrosianis rebus animum adiecturi.

Cæterùm Mediolanensis hæc solitudo Papiensi admodum consimilis est, tabulis celebribus, & ædificijs amplissimis, infra tamen Papiensis magnificentiam.

XCI.

1348. *Cart. S. Mariæ, & S. Hieronymi de Montello secus Taruisium, decimo ab Vrbe lapide, fundatoribus Lolberto, & Schenella Taruisij Comitibus, insigni vero benefactore Ioanne N. Ciue Lucensi.* Amplitudinem, censum, speciosissimamque huius Monasterij molem describit Bartholomæus Burchelatus p. I. pag. 279. Commentariorum memorabilium multiplicis Hist. Taruisinæ, è quo mutuauimus sequentia.

Neque lubet interea, dum de Monachis loquor, silentio praterire Cartusianos (quamuis per decem milliaria distent ab Vrbe) in montelli nemoris, Querceti inquam amplissimi, Vmbilico constitutos, siquidem istic est Monasterium infra millia millium, & centena millia quercuum, nullis prorsus Domibus existentibus in toto hoc ambitu longitudinis septem, milliariorum, latitudinis trium, prater quam quod est Abbatia Neruisia satis munita, locuples, & spectabilis, cui praest, cuiusue est nunc Dominus, & Moderator Illustrissimus Abbas Marcus Antonius Brandolinus Vallis Mareni Comes: locus ab illo Monachorum distans per mille passus: locus quippe insignis, in aprico positus editus valde,

& à

& à longè summè conspicuus. Istic inquam est Monasterium horum Patrum optimè dispositum, cum curia ac peristylio, scalisque marmoreis vel subdio, quin etiam Xisto super magnum ostium exporrecto, admodum insignibus, ibi Templum nobile, lavarium praeterea apprime aptatum, & cœmeterium. Cubicula in hoc gyro posita sunt, partim Patribus in officio existentibus, Priori praecipuè, & Oeconomo, seu Procuratori, partim hospitibus destinata; cum praeterea ulterius sit seclusum quadratum, amplumque canadium, cum peristylio fornicato, ubi quilibet alius Monachus, viceni circiter, habitat, non dumtaxellum suam, sed Domunculam valde instructam; quippe quia ibi camera cum camino, tum cubiculum cum lectulo, & studiolo, ac oratorio, & superlaqueario, qui locus grandis est ad instar horrei, hortus ibi praeterea rosidulus, floridulus, excultus, muro conclusus, sibi peculiaris. Hic perpetuum servant silentium, degunt, distinentur, vivunt in cubiculis suis prorsus sequestres, nisi quod ad Templum exeunt ad Sacra Officia persoluenda, quodque stato hebdomadae die post prandia sub recreationis titulo commeant, perambulant, colloquuntur. Horum Patrum prouentus quippe sunt magni, cum maiores admodum essent, antequam Serenissimum Dominium Venetum sibi, Nouale inquam suo super omnibus omnium Principum admirando, totum hunc nemoris Montelli circuitum, Quercetum savè, ut diximus copiosissimum, via strata atque altioribus fossis vallasset, cum ab Aquilone declinans ad Orientem praeterfluat pluuis ampla. Sed quod ad rem nostram attinet, illud mihi libet ex instituto hic de his Religiosis Monacis registrare, quod ant centum Annos scripserat Hieronymus Bononius Poeta celebris Taruisinus hoc Epigrammate.

Carthusianorum Monacorum quies.

Stat Nemore in medio Montelli nobile Phanum
Iam dudum celebri Religione Sacrum.
Praesidet huic senior Hieronymus; ipsaque Mater,
Alma Dei praesens Numen utrumque loco est.
Circum stat crebris, distinctum ex ordine sellis;
Cœnobium, atque ampla commoda cuncta domus.
Cartusij servant hic alta silentia Patres:
A mensis carnem reijciuntque suis.
Haec duo praecipuè nonnullis dura videntur,
Nota quibus summi semita nulla boni est.
Quid refert, quaeso, piscis, lac, caseus, ouum
Corpus an hoc auidum fructifer hortus alat?
Sublimis Cœlum meditatio scandit apertum:
Corporis atque animi est magna silere quies.

XCII.

1352. *Cart. Cella salutis* titulo in Tuckelhausen tribus ab Herbipoli milliaribus distans, ab Ottone insigni Bambergensium Antistite A. 1120. constructa pro Canonicis Regularibus Præmonstratensibus, ad Cartusianos vero deuoluta A. 1352. opera Eberhardi de Rider Herbipolensis Ecclesiæ Decani. In bello Margrauico A. 1552. fere desolata, restituitur A. 1575. insigni sartatecta à P. Nicolao Comitio Belga Priore. Accreuit deinde adiectione Cartusiç nomine Hortus Angelorum non longè ab Herbipoli quæ Auctorem agnoscebat suum D. Eberhardum de Hirscheim Archidiaconum Ecclesiæ Herbipolensis. Celebris est Cella salutis in vigilijs Miræi, vbi Cart. recenset, Bruschij in vita Otto-

nis Ep. Bambergensis, vbi fontem salutis, ante migrationem ad Cartusienses, eamdem appellatam lego.

XCIII.

1353. *Cart. Herbipolitana*, seu *Hortus Angelorum* secus Herbipolim, erectus ab Eberhardo de Hirscheim, eam sibi dote, structura, alijsque nominibus, vindicans in Prouincia Germaniæ inferioris splendoris famam, qua celeberrimæ præ cæteris habentur magna Cart. in Prouincia de suo nomine dicta; Neapolitana, in S. Brunonis; Papiensis in Lombardiæ; Dinionensis in Burgundiæ Prouincijs adiudicant, & si quæ aliæ de nobilitatis primatu compugnant. Eius Monachi ingenio clari passim historico in hoc Spicilegio occurrunt, ideoque eam sua celebritate satis notam, pluribus hic commendare sinendum.

XCIV.

1346. *Cart. Villa noua* iuxta Auenionem. Innocentius VI. conscenso Petri solio nil antiquiùs habuit, quàm beneficia in Cartusienses à se prædilectos effundere. Eminet præ cæteris Cartusia Villanouana, de qua in diplomate emanato in fauorem totius Ordinis inremerito ait; *Dignè igitur ordinem ipsum, & eius membra præsertim nostram domum Vallis benedictionis de Villanoua dicti Ordinis Auenionensis Diœcesis, quam nuper inspirante Domino fundari, & construi fecimus Apostolicæ Benedictionis dulcedine libenter, & fauorabiliter præuenimus.* Hanc enim initio Pontificatu mox initiauit in suomet Villanouano Palatio, opibusque ad cæterorum per Gallias Cœnobiorum inuidiam cumulauit, quæ modo nedum ipsius familiæ sufficiunt, verum, & Massiliensi propagini à Villanouanis Monachis fundatæ abundè supersunt. Auenione defunctus, & apud S. Mariam de Donis Ecclesiam ibi Cathedralem depositus, ad hanc Cartusiam postea translatus est, vbi in membranacea tabella extat adhuc M. S. Epigraphe eius sarcophago incidenda,

Hic iacet Beatissimus Papa Innocentius VI. Primus
Fundator huius Domus, qui Obijt A. M. CCC. LXII.
Die verò XII. mensis Septembris, cuius Anima
In pace requiescat. Amen.

Bertrandus Delcius S. R. E. Cardinalis in hac Cartusia reuocatus è viuis A. 1355. & ab auctoribus Hist. Pontificiæ, alijsque conditor dictus, benefactor censendus est, vti etiam Petrus Pompeiopolitanus, cui Renatus Choppinus debitũ Innocentio titulũ initiatoris vindicat. Cæterum si filij Israel solitudinẽ Thecue, in qua congressuri cum filijs Moab, & Ammon auxilium Domini inuocauerant, indeque Marte Leuitis Psaltrys munito ad hostes fundendos processerant, vallem benedictionis nuncupauere, prout habetur Libri 2. Paralipomenon cap. 20. n. 26. eadem denominatio potiori titulo huic Cartusiæ indita est à perenni Monachorum psalmodia, præclarisque trophæis, quæ de mundo, & Demone inculpatæ vitæ perseuerantia reportant. Vnde verò tantæ Innocentij beneficentiæ in hunc Ord. emanarit occasio; liquet ex fastis sub Anno 1342. De ea consulendi Sebastianus Fantonus Hist. Auenionensis, l.b. 11. cap. 6. n. 18. Io. Baptista Guesnay, Annal. Massiliensium A. 1633. Ciaconius, Andreas Victorellus, Augustinus Oldoinus in Hist. Pontificia, cum Gallia Christiana in serie Antistitum Ebredunensium, & Renato Coppino, Monasticorum lib. 2.

XCV.

1359. *Cart. Castrensis, seu apud Castras.* Belli Visus appellationem sortita est, cum Anno reparatæ humanæ salutis millesimo trecentesimo quinquagesimo nono,

no, & ad incolarum commodum, & ad oculorum oblectationem vastitate laxa, ac schemate speciosissima à fundamentis exijt. Verùm cum Anno sesquimillesimo sexagesimo à Caluinistis per summum nefas excisa est, ruderibus ipsis ad munitionem Vrbis comportatis, luctuosum nimis spectaculum, aspectu olim pulcherrima, intuentibus præbuit.

Eius misertus Ordo, eam Regijs, aliorùmque largitionibus restaurare aggressus est. Duodenis Monachorum numerus ad eam incolendam iam legitur, quò veluti Sol. post nubila clarior, ipsa in integrum restituatur.

XCVI.

1360. *Cart. Omnium Apostolorum apud Leodium.* Imposita est in vertice montis Cornelij Leodico imminentis, vbi veteres cartæ produnt S. Aubertum olim arcem exædificasse, & habitasse. Incolas subinde variauit, excepit enim post *Mo*nachos nigros Cistercienses *Mo*niales, nec non, & Præmonstratenses, quibus recedentibus iterum fit castrum circa A. 1288. tandemque Engeberti de Marcka 47. *A*ntistitis Leodiensis opera in Cartusiensis militis tortalitium conuertitur. Dotem conflarunt facultates Ioannis de Brabantia Scabini Leodicensis, quas illiber decedens *A*bbatiæ S. Iacobi in Insula testamento legauerat, sed quibusdam sub conditionibus conuentus iudicio incongruis. Tabulas a Iacobeis rejectas Engelbertus applicauit Cartusiensibus, quæ licet sufficienti eos dote cumularent, breui census excreuit ex pia liberalitate *C*atharinæ de Flemalia, & Helmici de Moylant Canonici Leodicensis, *Præ*positi S. Bartholomæi extra odeum eiusdem Ecclesiæ quiescentium. Sed quantum excreuit ! Intantum vt mole rueret sua. A. 1487. Euerardus à Marcha vrbem expugnaturus in cænobio castra posuit, opes militi in congiarium tribuit. Ecclesia prima nocte conflagrauit tota. Nec iste malorum finis, sed illo recedente, oppidani concitati ascendentes, exteriores muros solo tenus diruunt, octo cellas demoliuntur, nec reliquis pepercissent, nisi Præsul flexus Visitatorum Ordinis precibus ab euersione abstinendum iussisset. Porrò successu temporis restaurata sunt in solidum omnia, immo sartatecta superat multis partibus elementationem illam primam. Templum marmore, & lapide Iaspide sternitur. Cætera magnificentiùs restitui gratulantur. Ita Magnum Chron. Belgicum; Ioannes Hocsemius, Lib. 1. cap. 17. *Pont.* Leodicensium; Raissius in serie Cart. Belgij, Bucellinus, Germaniæ sacræ p. 2.

XCVII.

1363. *Cart. Sanctimonialium Brugensium,* Suburbanum hoc Sodalitium S. Annæ patrocinio Brugis in Flandria insigne placet sub sexagesimo tertio Seculi tertij decimi Anno collocare. Alij exordia à primò conditis mænijs, & Virginibus ex *M*onte S. Mariæ huc deductis metarentur, cū scilicet constitutę fuere in solo satis sterili tradito à Guillelmo Scoto Chirurgo, & Margareta coniugibus, ac S. Annæ in Vuoestina, seu in deserto vocitato, vel saltem ab ędificio in Campo S. *M*ariæ *M*agdalenæ inchoato. Sed instabiles has sedes missas faciens, de ea loquar, quæ ad vltimas vsque Belgij turbas stetit. Initiatores fuere Ioannes, & Catharina Heist bergij, par coniugum, cum Ioanne eorum filio, Præposito Ecclesiæ Brugensis, nec non, & Decanus Harlebeckensis circa A. 1350. in loco vbi candidatos spiritus discurrere, pastores sæpè conspexerant. Promotor deinde accessit Balduinus Vuossius, cuius impensis structura consummata est A. 1363. firmatoque censu desijt cum inopia conflictare. Inter primas Belgici Martis ærumnas abijt in cineres. Familia in Vrbem refuga inter Virgines Carmelitas aliquando hospitata est, donec in meditullio Ciuitatis recens à funda-

mentis

mentis templum, & claustrum construxerunt sub Priorissa Catherina de Anchemans primariæ nobilitatis fœmina. *Paulo* post cum in pristino extra muros loco morari secundò libuisset, à bellis ciuilibus horum pulsæ sunt. Constitere tandem ad Burgum antiquum Brugense, vbi *Ann.* 1612. Ecclesiam inchoatam, & absolutam conspexit. Hæc omnia Sanderus Rerum Brugensium cap. 5.

XCVIII.

1375. *Cart. S. Trinitatis prope Brunam* Morauiæ Vrbem. Exordium sumpsit fundatore Illustrissimo Principe ac D. Domino Ioanne *Marchione* Morauiæ, Fratre Caroli quarti Imperatoris, quo in ipsa Monasterij inchoatione defuncto, filius eius Clarissimus D. Dominus Iodocus Morauiæ, ac Brandeburgensis *Marchio* paternæ piæ intentioni ac sancto proposito instans, fundationem hanc vtcumque perfecit. Obitus fundatoris, cæterorumque in literis fundationis contentorum contigerunt, vt adnotantur in monumentis eiusdem Cartusiæ.

Ioannis Marchionis Morauiæ. m. ccclxxv. xiii. Nouembris.
Elisabethæ Conthoralis Fundatoris iii. *Aprilis.*
Iodoci Primogeniti Fundatoris. xix. Ianuarij.
Sobicolai Secundogeniti. xxx. Octobris.
Procopij Tertiogeniti. m. cccc. v. xxiv. Septembris.

De quo Bouslaus *Balbinus*, in Epitome rerum Bohemicarum, vbi de hac Cart. disserit, tradit in egestate fatis concessisse ob bona diuisa Ecclesijs, & Cœnobijs.

XCIX.

1369. *Cart. Pisarum* sexto lapide extra insignem hanc Etruriæ Vrbem condita, in loco antea Vallis calcis, & Vallis Buia nuncupato, post inductos autem huius Sodalitij professores Vallis gratiosa dicto. Inscribitur B. Mariæ, Diuo Ioanni Baptistæ, Sanctoque Gorgonio *Martyri*; & promotoribus Ven. *PP.* Francisco ad S. Mariæ de Maggiano, ac Ioanne Lucensis Monast. Rectoribus excitata gaudet opibus *Petri* Mirantes Ciuis *Pisani*, qui migraturus è viuis Henricum *Puccium* de Spazzauento *Presbyterum* Sæcularem facultatum temporalium hæredem ex asse instituerat, ea cautione, vt huiusmodi disciplinæ claustrum erigeret; Lothique de Gambacurtis, qui longè antea diem obiturus suum, fortunas quotquot habebat Ordini eadem mente legauerat, vti Epigraphe docet eius insignibus in claustro subiecta.

Lotho Francisci de Gambacurtis
Pisarum Patritio
Cultores huius Ædes
Bonorum ipsius hæredes
Monumentum hoc posuere
Obijt Anno 1306. *Non. Nouembris.*

Virginem Deiparam, & Discipulum dilectum Tutelares habuit à fundamentorum infantia, Sanctum verò Gorgonium non nisi post A. 1123. ob accessionem Cartusiæ S. Gorgonij Martyris in Insula Gorgonæ sancito Cart. V. ei factam, cuius *Asceterij* hæ narrantur vices. Fuit olim Asceterium Benedictinorum à Greg. VII. & Alexandro II. sub Apostolicæ Sedis protectione susceptum, à Rege Conrado, & Matilda Comitissa locupletatum, & Monachis celebre, donec à Saracenis deuastatum, & Cœnobitis vix tribus alendis sufficiens Greg. XI. illud ad Cartusianos transtulit vnà cum *Monasteriolo* S. Viti prope portam

mari-

maritimam Vrbis Pisarum, eorumdem Benedictinorum Pisis hospitio, sub Dat. Auenione 11. Cal. Martij, Pontif. A. 3. Meminit huiusceemodi Cartusiæ S. Catharina Senensis in Ep. ad Bartholomæum Rauennatem primum eius Priorem, ad cuius etiam Seraphicæ Virginis preces Pont. Max. Cartusianis Gorgonæ attribuerat Ecclesiam S. Luciæ in Corsica, dictam de Versolasca, cum suis prouentibus vltra florenos mille pro constructione Domus Pisanæ, Bulla directa Archiepis. Pisano. Quæ omnia Regesta eiusd. Cartusiæ suppeditant.

C.

1395. *Cart. Clari-montis* S. Nicolai patrocinio insignis. Assurgit in Valle Clarimontis in Basilicata Regni Neapolitani Prouincia, Diœcesi verò Anglonensi, eiusque primordia debentur Vinceslao Sanseuerino Venosæ Duci, & Clarimontis Comiti. Vghellus Tom. 7. Ital. Sacræ exscripsit ex originali cartam fundationis antenticæ; idque sub Ep. Anglonensium vndeuigesimo, ob eamque rem parcimus hic de luculento hoc septo longiùs sermonem protrahere, quòd Auctor, incunabula, census, aliæque consimiles notitiæ apud Scriptorem, qui omnium teritur manibus, dilucidè pateant.

CI.

1371. *Cart. Capritana*, hoc est in Insula, Capreatum Regni Neapolitani, fundatore Iacobo Arcuccio Regni Siciliæ Magno Camerario, Altamurę Domino, Minerbini Comite, & S. Iacobo Apostolo inscripta. Sanctissima reuera solitudo, nec vnquam piorum Anachoretarum non recessus, ex quo domicilium facta Cartusianorum, qui in Insulam olim Tiberij Cæsaris obscœnitatum latibulum, absolutissimæ pietatis exemplum suo contubernio induxere. Ferdinandus Vghellus dudum laudatus, qui Tom. 7. Italiæ Sacræ pag. 355. tenorem splendidæ donationis fidelissimè depromit, addit, quæ hic supernaenum referibere duximus, nimirum Ioannæ primæ Siciliæ Reginæ priuilegia, & immunitates huic Eremo concessas, ratihabitionem dotis ab Arcuccio eidem constabilitæ, nec non, & grati animi monumentum à PP. eiusdem Arcuccij conditorio appositum, idest

> *Clauditur hoc tumulo Magnificus Dominus Iacobus Arcuccius de Capre Regni Siciliæ magnus Camerarius, Comesque Minerbini, & Altamuræ Dominus, sacri huius Monasterij fundator, defunctus Anno Domini 1386. 22. die Nouembris feliciter Amen.*

Qui plura de hac Cartusia desiderat adeat Vghellum, vbi supra.

CII.

1378. *Cart. Romana*: Tres huius viuendi normæ Colonias hoc vnum complectitur Asceterium, nempe præter S. Mariam Angelorum in Thermarum Diocletiani parietinis, quam modo PP. incolunt, S. Crucem in Hierusalem, & Albanensem ad S. Mariæ de Palatiolo. S. Crucis Templum, ex septem insignioribus Vrbis Basilicis vnam, condidisse Helenam Constantini gloriosissimi Cæsaris religiosissimam Matrem, & post Canonicos Regulares, incolis vacuam, accessisse Cartusianis A. 1363. fauore Vrbani V. ad preces Nicolai, & Neapoleonis Comitum de Vrsinis constanti tenent sententia Baronius; Gab. Pennottus, in Hist. tripartita Can. Regul.; Seueranus, P. 1. de septem Vrbis Ecclesijs; Dionysius Rickelmius, de Præconio Ord. Cartus. Art. 7. Albanense, vt placet Angelo Manrique sub A. Cistercij 1231. n. 7. 8. 9. & 10. D. Seuero à Neapoli in Orig. Cart. Rom. Francisco Gonzagæ, cap. 16. Hist. Seraphicæ, Prouinciæ verò

Roma-

Romanæ pag. 139. & 183. & liquet ex cartophilacijs Archiuij Aracælitani erectum à quodam Stephano, cuius præterea Patria genſque latent, ab eodem ſubditur Abbatiæ SS. Sabæ, & Gregorij de Vrbe. Tempore Innocentij III. à Ioanne dictæ Abbatiæ Rectore conceditur Fr. Syxto, & ſocijs Regulæ Diui Auguſtini profeſſoribus. Anno 1231. ſedente Gregorio IX. & approbante Fr. Syxtus, & conſodales in leges Ciſtercienſium concedunt, Palatiolum Abbatiæ SS. Vincentij, & Anaſtaſij itidem de Vrbe ſubdunt, à qua ius accepit primò tanquam Prioratus, & deinde opibus impinguatum, & Abbatiali titulo adauctum, veluti Abbatia eius filia. Perſtat tandem ſub Ciſtercienſibus ad Annum Dei Hominis 1391. & Nicolao Comite Nolano apud Bonifacium IX. inſtante, Cartuſianos excipit, qui *Anno* 1458. ad S. Crucem ſe recipientes *Minoritas* Obſeruantes ſibi ſufficiunt iure reſeruato hoſpitij, quoties itineris cauſa in eodem loco pernoctare contigerit. Ad S. *Mariam* Angelorum euocauit tandem Pius IV. Pont. Max. qui Thermarum ruinas in honorem Virginis Deiparæ, & ſeptem Angelorum Aſſiſtentium conſecrare aggreſſus, Cartuſianos ad eius etiam cultum accerſiuit A. 1561. Caſtrametantes, Patrimonia clauſtri Seſſoriani, & Palatioli ſecum comportarunt. Pont. *Max.* addidit ſcuta quingenta ſingulis Annis conflanda ex ampliſſimo ipſo Termarum ambitu, œconomiæ beneficio pingue quodcumque latifundium æquante. Reliquæ per Italiam Cartuſiæ adiutricē porrexere manum ad excitandas incolarum cellas cum excellentis Architecturę clauſtrò. Vindicarunt, & antiquæ ſedis præeminentiam, eoque nomine S. Maria *Angelorum*, domos multas tempore anteriores infra ſe habet, & A. 1561. acquiſita centeſima, & ſecunda Ordinis familia habetur, collocata ſub quattæ decimæ Ætatis A. ſeptuageſimo, & altero.

In Eccleſia cum Pij IV. Inſtauratoris, Cardinalis eius Nepotis aliorumque Purpuratorum, inſigniumque virorum monumentum inſpicitur, cum Epigraphe Antonij de Duca Siculi, Presbyteri Cephaludenſis, qui ante Annos fere quadraginta eumdem locum conſecrandum in honorem Virginis *Mariæ*, & ſeptem Angelorum Aſſiſtentium prædixerat. Epigraphe inquit. *Antonij de Duca Siculi Presbyteri Cephaludenſis, qui has Diocletianas Thermas ante Annos* 409, *Virginis Angelorum, vt extat Templum fore diuinitus preuidit, hic oſſa quieſcunt. Vixit Annos LXXIII. men. IV. die XV. obijt* 30. *Octobris* 1564. *Iacobus de Duca pronepos ex teſtamento hæres poſuit.*

Priores numerantur octo, & ſeptuaginta, ijque inſignes in paucis viri Generales ferè omnes Ord. Procuratores, ſingulatim Petrus Fauerij à Dorlando lib. 4. cap. 19. primus Rector conſtitutus, cui diem ſuum obeunti Virgo Deipara apparuit; Nicolaus Albergatus ſacra Purpura redimitus A. 1407. Ludouicus de Ianua, ille ſcilicet, qui cum Ep. Bouenſi ſuper vita, & miraculis S. Franciſcæ Romanæ inquiſiuit, prout in Bulla Canonizationis Paulus V. P. Max. Alexander de Regibus Ianuenſis, aliquando Prior Cart. de Verne, & Vrbani de Fliſco Ep. Foro-iulienſis Vic. Generalis, Ioannes de Spenis, Coſmus Feſtinus Laudenſis; Antonius Satrianus, ſub quo ad Thermas tranſlata Sedes, Ioannes Baptiſta Ruinus Magnus Præceptor Xenodochij S. Spiritus in Saxia, Guillelmus Cheiſolmus olim Ep. Dumblanenſis, poſtea Vaſionenſis, & qui in præſentiarum leges præſcribit P. Alexander Montecatenus Ferrarienſis, nuper, cum Romæ ipſe degerem, Eccleſiæ ad multorum per Vrbem Templorum inuidiam magnificentiſſimus exornator.

Auctores, penes quos celebris huius Cart. memoria, ſunt ex multis Octauius Pancirolus, Regione 2. §. 60. Vrbis Romæ; Ioannes Seueranus, lib. 1. de

VII.

VII. Vrbis Ecclesijs, pag. 623. Oldoinus, Tom. 3. Hist. Pont. & Cardinal. Andreas Victorellus, in Tractatu speciali MS. Antonius Sperellus è Soc. IESV in *Maria Deipara Throno Dei*, ac in Tractatu de Templis Deiparæ n. 20. cum nostro D. Iulio Bartoloccio P. 1. Bibl. magnæ Rabbinicæ, vbi luculenter differit de Angelis Virgini huic appictis, & de nominibus eis à Granado attributis.

Meminit, & Dorlandus lib. 5. cap. 26. referens ad Annum Dei in carne 1450. iuuenem quemdam Romæ à mortuis surrexisse, qui in conferta ex omnibus Vrbis Ordinibus multitudine Cartusiensem huius Claustri incolam inspiciens, ad eum concito mox gressu se contulit, habituque manu apprehenso, astantibus dixit, Sciatis Fratres charissimi aulam cælestem hominibus huius viuendi normæ repletam. Quibus Auctoribus nihil reliquum est, quod adijciam, nisi S. Bernardi ad Thermas nostræ Cistereiensis reparationis in Vrbe Cœnobium in gremio huius Cartusiæ enatum, nempe in solo decem mille argenteis ab eadem comparato.

CIII.

1373. *Cart. Montis S. Saluatoris* apud Erfurtum, siue Erfordiam, non incelebre Thuringiæ Oppidum, Moguntino Archiep. subiectum. De cuius Cœnobij initijs ita Nicolaus Serarius Soc. IESV Theologus lib. 5. Hist. Moguntinæ, pag. 861. vbi de rebus gestis Ioannis XLIV. Archiep. pertractans: *Anno* inquit *M. CCC. LXXII. cœpit Erfurtensis Cartusia, prout in eius notatum peristilio. Cum enim ad auxilij montem, de quo libro tertio, notatione 20. dixi, miraculorum quæ diuinitus ibi fiebant, causa concursus esset plurimus, plurimæque oblationes: harum pars tertia Sacerdoti, qui sacra curabat, constituta fuit, ille verò magnis inde auctus diuitijs, amico cuidam suo Ioanni Ortonis, Dorlensi Præposito, viro pio, negotium testamento dedit, vt in Dei honorem, Animæque suæ subsidium, ac salutem illas istuc conferret. Bona igitur, & Reuerendissimi Archiep., & Senatus Erfordiani venia decreuit, hoc Cartusianum ad Erfordiam Cœnobium erigere. Cumque de opportuno loco esset sollicitus, Architectum, qui circumspiceret diligenter omnia, miserat. Huic verò astitit Iuuenis, qui locum vbi Cartusia nunc est, laudauit: simulque subito euanuit. Atque hunc ea elegantia, & pulchritudine fuisse, adfirmabat Architectus ille, vt alterius libenter oculi iacturam faceret, si eum iterato semel duntaxat conspicari daretur. Fuit autem consecratum nouum hoc sacrum Ædificium A. millesimo trecentesimo septuagesimo quarto. Hactenus Serarius. Postquã verò* addit Laurentius Bruneuyockius in Cartusien. descriptione Cœnobiorum, *Capitulo Generali zelus præfati Ioannis Ortonis denunciatus fuisset, missis ad eum Priores duos, qui constructam iam Domum de manu Fundatoris susciperent, nempè Ioannem Priorem Moguntinum, cum Henrico N. Priore in Grunaau, quibus in dotem adsignauit triginta circiter florenorum millia. Incorporata itaque fuit Domus hæc Ordini, & specioso Saluatoris titulo eam ob causam insignita, quod fundator plurimam pecuniam à Plebano Ecclesiæ S. Saluatoris, vti superius ex Serario commemoratum, testamento consecutus fuisset. Huius primi incolæ fuere professi aliquot Cartusiæ nouæ Cellæ, in Grunaau: videlicet Henricus Rochel primus loci istius Rector: Secundus, Conradus de Offinghen Procurator: Tertius, Hermanus cognomento Statuarius: Quartus, Hermanus de Suck Vicarius. Quibus deinde, & alij successere: adeò vt etiamnum illic res Monastica, tam personarum multitudine, quàm Cellarum amplitudine, non mediocritèr floreant, licet Lutheranorum malitia plurima sæpè damna, ac facultatum suarum direptionem sustinuerint.*

CIV.

1375. *Cart. ad Tornacum Neruiorum.* Eleganti eam structura primitus condidit, dorauitque Ioannes Vuerchinus Senescallus Hannoniæ in Vici, Cere dicti, cliuo eminentiori, & montem S. Andreæ, antiquata veteri nuncupatione

montis *Martyrum*, appellauit, nomine desumpto ex Paraecia S. Andreae, cui supereminet. *Ab Anno* 1591. nouam exhibet faciem, sed sartatecta est ex conflatis piorum impensis, quorum subsidijs, imprimis D. Hermetis le Clerc Patritij ac Medici Tornacensis restituta est, postquam sub primos Belgicos tumultus diruta, satis diu euersionem defleuerat suam. Refert Dorlandus huius Claustri aedificationem ducentis ante primordia Annis praenunciatam ab Episcopo eiusdem Ciuitatis, qui per locum, in quo sita est praeteriens, socijs dicere solebat: *Ecce hoc in loco, si vera per me nosse vultis, praeclaras Dei Thesauros reconditus iacet, qui suo tempore, Deo manifestante, patefeet, nam post Annos ducentos, hoc in loco aliam rerum faciem, & verè praeclaram huius loci incola visuri sunt.* Tempore elapso, quod Deo afflante, praedixerat, Cartusiensium septa inchoata sunt, quo simul abditus thesaurus innotuit, lapidicina videlicet, quae inopinatò reperta, constructioni totius Monasterij abundè suffecit. Scripserunt autem de Tornacensi hac Cartusiensium Colonia Raissius, in Orig. Cart. Belgij. Loctius, Chron. Belgici l. 6. cap. 29. *A.* 1395.

CV.

1396. *Cart Ruremondensis*, quam Henricus *Aquilius* in Chron. Geldriae, & Miraeus instituunt sub *A.* 1229. auspicijs Gerardi III. Nassouij Gelriae Comitis, monumenta verò domestica multò posteriorem faciunt, nempe ad *A.* 1396. Ordini incorporatam 1380. & qui decennio post ei praefuit Henricus Kalcar in Tractatu MS. originem refert ad quemdam nobilem militem, qui inter ancipites cogitationes, quam, cuiusmodi, quoue loco nouae plantationi manum admoueret, Ruremundae tandem constitit. Consona est indita huic loco Bethleem B. Mariae appellatio: cum enim profligatis scortis diu noctuque ibi luxuriantibus Templum diuinis laudibus celebrandis Ordo erexerit, Bethleem B. *Mariae* debuit nũcupari, enimuerò ibi repuerascit Iesus, vbi pudicitia colitur. Sed nec Bethleem recentiori purpureum defuit Martyrum agmen, quorum trophaeo *Ann.* 1572. in sacris fastis iam laureatus praecessit. De ea praefatus Henricus *Aquilius*, Isacius Pontanus, Hist. Geldriae lib. 6. pag. 132. Raissius, in Orig. Cart. Belgij.

CVI.

1382. *Cart. Dantisco in Prussia adsità*, sub nomine Paradisi Beatae Mariae, & *Mon.* Prouinciae Rheni, deficiente Prouincia Saxoniae, adiuncta.

CVII.

1383. *Cart. Petra-Castri.* *Amedeus* VI. Sabaudiae Comes Auctor Ordinis Equitum Annunciationis B. Mariae Virginis, voluit etiam fundamenta huius Eremi suis impensis locari, in quo Equitum eorumdem recenter ab eo institutorum Caetus cogerentur, Cadauera tumularentur, & ad iusta defunctis persoluenda caeteri Collegae, Cartusianorum habitu induti, interessent. Cum igitur *A.* 1383. Indictione sexta, die Veneris 29 Februarij in Castro S. Stephani Bisontinae Dioecesis suum conderet testamentum, voluit, disposuit, iussit suum Castellũ, nuncupatũ Petrae Castri à sublimi rupe in Bugessio seu Beugesia, cui impositũ est, consecrari in Cartusiensis militiae fortissimam arcem, id est, vt inquiunt tabulae, *conuerti in vnum venerandum Coenobium, seu Monasterium, sub nomine, & ad honorem Beatae Virginis Mariae, Fratrum Heremitarum Ordinis Cartusien. in quo sint, & ordinentur, & adesse debeant perpetuò quindecim Fratres Cartusienses, ad honorem quindecim gaudiorum intemeratae Virginis Mariae.* *Amedeo* elato Bonna de Borbonio eius ditionis moderatrix Cartusianos in Petram: Castri iuxta eius dispositionem induxit *A.* 1392. Caetus etiam Excellentissimorum Ord. Annunciationis Equi-

Equitum ibidem celebrati sunt ab *A.* 1410. ad 1609. quo Carolus Emanuel primus, accepto pro Beugesia *Marchionatu* Salutiarum, sanciuit Ordines huiusce-modi celebrandos deinceps in Eremo PP. Camaldulensium à se dudum inter Collis Taurinensis saltus instituta, donec *Cartusiensibus* nouam Taurici sedem excitaret. Huic Petræ Castri Cænobio vnitus est Prioratus de Yenna Ord. Diui Benedicti. Fodere in sua descriptione Conuentus *Bellicensis* plura dicit de hac Cartusia, quæ fabulam sapiunt. Gabriel *Michael* de la Rochemaiellet in suo Theatro Geographico, longè à veritate Amedeum eius conditorem, sæculo posthabito, humilem ibidem Monachum narrat. Quare origo somnijs expurgata petenda ex Paradino, in *Annal.* Ducum Sabaudiæ; Ludouico Gollut, in *Memor.* Hist. Burgundiæ, lib. 9. cap. 30. Guicenonio, in Hist. *Bressiæ* & Beugetiæ p. 2. pag. 86. itemque pag. 219. Probat. Hist. Genealogicæ Regiæ Sabaudæ Domus, lib. 4. Renatus de Chalan præfati Ordinis ab Annunciatione Deiparæ nuncupati Eques habetur à *Cartus.* velut alter Petræ-Castri fundator, cui ideo diem suum obeunti lego in Carta *Comitiorum* Gener. A. 1566. decretum Monachatum simplicem, hoc est parentationem in vnoquoque Ord. Conuentu celebrandam cum Missa, & solemni Defunctorum Officio.

CVIII.

1384. *Cart. B. Mariæ apud Hisdelshemium*, Nona ex Prouinciæ Rheni familijs & vna quæ sola superest ex florentissimis Saxoniæ domibus, Gratia Dei, apud Stetinum; *Misericordia* Dei, ad Oderam Francofurti; Corona B. *Mariæ*, in *Pomerania*, *Pace* Dei, non longe à Schinelbein, in Noua Marchia; Pace B. *Mariæ*, in Regno Suetiæ, & Arnsbokensi, quam initiatam à Nicolao Comite Holsatiæ, Sacram B. *Mariæ*, & traditam Sanctimonialibus euocatis de *Portetze*, & de Itzeho A. 1354. *Albertus* Krantzius *Saxonicæ* Hist. lib. 9. refert, Virginibusq; recedentibus, subiectam Brunonis Soboli *A.* 1401. annuente Gerardo Duce, & prouentus augente *Alberto* Rodemborgh Canonico Lubecensi.

CIX.

1384. *Philippus Audax Burgundiorum* Dux regium planè domicilium Dinione ponit. Ecclesia nuncupatur Sanctissimæ, ac indiuiduæ Trinitati, & consecratur quinquennio post à Bertrando de la Tour Lingonensi Episcopo. Ibidem amplissimus in Cartusianos *Princeps* sibi, & successoribus conditoria erexit, ne regio thalamo geniti alibi in posterum requiescerent, quàm in solemni auitæ pietatis *Mausolæo*, & Cartusiensium in gremio, quorum consuetudine opidò delectabatur. De eodem Duce inquit Pontus Hauterus Delphius, Rerum Burgundicarum lib. 2. *Digione Ducatus Burgundiæ Vrbe prima apud Cartusianos suo iussu ædificatos nobili Mausoleo sepelitur A.* 1404. De *Anno* erectionis ipsius Cartusiæ loquens Ludouicus Gollut in memorijs historicis Regni Burgundici, millesimum tercentesimum octuagesimum quattuor exsignat. Quoad magnificentiam ædificij, Bartholomæus Chassanæus Catalogi Gloriæ *Mundi*, consideratione 62. cam *Papiensi* in paucis *Augustæ* confert. Guillelmus verò *Paradinus* pag. 165. De antiquo statu Burgundiæ ait: *Extra Vrbis pomerium Dux Audax Cartusiani Instituti Monachis speciosissimum delubrum condidit, principum sepulcris destinatum: ad quod postea aliquot sunt elati factis ex marmore candidissimo tumulis, sepulcralibusque statuis mire viuos referentibus: nullum denique ornamenti genus intermissum, siue Monachorum diuersoria, siue inusitata septum magnitudinis, siue amænissimos, irriguosque hortos spectes.* G. Rieschius Bulla 101. addit vnum ex multis priuilegijs concessis ac impetratis, nempè facultatem à Clemente VII. Conachis ac Clericis Redditis huius domus impertitam, de initiatione ad Sacerdotium, cum vigesimum secun-

dum ætatis annum attigissent. Profert litteras Io. Card. Viuariensis, directas *Priori*, & Conuentui domus S. Trinitatis Indiuiduæ propè Diuionem situatæ, Ordinis Cartusiensis, Lingonensis Diœcesis, per excellentem *Principem* Dominum Philippum Ducem Burgundiæ fundatæ, in quibus ait: *Consideratione dicti Ducis, qui ad vos, & domum vestram ante factam specialem gerit deuotionis affectum, super hoc pro vobis eidem Domino nostro humiliter supplicantis: vt omnes Monachi, & Clerici redditi dictæ Domus vestræ, qui nunc sunt, & erunt pro tempore vigesimum secundum eorum ætatis annum attingentes, possint ad presbyteratus ordinem promoueri concessit. Dat. Aueuione 1391. Indictione 14. die 19. mensis Aprilis.*

CX.

1384. *Cart. Rothomagensis, Rosa B. Mariæ titulo*, cuius instructor Guillelmus de Lestraoge Rothomagensis eiusdem Vrbis Antistes tubam mortuorum excitatricem præstolatur sub inscriptione ibidem tumulo superscripta.

Hic iacet.

Reuerendus in Christo Pater, & Dominus Guillelmus de Lestrangijs Diœcesis Lemouicensis, Archiepiscopus Rotomagensis, fundator à primo lapide istius domus, qui obijt in Gallione.

Consulendi Io. Dadraeus, & Sammartani.

CXI.

1386. *Cart. Vallis Christi* apud Segouiam in Regno Valentiæ. Ædium laxitatem, dotisque lautitiem accepit imprimis à *Martino* Aragoniæ Infante, & postea Rege, *Petro* eius Genitore, Ioanne fratre, nec non, & à Maria de Luna consorte. E quibus *Martinus* Infans ob consuetudinem eum D. Bernardo Casabrega Asceta Scalæ Dei suo alias Ephæbo honorario Cartusiensibus intimus, visione extremi iudicij in somnis perterrefactus, in suæ animæ expiationem, Cartusiensibus nouam sedem ponere apud se constituit, quam tandem in Valle agri Segouiensis collocauit, prope Alturæ Oppidum, quòd à peregrino, qui dudum Palestinam lustrauerat, eam Vallem Valli Iosophat omnino consimilem didicisset. Petrus communem cum filio nuncupationem fundatoris voluit, regiaque auctoritate ratam habuit donationem Oppidorum de *Altura*, & de Alcublas, quæ Aragoniæ absoluto iure spectantia, distrahere ille nequibat. Adauxit *Priuilegijs*, beneficijsque Ioannes frater, domus eiusdem dum Regno potiretur frequentissimus incola, vbi, & *Monachorum* suspiciebatur ad mensam conuiua, & in Choro socius Maria tandem Conditoris vxor patrimonij portionem attribuit, licet eodem ferè tempore Parthenon Virginum eiusdem Institutionis construeret in agro de Morniedro, illudque sub inuocatione Spiritus Sancti, de quo fœmineo claustro sermo redibit suo loco.

Anno 1383. die Aprilis vigesima & altera PP. Simon de Castellet *Prior* Portę Cæli, & Ioannes Berga Moderator Scalæ Dei, ambo Generalis Cœnobiarchę auctoritate muniti Segouiam conuenere, & in *Principe* Ecclesia, vbi aderant cum Infante Archiep. Tarraconensis, D. Ionicus de Valterra, Segouiensis, & Oscensis Antistites, Canonicorum Collegium, alijque permulti *Proceres* donationem ipsam accepere, domumque construendam reliquis suæ Institutionis adiecere.

Cellularum ambitus Anno 1386. inchoatus, Anno 1405. magnificentiori schemate consurrexit, Infante, iam Rege, sumptu splendidiori opus inceptum prosequente Ecclesia *A.* 1400. absoluta 13. Nouembris Anni subsequentis ritè dedicata est, inscriptaque Diuo Turonensium Præsuli, & Regis Tutelari *S.* Martino, idque à Fr. Antonio Athenarum Archiepiscopo, astantibus cum Rege Optimatibus,

timatibus, Hugone Valentino, Francisco Segouiensi, Petro Torralux Episcopis, vnaque Petro de Serra S. R. E. Card.

Alumnos transmisit Scala Dei, fueruntque D. Arnaldus Arduenensis, D. Ioannes Fernandus, D. Franciscus Saplana, D. Fernandus Casabrega Martino Institutori intimus, omnes Sacerdotio initiati, vnàque cum illis Guillelmus de Espruch, & Antonius Saplana Conuersi, quos omnes Martinus in domo Portæ Cæli, vbi versabatur humanissimè excepit, & destinatas ad inhabitandas cellulas proficiscentes gratulabundus dimisit. Alia etiam notatu digna docent Ioseph de Valle, Gaspar Escolanus, Hist. Regni Valentiæ. p. 2. lib. 8. cap. 16. n. 9. & Index Rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum, lib. 3.

CXII.

1387. *Cart. Astensis* in limine erectionis Sanctis Philippo, & Iacobo initiata, & *Monachis* Congregationis Vallis-Vmbrosæ subiecta; posteà concessione Clementis Papæ ad Brunonis Asceras translata, amplissimæ Astensis Vrbis munificentia luculentis donationibus adaucta, bellorum seuitie multoties deuastata, Patrum verò æconomia nunquam non restituta, per alumnum maioris Cartusiæ, Petrum nuncupatum, primò administrata, & deindè per Priores quinque, & septuaginta recta, quos inter eminent Guillelmus Raynaudi, & Damianus de Longono, post eius præsulatum ad primam ordinis exedram euecti, Antonius de Mororio magnæ probitatis Aoristes, eiusque post quinquennale regimen, nempe ab anno 1448. ad 1453. Bononiensis, *Montis-bracchij*, *Pisarum*, Sancti *Marci* de Vedana Cænobiorum Præfectus; D. Iacobus de *Aragonia* à sanguinis splendore, morumque prestantia spectatissimus, qui posteà Domus Neapoletanæ curam suscepit, & Calabrianam, fauente Cardinali eius de Aragonia Consobrino, Ordini restituit; D. Gregorius professus Mantuæ ad eius præpositurā ter reuocatus nec nō, & munere Censoriæ potestatis per *Prouinciā* Lōbardiæ semper adauctus, & tandem modernus eius Pastor D. Ambrosius à Bena .... Qui varijs nominibus de eadem benemereri prosequitur.

CXIII.

1393. *Cart. S. Mariæ del Paular*, quæ etiam Lozoyensis in Noua Castella, & Segouiensis contigua ex Vrbe vocatur. Ioannem I. Castellæ Regem eius conditorem, causamque eiusdem excitandæ narrat Tamayus Salazar Martyrol. Hispan. Tom. 5. pag. 433. his verbis. *Cum Henricus Trasamara Comes, qui postea fuit Rex cum alijs Proceribus Castellæ in Galliam diffugeret ob seuitiam Petri crudelis Castellæ Regis, & ibidem sub vexillis Galliæ Regis militaret, Monasterium Cartusianorum in Gallia solo æquauit, & destruxit. At cum postmodum occisus Petrus fuisset, & Enricus in Regnum sublimatus cum tempore obitus testamentum conderet, memor sacrilegij, & turpis facinoris in Gallia patrati subuersione Cænobij Carthusiani, iussit Ioanni filio, vt aliud Carthusianorum Monasterium in Castella conderet in sua animæ redemptionem. Ioannes filius fabricam distulit, sed Guillelmi Raynaudi Generalis totius Cartusiæ precibus interpellatus, tandem A. M. CCC. XC. Monasterium in Valle Lozoyensi construere cœpit, sed morte infelici præuentus, illud consumare non potuit. Successit Enricus III. qui Ecclesiam mirabiliter perfecit: quo è viuis sublato Ioannes II. tandem opus Regium illud à prædecessoribus inchoatum Anno Domini M. CCCC. XL. in tota perfectione consummatum reliquit.* Hæc Tamayus, cuius verbis consonat Inscriptio, ab Ægidio Gonzalez in Theatro Castellæ, & à Ioseph de Valle in sua Cartusiarum per Hispaniam Genesi, & propagatione typis commissa.

D. O. M.

D. O. M.

Cœnobium hoc Beata Maria de Paular erexere Castella Reges: Henricus II. sacro Voto, Ioannes I. ædificij exordio, & dote, Anno 1390. Henricus III. amplificatione, & Palatio. Ioannes II. perfectione, & ornamento; pares magnificentia in illud, & Religione in Deum.

Cartusia alumni muneri Regio gratitudinis debita pignus, perpetuaque memoria obses ad posteros hoc DD. Monumentum.

Magnificentiæ, & religiositatis numeros implet omnes hæc solitudo, floretq; nemini non suspicienda cùm generosa Institutorum pietate, tùm perfecta incolarum conuersatione. Templum, Claustrum, Officinæ, & hospitum aulæ circuitus pedes tres mille amplectuntur, totidemque viridarium, & nemus dimetiuntur. Per Monachorum diuersoriola euoluuntur codices in Sac. Scripturam ad sexies mille. Carolus V. qui Regum Catholicorum primus carnes intra Mon. septa comedit, facultatem à Generali PP. consessu studuit impetrare, obtinuitque ea cautione, ne huiuscemodi cibus inferretur per ianuam Mon. aut per Claustra. Primatu tandem, inter Castellæ Monasteria gaudet, non tempore, sed præstantia, enimuerò sublato Ioanne, dum Regem cunctatur successorem, qui eius expleat voluntatem aliæ præcesserunt. Quæ omnia cum Ægidius Gonzalez in Theatro Castellæ, & in vita Henrici III. suggerat, subnectit etiam Epistolam Ioannis initiatoris ad Guillelmum Raynaudi Ord. Archimandritam, cæterosque eius Principis in Ordine domus Monachos in hæc verba Latij Sermone ex Hispano donata.

Ioannes Dei gratia Rex Castella, Legionis, & Portugallia Venerabilibus, & Religiosis Viris Priori, & Conuentui Cartusia salutem.

Diuini obsequij, nostra felicitatis, & successorum gloria desiderio accensi, nec non, & vestris supplicationibus in Epistola à Fr Lupo Martini Regia nostra Excellentia reddita, exhibitis, benignè inclinati statuimus tandem manum admouere locandis Cœnobij fundamentis, cuius constructio à multo iam tempore nobis animo haret. Vt igitur quanto citiùs ædificetur. quadam nostra Regia Palatia cum possessionibus adsitis in loco Rascafria dicto, Segouiensis Diœcesis impræsentiarum elargiti sumus pro domicilio, & sustentatione Patrum, quos ad nostram hanc fundationem transmitti volumus, prout præfatus Fr. Lupus de nostra mente certior monebit, cuius dictis ac si nostris plenam adhibere fidem poteritis. Fauebit interim Deus incaptis, & vestra obseruantia accommodatas ædes breui, vt spero, absoluemus. Rogamus autem eos ad stabiliendam primam hanc vestri Instituti in Hispania propaginem, & præclarum, magna, quam erga vos gerimus deuotionis, vestigium seligatis Monachos, ijsque cum libris tum alijs ad diuinum celebrandum Officium opportunis transmittatis, quatenus bonorũ operum luce coram hominibus effulgente, sanctam eorum conuersationem suspiciant, & glorificando Patrem Cælestem, ad Cælestia etiam gaudia ferventiùs expetenda prouocentur, quò fiat, vt Monasterium ipsum æternis, & temporalibus bonis adaugeatur. Dat. Segouia 12. Sept.

De qua tandem Segouiensi statione illud nequaquam præteriero, eam à Sede Granatensi vti fundatricem haberi, & coli.

CXIV.

1395. *Cart. Hispalensis.* Gundisaluus de Mena Hispalensis Antistes propa-

ginem

ginem à Cœnobio Segouiensi traductam ad Virginis puerperæ miraculis insignem Imaginem, de las Cuevas ab Indigenis dictam, collocat, ad cuius cultum, teste Alphonso Morgado, H. st. Hispalensis lib. 5. cap. 16. pag. 141. Minoritas, tertij Ordinis iamdudum destinauerat, eosque, Cartusianos accersiturus, transtulit ad S. Ioannem de Haznelpharache. Sedet claustrum ad oram fluminis Hispanis, Guadalquiuir. Monachos alit ad septuaginta, inopes verò singulis diebus quingentos, & fame acriùs aliquando vexante suprà mille. Captiuis etiam à vinculis soluendis, nudis vestiendis, ablactandisque expositis, magnam pecuniarum vim erogare consueuit, & gratuita excipere mensa pauperes sexaginta ex ijs, qui fortunæ bonis carentes, victum mendicare erubescunt. Adeò lautis eam prouentibus locuples Auctor instruxit. Christophorus Columbus hic iacet post nouum Orbem feliciter reuelatum, cælestia Regna, ex Cartusiensium contubernio, securiùs aditurus. Ibidem, & Gundisalno de Mena (alios ommitto) conditorium erectum, & Epitaphium appositum, quod ex Ægidij Gonzalez Castellæ Theatro exscripsi, & latinis auribus accommodaui.

Virtutum nitor, quibus clarissima mea familia splendorem adduxi Calagurritanam me primùm ad sedem, mox ad Burgensem, & demum Archiepiscopales Hispalenses ad Infulas me prouexit. Ias sacrum inculpatè dixi, nec contentus optimi Pastoris implere partes, grege Dominico custodito, & aucto condidi, amplissimèque dotaui hoc Monasterium, in quo Anima diuinis obsequijs emancipata, viam reperirent salutis, & inopum miserijs continuo meæ charitatis subsidio occurrerem. Defeci peste sublatus, quò indignationis diuinæ furor, me prostrato, placatus, commissarum mihi ab omnium cæde abstineret. Qui postquam Metropolitana in mea Basilica diù quieuissem, procurantibus mihi in spiritu filijs ad hanc Ecclesiam meis impensis erectam traductus sum, eorumque precibus stolam secundam expecto. Obdormiuit in Domino Gundisaluus de Mena Patritius Toletanus vita functus. Anno seculari 1400.

CXV.

1396. *Cart. Sancta Maria de Gratia* in agro Ticinensi, cuius Cœnobitæ numerantur ad sexaginta, ijsque si Laici Ordinis Fratres adijcias, centum recensebis inquilinos, cuius dominio subsunt Oppida Sancti Columbani, Carpiani, Vigani, Begnasci, & Busaloræ, cuius facultates lautissimæ, cuius moles speciosissima reliqua huius Institutionis Cœnobia, magnificentia à nemine non suspicienda, infra se habet, cuius incunabula, fortunasque disertè exhibet Pater Bartholomæus Scala Senensis lib. 2. cap. 15. vitæ Beati Stephani Maconi eiusdem Domus Promptoris, perstrictiùs tamen, ideòque luculentiùs Vuinandus Pighius in Hercule Prodicio, vbi ait: *Est inter Mediolanum, & Ticinum, Cœnobium Carthusianorum pulcherrimum, atque amplissimum: Cuius Templum ex vario pretiosoque marmore à fundamentis excitatum, historiarum sculpturis ac statuis artificiosis ornatum à prima fronte ingredientibus religionem incutit, & introgressos maiestate quadam augusta suspensos tenet; dum offeruntur oculis tot picturæ, Altaria, & Sacraria auro argentoque ditissima, ædicula marmorea monumentis pulcherrimis decorata. Condidit Templum ac Cœnobium Ioannes Galeatius Vicecomes primus Insubrium Dux, atque locupletissimè dotauit. Cuius in æde sacra sumptuosissimum ex marmore sepulcrum, cum Statua, & Imagine ad viuum facta cernitur. Adiunctum in tabula marmorea litteris inauratis rerum ab ipso gestarum Elogium præclarum, ac lectu valdè dignum.*

Sunt in hoc Cœnobio multa pretiosa, & rara Principum donaria, Diuum reliquiæ, & pulcherrima quæque Templi ornamenta. Ipsius Monasterij ædificia sunt sumptuosissima porticus milliariæ, pomaria amplissima cum luco, nosocomium item apparatissimum. Haud procùl indè visuntur vinarij capacissimi septa, murus latericius, sed magna ex

parte

parte nunc dirutus, & deiectus, qui millia passuum viginti in quadrum circumductus, concludebat arua, siluas, & prata, feris enutriendis destinata. In quibus olim apri, cerui, damæ, capreoli, lepores, & id genus animalia ad venatum continebantur. Auctor eius operis idem Ioannes Galeatius Dux fuit, qui Cœnobium condidit. In ijsdem septis Castra sua metatus erat Franciscus I. Galliarum Rex, Ticinum obsidione premens, cum à Caroli V. Imp. Ducibus, Lanoio, & Borbonio victus, prælio caperetur, cum Rege Nauarræ, & præcipuis Galliarum Principibus, anno post Christum 1525. Hactenus Pighius; Cuius Papiensis Cartusiæ Illustri commendationi nihil addidero, nisi statuæ Fundatori optimo erectæ hoc deuotionis argumentum Patres subieciſſe.

Ioanni Galeatio Vicecomiti Duci Mediolani I. ac priori eius Vxori. Cartusiani memores, gratique posuere 1562. *die* 20. *Decembris.*

CXVI.

1400. *Cart. in Axpach* Austriæ regione ad confluentem Danubij, Porta Beatæ Mariæ nuncupata, euius admirandam constructionem Dorlandus describit lib. 6. cap. 20. Annus, quo Ordini incorporata fuit, si fides adhibenda est Auctoribus, qui eius originem cartis consignarunt, fuit millesimus quatercentesimus, & varijs nominibus celebris, laudatur summoperè à Porticu structuræ speciosissimæ.

CXVII.

1399. *Cart. Maioricensis, Iesus Nazarenus dicta,* Martini Aragonum Regis beneficio Ordini adaucta. Claustrum, idem est ac regium Palatium, quod Sancius Rex difficilioris anhelitus morbo laborans, purissimo sibi sub Cælo construxerat in Monte Puiol, nomine, iuxtà Valdemos Oppidum. Opes ad incolarum alimoniam, & ad terreni Principis Aulam in Monachorum domicilium aptandam impertiere alij benefactores recensiti à Vincentio Mut-Regni Maioricensis l. 11. cap. 12. nempe N. Palau N. Armades, Paulus Oleza, & Matthias Borrasa. Ecclesia consecrata est *A.* 1446. die 8. Maij per Ioannem de Aranda Albaniæ Episcopum, eo tempore in eadem Cartusia Hospitem. Promotores leguntur Beringuerius Cams, & Nicolaus Robertus à summo Ordinis Præsule ex Gallia ablegati, vnà cum Ioanne Eluira, alias Mestræ Maioricensi, alumno Portæ Cœli, auctore vt Martinus animum adderet transscriptioni Regiæ domus in censum Cartusianorum. Plantatio tamen deducta fertur ex Valle Christi, eodem Rege conditore, excitata, vndè etiam assumptus est Antistes Petrus Despuiol nomine IV. in sæculo Doctor. Quæ omnia Vincentius Mut præfatus, & Ioseph de Valle pag. 387.

CXVIII.

1401. *Cart. B. Mariæ de Miraflores*, quæ, & Burgensis in Castella veteri. Ioannes II. Castellæ, & Legionis Rex sacrum conuertit in septem ædes, quas secùs Burgensem Vrbē Henricus III. regias sibi ad delicias erexerat, & à floribus amænissimo in solo mirè vernantibus, Miraflores nuncupauerat, accersitisque Cartusiensibus, eorum disciplinam ibidem induxit, D. Ioanne Bermeo ex Vicario domus Segouiensis Anno 1442. 24. Februarij primo eius administratore renunciato. Aduersabatur Aluarus de Luna præpotentis auctoritatis in Aula Eques, ne regale Palatium in Cœnobitarum mansionem transiret; at euicit Ioannis Regis in Cartusienses propensio, quorum etiam partes fouebat Magnus ille Alfonsus Tostatus, qui aliquando tyrocinij rudimenta in Scala Dei posuerat, sed generosiùs ad brauium euocatus, secessui vale dixerat, & Abulensis Ecclesiæ in candelabro doctrina, & pietate, ad miraculum radiabat. Magna fuit Ioannis

annis Regis in hanc viuendi formam deuotio, quippe qui litteras propria manu ad Reuerendissimum Ordinis Cænobiarcam dederit, enixè eumdē exorans, propaginem suorum Burgum quantociùs destinaret, quod cum breui id se facturum ille rescripsisset, ad filium adstantem gratulabundus dixerit: Gratias Deo, quandoquidem Cartusianorum Antistes supremus in mea concedit vota, & Cænobij de *Mi*raflores erigendi eiusdem ex responsione mihi facta potestas. Aiunt nonnulli mortem solam obstitisse, ne idem Ioannes, sceptro abdicato, Cartusiana intra eadem claustra humilem clauderet vitam.

Exemplari genitoris pietate imbuta Isabella Fernandi Regis Catholici Vxor eamdem hanc domum incendio consumptam reparauit, latifundijs auxit, sacra suppellectili ornauit, & solemni Conditorio ex lapide porfirectico affabrè sculpto sibi, & Patri erecto egregiè decorauit. Quæ etiam beneficia Cardinalis Zappata Borgensis Hierarcha huic domui contulerit, cum Archidiaconus Hispalensis eius Consobrinus, *M*undo propudiato, Brunoni illic adhæsit, norunt, profitenturque Patres. Lege Hist. Henrici III. Auctore Ægidio Gonzales cap. 77. *M*artyrologium hispanicum die quinta Octobris, & Ioseph de Valle.

CXIX.

1441. *Cart. Aniacensis*, idest de Aniago in agro Vallisoletano, sub B. Mariæ sanctissima tutela. Erector consalutandus ne Ioannes Vasquez de Zepeda Epis. Segouiensis, aut Castellæ Regina? Inter vtrumque hanc gloriam æquè benè diuiseris. Siquidem cum vltima Ioannis voluntas fuisset instituì de bonis suis Collegium duodecim Presbiterorum, qui viuerent more regulari, Collegij ipsius iure patronato Reginæ reseruato, ipsamet Regina testamento inuerso Clericis Regularibus Cartusianos substituit 18. Octobris, qui ex secessu del Paular euocati, possessionem adiere 1443. Quod mirum in hac Ecclesia est sacrarium insignibus Diuorum reliquijs ibidem asseruatis, & iugi Corporis D. N. I. Christi expositione in tota Hispania celeberrimum. Visitur etiam tumulus Ioannis Ep. cum Epigraphe.

Hac requiescunt sub marmorea Petra bonæ memoriæ membra Episcopi Segouiensis Ioannis Vasquez de Cepeda, qui huius Templi Ditator prima iecit cæmenta, cuius spiritus in pace quiescat super æthera Amen. Anno Domini 1437, 13. *Decembris.*

Ex Ægidio Gonzales de Auila in Theatro Eccles. Vrbis Vallisoletanæ, itemque in vita ipsius Ioannis Vasquez, à quo recensetur inter celebriora Castellæ Sanctuaria, ab ipsis ideò Hispaniarum *Mo*narchis, Regnorumque Proceribus venerationis ergo sæpè sæpius inuisa.

CXX.

1401. *Cart. prope Noertlingam in Suevia* à Comitibus de Oettingen sub nomine Hortus Christi fabricata incunte nostræ salutis ætate decima quinta, quam mirum est post grauium tot litium discrimina, bellorumque iniurias spiritualibus, & caducis adeò affluere bonis; nam ad peregrinorum manus deuoluta, & tandem Imperialis Cameræ sententia Ordini adiudicata, executioni idem insistit, suasque facultates à possessoribus malæ fidei postliminio repetit.

CXXI.

1406. *Cart. sub appellatione Aula B. Mariæ apud Memingham* Sueuiæ Oppidum in Buxia, Diæcesis Augustanæ, statio iam pridem Canon. Regulariū, deinde munere D. Henrici de Ellerbach Canon. Augustensis Cartusiensibus accensita. Insigni ædificiorum splendore, nec non, & opum magnitudine eminet, quem admodum Miræus, alijque.

CXXII.

1406. *Cart. Olomucensis in Morauia.* Ter nomen, ter sedem immutauit. Primo siquidem ab Alberto Ep. Litomisleosi in Bohemia condita ad An. 1370. propè fortalitium, & Curiam Trocke, appellationem *Rubi B. Mariæ* sortita est, habuitque Priorem accersitum ex Professis familiæ Moguntinæ P. Io. de Leupacho. Haud multò post commigrauit in Morauiam, incubauitque colliculo Villæ proprietatis eorumdem Cartusianorum, quam Dolam indigenæ vocant, vno circiter secus Olomucium milliari, alteram nacta nuncupationem *B. Mariæ in Valle Iosaphat.* Transitum comprobarunt Petrus Ep. Olomucensis litteris in eam sententiam scriptis 1388. Feria 4. infra Octauam Pentecostes. Generalis PP. Conuentus Florentiæ habitus 1388. Bonifacius IX. sub Dat. apud S. Petrum 4. Octob. Pontif. *Ao.* 8. ijsque iungendus Iodocus *Marchio* Brandeburgensis, qui non solùm cōstruendæ Ecclesiæ primum lapidem sua manu posuit, sed & in tantùm auxit, vt secundi Fundatoris sibi nomen vindicarit. Qua Dolana fundatione, A. 1437. in peruigilio Purificationis B. Mariæ ab Hussitis innasa, & deindè per Morauiæ proceres hæresi infectos excisa, tertiā sub Inuocatione SS. Trinitatis successit intrà Vrbem Olomucensem, conditoribus ipsis *Monachis* à facie furoris hæretici profugis. Quæ omnia P. Bouslaus Balbinus indicat Epitome Rerum Bohemicarum pag. 409.

CXXIII.

1408. *Cart. S. Trinitatis extrà Mantuam.* Franciscus Gonzaga (Inquitur hic Hippolitus Donesmundus Hist. Ecclesiasticæ Mantuanæ eiusdem Ciuitatis p. 1. pag. 354. lib. 5.) iam antè decessum extremis tabulis iusserat construeretur pro Sodalibus Cartusiensibus Claustrum, ad cuius vltimæ voluntatis exequutionem eodem Anno, scilicet 1408. tertio ab Vrbe lapide aperta sunt fundamenta Ecclesiæ sub Inuocatione S. Trinitatis, eaque celeriter consummata Anno proximè insequenti bona etiam Cænobij pars absoluta est. Donesmundo addendum est, ex *Monumentis* Ordinis, eluxisse regia cum *Mantuani*. Ducis Munificentia Nicolai Albergati in primum *Moderatorem* electi solertia, & pietas in structura acceleranda, & exactissima obseruantia constabilienda, quibus auxilijs Mantuanus hic secessus fluxis *Mundi* opibus diffluit, ijs nequaquam inanis virtutum diuitijs, quibus longè præstantiores cumulare in cœlo thesauros mortales valent. Suburbano huic Monasterio Ioannes Franciscus Gonzaga. An. 1427. adiecit hospitium intrà Vrbem, cum adsita Ecclesia titulo S. Crucis, quæ Ecclesia, eodem Donesmundo Auctore pag. 370. antiquo iure Patronatus familiæ Gonzagæ spectabat, & regebatur à Presbytero sæculari electo per Capitulum S. Petri, quo Presbytero Rectore in manibus Summi Pontificis spontè renunciante à pio Duce Cartusianis fuit subiecta.

CXXIV.

1408. *Cart. nuncupata Pons B. Mariæ* in Astheym Franconiæ pago, tribus passuum millibus à Vuirceburgo discreta, & fundationis suæ originem à D. Erchingio à Suuartzembutch agnoscens, qui Erchingius vitam mortalem commutauit cum immortali Anno à Virgine puerpera 1436. Miræus.

CXXV.

1417. *Cart. Domus Iesus de Bethleem.* Est Colonia ad hunc Annum è Belgio in Angliam emissa, & ab Henrico V. collocata in agro Surregiensi, in mansione regia à se munificentia constructa, tandemque, fide Catholica post Henricum eiusdem nominis octauum, in Anglia pessundatam, Neoportum in Flandria translata. De Domo Iesus Anglica loquuntur Acta Comitiorum Genera-

lium A. 1415. *Super personis mittendis in Angliam ad instantiam Domini Regis Committitur Prioribus domorum B. Catharinæ propè Antuerpiam, & B. Mariæ in Monickhuysen prope Arnhem.* Tabulæ erectionis extant p. 2. Pandectarum Mon. Angliæ, & cum Vualsingamo Hist. Anglorum p. 432. n. 10. inquit Polydorus Virgilius lib. 22. Hist. eiusdem Regni: Henricus *Statuit à pietate atque iustitia imperium: itaque primum omnium duo Cœnobia prope villam regiam, cui hodie Richemondia nomen est, & septem millia passuum à Londino abest miro operis apparatu adificare cœpit, magnisque tum possessionibus, tum irrogatis priuilegijs locupletauit, honestauitque: alterum autem sacratum voluit nomini Iesu, appellauitque Bethleem, idque Cartusianis Monachis primò incolendum dedit.*

De eadem verò Neoporti sita Sanderus Flandriæ illustratæ T. 11. pag. 639. hæc habet. *Non tam Cartusia est, quàm tabernaculum, quod transportatur Patrum exulum Anglorum, qua perpetuo ferè regressu iam inde ab initio cogitat in Angliam, expectant tempus beneplaciti tui ò Deus, quo iubeas illos pace sequestra conuerti ad propria, & introire in requiem suam. Excessere hi finibus suis, cum Dux de Feria Legatus Regis Hispaniarum demortua Maria pijssima Regina, iamque regnante Elisabetha, redijt in Belgium, cuius promissis freti, secuti sunt eum, & enauerunt in continentem, & primò Burgis in Cartusia benignè sunt excepti. Fugere ergo coacti primò ex Insula in continentem, mox ex Flandria Louanium, & inde Antuerpiam, & ad extremum Mechliniam, vbi vsque ad Annum 1626 se continuerunt, donec spe meliorum illecti. sedem rursus in Flandriam, Neoportum transtulerunt, conuasatis omnibus, & vale facto domui sua derelicta.*

CXXVI.

1420. [illegible] *rt. sub appellatione Insulæ Reginæ Cæli*, extra Vuesaliam in Cliuiæ Ducatu, instauratore Adolpho Cliuiæ Duce quæ ab hæreticis desolata An. 1588. quietiorem sedem inuenit intra Ciuitatem, in qua occupauit Ædes PP. Ord. Prædicatorum. Miræus, & alij.

CXXVII.

1425. *Cart. S. Andreæ de Littore Venetijs.* Ab Anno 1190. domicilium PP. Eremitarum Ord. *S.* Augustini, hoc Anno, S. Bernardino Senensi Auctore, adijcitur Cartusianis à Francisco Foscaro Venetorum Duce lxiv. cuius in hanc Obseruantiam propensioni accessere suffragia vniuersi Senatus. Ita P. Bartholomæus Senẽsis Vitæ *B.* Petri Petronij libro, & cap. vltimo. Perystilia sũt laxa, & elegantis structuræ. Ager floribus, & gramine ad speciosissimum oculorum oblectamentum vernat. Basilicam formæ inconcinnæ, interpolatis nimirum temporibus ædificatam, celebrant tamen Scriptores, imprimis *M.* Franciscus Sansouinus Hist. inclitæ Venetiarum Vrbis lib. 1. ob insignes virorum præstantissimorum sarcophagos, singulatim Iacobi Barbadici Senatoris integerrimi in bello Peloponnesiaco Legati, ac pro Christi fide, & Patriæ vtilitate interempti, Hieronymi item Barbadici, Marci, & Augustini Principum, quorum conditoria excitata postea in Templo Charitatis; Orsatti Iustiniani, & Iacobi Soranzij S. *Marci* Procuratorum, Antonij Suriani post Cartusianam Institutionem Veneti gregis Patriarchæ à B. Laurentio Iustiniano VIII. Georgij Nani, Dionysij Contarini Oratoris sua Ætate nitidissimi, & *A*ntonij Vinciguerræ Consilio Decem virorum ob eloquentiam, fidem, & integritatem à Secretis. Ascetis huius secessus Bernardus Iustinianus inscribit Res gestas Diui Laurentij Iustiniani, Auunculi nempe sui, eisdem addictissimi, & ob virtutum eminentiam, qua pollebant, inter illos frequentissimi, additque duos ex illis cælestem melodiam in eius funere audijsse.

CXXVIII.

1446. *Cart. SS. Donatiani, & Rogatiani in Suburbio Nannetarum* excitata à Francisco Britanniæ Armoricæ primo Duce pridie Id. Octob. A. 1446. Munificus Conditor patrimonio eam ditauit ad 13. sustentationem Eremitarum, quorum postea numerum adauxit Prioratus S. Leonardi de Isseron disiunctus ex Abbatia S. Michaelis *en l'Air*, eique adnexus codicillo Pontificio signato 3. Kal. Martias A. 1570., & Decreto magni Concilij A. 1604. ad omnem litium ansam imposterum dirimendam. Dictis adstipulatur Renatus Choppinus Monast. lib. 11. pag. 223.

Antiquiorem sedem Patres ibidem habuisse, eamque metatam in loco Alaunus nomine lego in Codice S.Remigij Remensis, vbi de vita Guigonis inter huius Cœtus Præpositos Generales V.

CXXIX.

1449. *Cart. Patauina*. Consulendus de ea Bernardinus Scardeonius Canon. Patauinus lib. 11. Classe 5. de Antiquitate Vrbis Patauij, vbi de ea. Ad tertium milliare à Septentrione, extra Portam Caudam longam, vltra Brentam, hac ætate ædificatum est amplum Cœnobium Cartusiensium Monachorum *Titulo S. Bernardi*, quod olim sub mœnibus, *iuxta eamdem Portam stabat amplissimum, sed post bellum Maximiliani Cæsaris* 1509. *in deuastatione pomerij, ad vicum aggeris, vltra amnem translatum est, & ibi quoque magnificentissimè constructum*. Primus conditor ad Annum prænotatum 1449. fuit Petrus Donatus Venetus, Ep. Patauinus, commigratio verò trans confluentem contigit 1534.

CXXX.

1454. *Cart. Hortus B. Mariæ* dicta in Illembach, olim Arx, quinque milliaribus à Vuirceburgo distans, duobus verò à Cœnobio Arthemiensi, Ordini oblata à nobili viro Baltassare de Faer, sed tenuiter nimis dotata, nunc verò si larga bonorum manus adiuuerit meliùs habitura speratur, cum sit loco accommodo, salubri, ac peramæno. *Miræus*.

CXXXI.

1450. *Cartusia apud Villam francam* vltra fluuium, Diœcesis Ruthenensis, à Domino Vesiano Valeta per testamentum instituta, A 1450. construi cœpta de ipsius bonis, Anno 1452. à Domina Catharina Garniere eius consorte dotata, & A. 1490. Ord. incorporata. Inscribitur Verbo Dei Filio, humanæ salutis sub forma serui assertori, idque *S. Saluatoris* nomine.

CXXXII.

1455. *Cart. Dominæ nostræ de Gratia* in suburbio Bruxellarum. Quo tempore Philippus Bonus rerum in Belgio potitus est, frequens erat Diuione, Brussellis rarior, in tantùm vt continuum ipsius abscessum tacitus quisque secum accusaret. Quod vbi subintellexit, dixisse fertur: Frequentiùs me Brussellis haberetis, si meos ibi Cartusienses viderem. Nec vanè, sed verè de suis Diuionensibus, ex adfectu, quem ad eos, & Ordinem habebat, eum hoc dixisse probauit vltimarum eius voluntatum tenor, quo cauisse videtur, vt si Brugis moreretur, nihilominus apud Cartusios Diuione sepeliretur: nam, & ita factum constat. Hoc igitur Principis responsum mouit imprimis Senatum Populumque Bruxellensem, vt Cart. construendæ locum prouiderent ad Templum Beatissimæ Virginis cultu, & miraculis olim celeberrimum extra pomœria Ciuitatis ad teli iactum, & fortunis cumularent, quæ olim fuerant Fratrum Saccitarum nuncupatorum, in commune viuentium, sed absque vlla Regulæ approbatione. Constant hæc omnia ex Dat. Romæ Pij II. Pont. *Max.* A. 1458. quod labore Raissij

sij rescriptum occurrit Lectori per extensum in Originibus Cart. Belgij.

Accessit praeterea Caroli V. pietas, qui Anno 1524. Templum prae nobiliori, & sumptuosiori structura imperfectum haud ferens, procurante Mercurio de Gattinaria Cancellario, & Cardinali, qui postmodum domesticos eorum ex voto fuit, & priuatus intra cancellos cellae per medium, & amplius Annum magnus Cancellarius vixit, decem aureorum millia ad consummationem impendit. Tot, tantisque Burgundiae, & Belgij Principum, Bruxellensis Senatus, Pontificijs diplomatibus, Caesareisque fauoribus condecorata haec Cartusia, A. 1578. nequaquam valuit excutere tyrannidem Principis Arausicani. Expilata igitur, & ab haereticis eius fautoribus diruta domo suburbana, Patres intra moenia Ciuitatis, cum, quem modo inhabitant, coemerunt locum, & aedificijs auxerunt A. 1591. Priorem, & benemeritos exprimit tabula aureis caracteribus distincta, & super Frontispicium Odei erecta.

D. O. M.

Et Serenissimo Principi Alberto Archiduci Austriae, Duci Brabantiae, & Regis Catholici Ministris, ac militiae Praefectis, Gregarijsque militibus Hispanis, ob insignem eorum pietatem, oblatamque ex suis stipendijs ad instaurationem huius Ecclesiae eleemosynam, procurante Petro de Leon Priore huius Cartusiae, sacer Ordo noster Cartusiensis gratitudinis ergo, aeternaque memoriae, cum Anniuersario perpetuo de mandato Capituli Generalis die 11. mensis Maij pro salute Animarum suarum celebrando dicauit, & posuit Anno M. DC. I. Agunt de fundatione huius Cartusiae Raissius, Miraeus, Ioannes Tourner eiusdem Procurator in opusculo MS. & alij.

CXXXIII.

1462. *Cart. Ferrariensis.* Borso Ferrariensi Ducatu potitus in gratiarum actionem D. O. M. & S. Christophoro, nobilem hanc aedem ponit, ad quam inchoatam 23. Aprilis A. 1452. & octennio post absolutam Cartusienses incolas accersiturus, Oratores suos ad Congregationem Generalem Gratianopolim ablegat Danielem de Arluno Fori-Iulij Episcopum, & D. Matthaeum ab Alexandria Cartusiensem Asceiam. Patres Conscripti post debitam gratiarum actionem Principi adeò benemeritò D Filippinum è Melano Florentini Coenobij Praefectum, ac Prouinciae Tusciae Visitatorem, vnà cum D. Vgone Senensis Familiae Priore ad ineundam possessionem delegere, qui ad eam accesserunt 24. Iunij 1461. Census euocatae Coloniae adsignatus supputatur aureorum 10. mille in Annos singulos. In Dypticis Antistitum Ferrariensium memoratur Franciscum Legnaminium primum lapidem iaciendis fundamentis aptasse; Laurentium Rouerellum, de mandato munificentissimi Ducis, Patres aduenientes primò excepisse; Alphonsum tandem Rossettum consecrasse A. 1570. nouam Ecclesiam, quam, veteri ingenti terraemotu concussa, ac euersa Monachi restituerant. Caeterum Borsius ex humanis demigrans in Claustro huiusmet Cartusiae voluit humari, in quo iacet sub tumulo affabrè elaborato, Statuis, Carminibusque insigni, inter quae haec Rinaldus Coxa apponebat.

Borsius hanc Princeps magnisque sumptibus Aedem
Condidit, eximias quique reliquit opes.
Estensis decus hic tumulatur nobile gentis
Dum cupit elysias mens habitare Domos
Hic igitur meritis felix Cartusia nunquam
Cessabit solitas fundere corde preces.

De

De eiusdem Asceterij splendore, & Borsii in eo moliendo luculentis sumptibus canebat ad lyram Baptista Guarinus Senior.

Qui duram tetrico deducitis ordine vitam
Sit Borsi vestro nomen in ore Ducis.
Nam primum ad lapidem, via quò nos Borsia ducit
Carthusi vobis nobile condis opus.
Christophoro templum sacrum est, qui dicitur altos
Per pelagi fluctus pertitor isse pedes.
Et sublatum humeris paruum gestasse tonantem
Confessus pueri pondere terga premi.
Quippe hominis figulus ceruice insederat illi,
Qui mundum æterno temperat arbitrio.
Non satis est vrbem muri cinxisse corona:
Cælicolis etiam Borsius ædificat
Sic petitur Cælum, sic in Iouis arce coluntur
Qui bene de Nobis, & Meruere Deis.

Plura habes de ea Lector apud Vuinandi Pighij, Herculem Prodicium; Vghelli, Italiam sacram; Ferrariam Auream, Libanorio Cisterciensi nostro, Auctore p. 2. pag. 98. & Marcum Antonium Guarinum, Compendij historici Ecclesiæ Ferrariensis lib. 3. p. 163.

CXXXIV.

1466. *Cart. Vedanæ.* Ratio huius Cartusiæ initiandæ ex peruetusto, & MS. monumento Archiuij eiusdem loci est huiuscemodi. Cuidam Comiti Domino locorum S. Marci de Vedana, modo S. Gottardi dicto, S. Iacobi de Candatene, & S. Mariæ de Agrè nuncupatorum in confinijs Montis-feltri, Diœcesi verò Bellunensi, bonorumque omnium eisdem Ecclesijs subditorum, montium videlicet, campestrium, nemorumque, cum nec liberi essent, nec hæredes placuit totidem xenodochia erigi in præfatis Ecclesijs, ad pauperes Christi omni charitate excipiendos. Piæ voluntatis exequutionem commisit Conrado Ep. Bellunensi, qui singulis cum Ecclesijs singulos præfecisset Sacerdotes ad sacrosancta conficienda mysteria, hospitiumque aduenis parandum, effœta postmodum ætate Prouinciam transtulit in Canonicos Bellunenses. Contigit autem A. 1449. decedere nobilem virum Ioannem Mier Ciuem Ciuidalensem, & tumulari in Ecclesia matrice. Nocte eius funeri insequente Dæmon exciuit Antonium de Arloto Sacrarij laudatæ Ciuidalensis Ecclesiæ tunc Rectorem, forti animo esse monuit, & diuinam ad exequendam iussionem, eum ad Sacrarium sequi, facem accendere, calicem sumere, & rectà ad sepulcrum Ioannis nuper tumulati concedere. Eò cum peruenissent, conditorium Dæmon reserauit, cadauer ipsius Ioannis extraxit, grauiter in occipite percussit, sacrum Domini Corpus nuper pro viatico sumptum, subiectum in calicem euomere iussit, & ad Antonium conuersus: Hoc, inquit, tua, hoc verò mea deinceps interierit, cumque Antonium ipsum viuificum Panem ad Aram Principem deferentem, face prælata, comitasset, vnà cum Ioannis cadauere euanuit.

Horrendo euentu perterrefactus Antonius, mundo calces illidere apud se const[illegible]um, S. Hieronymum de Montello secus Taruisium adijt, tyrocinium po-[illegible], & ibidem Procurator designatus Auctor fuit apud Canonicos Bellunenses, [illegible] accedente assensu Francisci Parauini Ep. Bellunensis, & Feltrensis, nosocomia

mia præfata Cartusianis subijcerent, eorumque bona ad huius Propositi dotandam familiam erogarent. Indictione octaua, die Dominico ad quarto Idus Octobris Nicolaus de Tiris Notarius tabulas donationis conscripsit, quas subsignarunt cum ipso Antistite Canonici Bellunenses. Anno postea 1459. VV. PP. D. Philippus, Prior Patanij; D. Guillelmus Venetæ familiæ Rector, cum D. Antonio Arlotto, primo recentis plantationis cultore, & administratore designato loci possessionem iniere. A. 1466. rebusque satis ibidem prosperis inter Ordinis familias recensita est. Anno 1471. excitata est Ecclesia in qua modò persoluitur pensum diuinum, & subinde per Arloti successores ædes disciplinæ quam profitentur commodissimæ luculenter adiectæ.

CXXXV.

1471. *Cart. S. Laurentij in Itinga* Heluetiorum Oppido, Diœcesis verò Constantiensis. In Brunonis censum illata est, comparata titulo oneroso à Canon. Lateranensibus S. Augustini A. 1461. assentientibus Pio II. Summo Orbis Catholici Parente, Enrico IV. Cæsare, Antistite Constantiensi, & Heluetiorum Republica, ac Ordini post decennium aggregata. Ioanni Ludouico Pfeiffer nobili Lucernensi maximoperè debet, qui 24. Nouembris 1626. vita functus, sepultus est habitu Cartusiano indutus, cum viuens, ob ingentem in eumdem Ordinem deuotionem excitasset sex cellas, quam etiam varijs muneribus cumularunt ipsius Mater, Consors, & Frater. Ab hæreticis diras calamitates perpessa, incolarum œconomia suorum, piorumque subsidijs ærumnis præualet, rapinis, incendijs.

CXXXVI.

1477. *Cart. S. Sixti, seu Rutilana*, Benedictinorum claustrum, inuecta strictiori hac obseruantia reformatum cura Archiepiscopi Treuirensis, à quo temporaliter tunc, & spiritualiter pendebat. Qui primi has ædes ingressi sunt Patres, discessere ab alio Monasterio, cui nomen Riuulus B. Mariæ, vulgò Marien-fluss infra SisKum Oppidum ab A. 1405. inducentibus Carolo Lotharingo, atque Margarita Bauara inhabitato, & dimissæ sedis censum secum ferentes, Rutilanam propaginem incolis, & patrimonio eodem tempore auxerunt. Gallorum in eo regionis tractu seuiente bello penè vastatum fuit hoc Rutilanum claustrum, etsi modo insignem reparationem ostendit, lactamtectam debet Prioribus Hugoni Meerhoutano, & Hectori San-vitano Germaniæ Visitatori Prouinciæ.

CXXXVII.

1480. *Cart. Cantauij.* Eius Titulus est Compassio *B. Mariæ*, Diœcesis Coloniensis, locus adiacens Iulia, conditor Guillelmus VI. Iuliæ Dux, Benemeritus insignis Hermanus de Batchijs Præpositus Ecclesiæ Cleuensis, Status post tot clades bellorum tempore acceptas satis felix. Miræus, & alij.

CXXXVIII.

1480. *Cart. Dulmania.* Appellationem præfert Castri B. Mariæ, subest Diœcesi Monasteriensi, Auctoremque agnoscit Gerardum Keppelium Anno octauo post adeo insigne suæ pietatis Mausoleum è viuis reuocatum. Miræus qui supra.

CXXXIX.

1481. *Cart. Sauonensis.* Primitus fuit Sacellũ sub patrocinio S. Mariæ de Laureto, & S. Bernardini à Stephano Embrono, dicto de Orco, Sauonensi Pistore in prædio suo erectum, & Cartusiensibus S. Bartholomæi de Riparolio traditum, quibus curæ esset Monachum Rectoris nomine ad diuina festis diebus peragenda

agenda perpetuò constituere. Processu temporis, anno scilicet 1482. emanauit decretum Cap. Gen. de Sacello in *Monasterium* erigendo. Piorum charitas vberes confestim eleemosynas conflauit, *Priores* S. Bartholomæi pecuniam depositam apud mensam S. Georgij breui adauxere, cuius incrementis eum huius familiæ commodis prospexissent, ex conterminis Asceterijs sex Patres educti sunt, qui sub proprio *Moderatore* ibidem conuersatentur. Ex monumentis eiusdem Asceterij.

CXL.

1483. ***Cart. Cazallensis in Batica*** sub inuocatione S. Mariæ de Conceptione, cuius situs ob amænitatem à Scriptoribus celebratur, cælum tamen non satis salubre, familia modica, & facultates sunt tenues; quippè quæ ferè omnes conflantur ex arboribus frugiferis circumiacente in solo excultis. *Actum* sæpius de translatione, quò Principis alicuius pietatem excitet, ad eius opulentiam lautiori censu impinguandam. Qualiscumque in præsentiarum est Monachos Carrusiæ Hispalensis fundatores agnoscit, præclari quorum Moderatores Ferdinandus de Torres Enrici IV. Confessarius, magni Castellæ Architrierarchi frater, & qui ei in regimine successit D. Fernandus de Zerezuela Io. *Archiepiscopi* Toletani Germanus, ac in eadem Ecclesia olim Archidiaconus de propagine in agro Cazallensi collocanda cogitare cœperunt, & tandem *Aluarus* de Ouiedo fundamenta aperuit, erexitque *Ann.* 1477. in vertice collis à Cazallensi Oppido media circiter Leuca dissiti, curauitque reliquis Ordinis domibus accenseretur *A.* 1483. Ità Ioseph de Valle.

CXLI.

1484. ***Cart. S. Viti in loco, vulgò Pruel, secus Ratisponam.*** Asceterium Regulæ Benedictinæ ob Orbis Christiani A. 997. Gebhardo Ep. Ratisponensi, conditum, transfertur ad huius Obseruantiæ professores auspicijs *Alberti* Bauariæ Ducis *A.* 1483. & diplomate Sixti Papæ III. sub Dat. Romæ apud S. Petrum vndecimo Kal. Nouembris *Anni* eiusdem, quo Præposito in Torcheim Bambergensis Diœcesis, & Decano veteris Capellæ Baltassaro Hundertpfrind *Apostolicis* executoribus mandat. *Abbatialem dignitatem, ac nomen, & titulum Ordinemque ... auctoritate nostra penitus supprimatis, & extinguatis, ac illud cum omnibus iuribus ac pertinentijs suis dicto Cartusiensi Ordini, & illius fratribus, pro eorum domo iuxtà eorum ritus, & mores, ac regularia eiusdem Cartus. Ordinis instituta perpetuò regendum, & gubernandum dicta auctoritate concedatis, ac Fratres dicti Cartusiensis Ordinis,* & si nobis ac dicto Duci visum fuerit expedire, *præsertim in domo Nurembergensi dicti Ord. Cartusiensis degentes ad ipsum Monasterium transferatis.* Huiuscemodi autem litteræ *A.* 1487. ab Innocentio sub Dat. pariter apud S. Petrum 17. Cal. Iunij, & de verbo ad verbum relatæ à Geluoldo in additionibus ad Metropolim Salisburgensem Vuigulei Hund T. 2. pag. 123. de Fundationibus per Boariam castigant eumdem Vuiguleum, vbi ait, Cartusienses à Sapienti (id ob eximiam prudentiam *Alberti* Ducis agnomen) in *Abbatiam* Pruel intrusos, Benedictinis ex antiqua sede iniuriosè deturbatis, ideòque Henricum de *Absperg.* Ep. Ratisp. inductioni obstitisse, suo placito in robur denegato. Enim verò quod dignis de causis supremus Orbis Catholici *Pater* impetat, prohiberi ab Henrico nefas fuisset. De ea præterea Ioannes *Auentinus* in *Annal.* Boatiæ; Bucellinus in Germania sacra; Brusehius, & alij.

CXLII.

1484. ***Cart. Xeritij ad flumen Guadaletense in Batica.*** Exordium sumpsit ab *Aluaro* Oberto Ciue Xeritiensi *Anno* 1478. 17. Decembris, qua die lapis initialis funda-

fundamentis aptatus, absoluta posteà, & Ordini incorporata 1484. Primos incolas debet Asceterio Hispalensi, qui fuerunt D. Didacus de Medina, D. Christophorus Hispalensis, D. Lopez de Ynestrosa, D. Benedictus Centurionus, cum aliquot Laicis. Patrocinium, nomenque B. Mariæ de Defensione à loco ipso accepit, in quo excitata, vbi-scilicet monumenta ferunt Christianos propitium sibi Numen nunquàm non expertos, & congredientes cum Mauris, Maometanisue, certam ibidem Barbaris de nationibus reportasse victoriam. Nominis tandem celebritatem ab ædium laxitate desumit, à lauto patrimonio, à situs nobilitate, nec non, & proximæ Cadicensis Vrbis, frequentissimique eius Portus specioso à prospectu; quippè quæ suarum ambitum cellularum ad quingenta longitudinis brachia protendat; & ex editiori, cui imminet vertice vineis, hortisque florentissimis ex vno latere, ex alio verò vrbem satis decoram sub oculis habeat, nec non, & nauigia ad celeberrimum Orbis Emporium, vndiquè confluentia, prout copiosiùs Ioseph de Valle pag. 425.

CXLIII.

1489. *Cart. Louaniensis inscripta S. Mariæ Magdalenæ sub Cruce*. Amplissimum hoc Cœnobium præter Vualterum Vuaterlet, aliàs Henrici, Præpositum Malbodiensem, Ioannem Ouerhosium Nassouiæ Quæstorem, Margaritam Caroli Audacis viduam initiatores, tot habet fundatores, quot ædificij partes, Gillium nempè de Potere Bergizomium, Franciscum de Busleyden, Conradum de Sarto, Nicolaum de la Ruistre Ep. Atrebatensem, & Ioannem à Bergis, cuius modo posteri Bergensi, seu Montium ad Lomam Marchionatu potiuntur. Templum impensis Gisberti ac Vualteri Fratrum de Potere testudineatum, & absolutum A. 1501. consecratur in honorem S. Mariæ Magdalenæ sub Cruce. Domus verò quintodecimo à fundamentis effossis Anno inter reliquas Ordinis familias conscribitur. Contonant hæc Haræo, Ducum, aut Principum Brabantiæ, pag. 448. in gestis Caroli Audacis; Raissio in Orig. Cart. Belgij; Miræo, & Iusto Lipsio, in Descriptione Louanij lib. 2. cap. 16. qui porticum huius Cartusiæ à magnitudine, & opere paucis comparandum opidò laudat.

CXLIV.

1492. *Cart. Auriacensis, Campus S. Michaelis nuncupata*, in Prouincia Franciæ.

CXLV.

1512. *Cart. Ruthenensis* Anno 1512. à Domino Heliondo Genffredo Albiensi Præposito, & Ecclesiæ Cathedralis B. Mariæ Ruthenensis Cantore fundata, ad mediam leucam à Ruthena versus Orientem.

CXLVI.

1513. *Cart. Granatensis.* Monachi Cœnobij del Paular, penes Segouiam Institutionis huius coloniam suo ære, suoque ex gremio educere volentes, sedem eidem posuerant Sonticæ, Anno 1506. Didaco de Luxan Antistite. Quam sedem deserere varijs incommodis coacti Anno 1513 transferandam eam sanciunt Granatam, collocantque iuxtà suburbium in loco aquarum venis copiosissimo, arboribus consito, præcipuè cypressis, & à Mauris Granatæ principantibus Dindamar ob amænitatem appellato. Dies Ianuarij sexta decima, annus verò 1516. initialis fuit sacro ædificio sexto ex lapide magnificentissimè constructo. Primum huius Cartusiæ nomen fuit S. Maria de Iesu, quod sancito Cap. Generalis mutatum est in titulum *Assumptionis Dominæ vallis*. Benefactores recenset Reges Catholicos, & Consaluum de Gorduba à rebus in bello præclarè gestis Magnus Dux nuncupatus. Lector consulat Ioseph de Valle. Ægidium Gonsalez, Vitæ Henrici Tertij cap. 77. & Marinæum Siculum, lib. 3. de rebus Hispaniæ.

CXLVII.

1513. *Cart. Sarinnensis in Aragonia*, Diœcesis Oscensis, sub appellatione *B. Virginis Mariæ de Fontibus*. Instructorem alij constituunt Blasium de Alagon Comitem Sastagensem eiusque Coniugem D. Beatricem de Luna. Verùm apud Blascum de Lanuza in Hist. Aragoniæ lib. 5. cap. 7. lego titulum huiuscemodi delatum cuidam Mercatori cognomento de los Torreros. Quicquid sit de hac contentione fons dotis aliquandò aruit, Monachis, rerum victui necessariarum inopia, nouam sedem exquirere compulsis. Abeuntium indigentiam misertus Fernandus Archiepiscopus Cæsar Augustanus, sumptuoso eos in cœnobio excepit, cui, à virginali Mariæ Vtero, Dei Aula facto, Aulæ Dei nomen fuit, donec desertas ad Cellulas, quas interim Carmelitæ occupauerant, postliminiò eos reuocauit Pere de Pere Andreu prædiues alter Mercator, qui post hæredum suorum fata voluit Cartusianos percipere fructum argenteorum bis mille annui redditus, quos ille exigebat ex Baronia del Parceu in Regno Valentiæ. Ex copiosiori hac vena ea profluit auri vis, qua, & ditura sarcire, & noua valent Patres instaurare ædificia, donec moles nullius ex reliquis per Hispaniam Cartusijs magnificentiæ inuideat.

CXLVIII.

1571. *Cart. Gallionis à loco* in quo sita, Bonæ spei à titulo ipsius erectionis vestibulo attributo, Borbonia verò ab Institutore Carolo Borbonio S. R. E. Card. Archiep. Rothomagensi, cuius mortalitatis exuiæ sacra in eadem Eremo requiescunt. Sammartani in eius elogio, inter Archiep. Rotomag. n. 83.

CXLIX.

1576. *Cart. Aula Dei ad oram fluminis Gallici*, à Fernando de Aragonia Cæsaraugustæ constructa. Effusissimo sumptu molita est; Fernandus enim Regis Catholici filius, & gregis Cæsaraugustani Pastor fundamentis Anno 1564. die verò 29. Februarij sua manu iactis.

Inde Monasterium centum bis millibus auri
Construxit, quod nunc dicitur Aula Dei.

Vt cecinit Martinus Sanchez del Castellar. Hæreticis, & in Anglia, & in Gallia religiosas ædes vastantibus, & inter eas Cartusiarum non paucas, Cœnobitis etiam Sarinnensibus, suæ S. Mariæ de fontibus, inopia impellente, valedicentibus, optimus, & opulentus Antistes ruinas misertus, vnius domicilij molem aggressus est, quod Cartusianam amplitudinem alibi collapsam, splendidius Cæsaraugustæ repararet. Incolæ ad eam inhabitandam accersiti commendantur à Ioseph de Valle, & sunt Ioannes de Torralua Prior, Michael Ægidius de Bernabè Vicarius, Simeon Sebastianus Procurator, Michael de Vera, & Andreas Blanchus. Sacro recessui nomen Aulæ Dei attributum ob deuotionem Fernandi Conditoris ergà Cælorum Reginam, cuius vterum virginalem Deus sibi in aulam elegit. Huius Cartusiæ laudes concelebrant Ioseph de Valle præfatus; Vincentius Blascus de Lanuza Tom. 2. cap. 6. Histor. Eccles. & sæcularis Regni Aragoniæ; Didacus de Murillo, Tract. 2. cap. 41. Histor. Cæsaraugustanæ, & Hieronymus Zurita, qui fatis concedens libraria eam suppellectili, & nonnullis ineditis suis vigilijs; necnon, & bonorum caducorum hæreditate eam locupletauit. Ioannem Austriacum Perystiliorum vastitate allectum; & in eis pila ludere ausum senex venerabilis exterruit, qui clericali indutus habitu apparens, diuinam indignationem comminatus est, nisi loci sanctitatem vereretur, vt alij tradunt.

1587.

CL.

1587. *Cart. Lilij S. Spiritus ad Rodanum.* Lugdunensis huius fundationis primum lapidem benedixit Petrus de Villars Archiepiscopus Viennensis: collocauitque in area, quam diruta arx occupabat, *M*archio de Soilin, Frater Ducis de Nemours, Prouinciæ Toparcha, nomine Henrici tertij Galliarum Regis, quo præcoci fato extincto, cum opere intermisso Procuratoris dumtaxat, eiusque socij hospitium aliquandiu fuisset; in solemnem erigeretur Cartusiam effecere decem locùpletes Patritij, qui singuli singulos Monachos annuatim enutrire cæperunt; Henricus IV. qui hæresi eiurata, Regnum à pietate auspicatus, argenteorum bis mille, recurrente vnoquoque anno exigendos erogauit; Nouitij qui ad vitæ à *M*undo segregis ponendum tyrocinium huc transmissi, Sæculi Ægiptum reliquerunt, auferentes secum Ægiptiorum spolia, seu portionem facultatum paternis sibi ex hæreditatibus contingentem; Opulentiores Cartusiæ, imprimis Italæ, quæ ædificij consummandi impensis satisfecerunt; Ordo denique ipse aggregatione Cartusiæ Poletarum in *B*ressia, cuius prouentus administrat Rector à Generali Cænobiarca creatus, & Lugdunensibus suppeditat Asceris. Templi tamen splendida moles ad fastigium nondum peruenit, Patribus interim rem diuinam agentibus in Ecclesiola consecrata à Cardinali de Marquemont, de *M*onasterio etiam quamplurimis congiarijs benemerito. Hæc ex Gallia Christiana, & Elogijs Historicis Ciuitatis Lugdunensis Auctore Claudio Menestrier è Soc. Iesu. Nec non, & ex Hist. ciuitatis eiusdem Auctore Claudio de Rubijs lib. 3. Cæterùm quandoquidem Claustri Poletarum incidit mentio, occasionem arripimus eius quoque vicissitudines excerpendi è Guicenonio, qui in Sebusiana Historia docet hanc Virginum Partheniam, modò incolis viduatam, ortum habuisse à Margarita Mirabelli Domina, docet, & adstruit ex tabula erectionis, quam hic appendo. *Ad laudem igitur, & honorem Dei, & Saluatoris Iesu Christi, & gloriosæ Virginis Matris eius, & Beati Ioannis Baptistæ, atque omnium SS. de consilio, & consensu Generalis Capituli Ordinis Cartusiensis, fundo, & construo Monasterium, quod vocabitur Cella Beatæ Mariæ pro salute, & remedio animæ meæ, & Nobilis Viri Humberti mariti mei Domini Bellitoci, nec non, & pro salute parentum, & antecessorum meorum, & suorum viuorum, & defunctorum, & quia de Monasterio prati Baionis; quod Ordini Cartusiensi est subiectum adduxi Sanctimoniales; eas cum Dei adiutorio in dicto Monasterio pono, & induco, & in primis in Nomine Domini dono, & concedo in perpetuum eleemosinam Deo, & dicto Ordini Cartusiensi, & Priorissæ, & Sanctimonialibus, quas ibidem introduco, nec non, & earum Successoribus pleno iure locum fundationis einsdem Monasterij, videlicet Territorium, & tenementum de Poletins, & nemus ibidem adiacens, & Stagnum quod ibidem feci. Promitto etiam eis facere cum expensis meis Ecclesiam, & omnia alia ædificia eis necessaria, terram quoque ad agriculturam dabo eis, quantum sufficiet ad excolendum octo iugis boum. de anno in annum prata prouidebo eis sufficienter, vineas eis acquiram, vel plantabo; pascua do eis per totam terram circà Rodanum, & vltera vbicumque habeam siluas, & nemora concedo eis, vt accipiant pro ædificatione, & restauratione ædificiorum, dono etiam eis, & concedo plenam libertatem per totam terram meam à Leidis, & pedagijs, bannis, & ab omni vsagio quocumque nomine vocetur, & quidquid dono, vel eleemosinæ poterint acquirere de terris, & feudis meis, habeant, & possideant plenâ libertate, simili modo concedo eis vt homines, & mulieres de tota terra mea possint recipere liberè, & absolute, & quæcumque eis donauerint mobilia, habeant ea pacificè, & quietè; secundum situm, & commoditatem terræ prouidebo eis de Molendino, in animalibus do eis sexdecim boues pro agricultura, pro nutrimento decem vaccas, decim tricenaria ouium,*

quindecim libras fortium in redditibus de eis, & assigno decem libras super piscatione de Lesches, & centum solidos in veteri pedagio Rodans, necessaria verò victus prouidebo eis, donec ea competenter possint habere de eis, quæ sibi largiuntur. Hactenus carta fundationis.

1585. *Cart. Ara Christi in Regno Valentia.* Christophoro Roig. Cantori Sacræ Valentinæ Ecclesiæ, & Inquisitori Apostolico prædium erat in confinijs Villæ Puich dictæ quarto ab Vrbe lapide, quod futurum orationis domum, & Cartusiensium stationem à Petro Munnoz Eremicola, & Fratre Iacobo Sanches Minorita nudipede, viris morum probitate insignibus, cum didicisset, extremo fato intereeptus, de suis disposuit, & Helenam Roig Sororem suam diuinam voluntatem implere voluit, Cartusiæ condendæ imposita illi Prouincia. Helenæ, quò citiùs Christophori Fratris vltimam voluntatem expleret accedere monita Confessarij sui Martini Alberti è Soc. Iesu, cui Fratris iussa eum illa communicasset, religiosissimus Pater petijt Villæ sibi claues tradi, ad eam cum Socio perrexit, & dum tribus diebus, totidemque noctibus orationem protrahit, tres in vno raptu visiones habuit. Primò conspexit miræ proceritatis pinum, que ramis latè protensis, ipso conspiciente, spoliata, stipitem denudatum sublimiùs extulit, induitque formam cypressus. Mox vidit aliam cypressum speciosissimam domui adsitam; vidit & sacellum quod vili schemate molitum, supellectili quoque lacera instructum, cum tribus sedibus confractis, repentè splendidissimum in templum conuersum est, sacris indumentis, murorumque aulæis auro intextis, tres sedes singularim magnificentissimè ornatas, nec solem aureo ab axe clarioribus præ ipsis enitere radijs. Vidit tandem tres frumenti camposprimum bonum, secundum melius, tertium adeò speciosum, vt gloriæ videretur imago.

Lumine posteà superfusus diuino visionis quoquè interpretationem intellexit: pinum nimirum ipsam Helenam esse spiritualem suam filiam, quæ facultatibus olim vanitate absumptis, animum posteà Cartusiensibus fouendis esset adiectura, seu excolendæ excelsæ perfectionis arbori, quæ velut cypressus in altitudinem se tollens, in Dei Ecclesia eminet. Cognouit aliam cypressum domui attiguam Cartusienses significari alumnos, qui eamdem domum in Monasterium conuersam breui forent inhabitaturi. Sacellum squallore abiectum, Monachorum familiam ibi collocandam referre, aliquo tempore rerum victui necessariarum pænuria laboraturam, tandemque hæreditatibus impinguandam. Resciuit denique tribus sedibus tres exprimi Monachos, qui pænitentia, & ærumnis pro Christo exantlatis fracti, lucidas in Cœlo sedes accepturi, & sancito Apostolico in Sanctorum albo forent adiecturi; tres verò campos frumento bono, meliori, optimo exuberantes, tres Monachorum Ordines referre, qui in hac Institutione Altissimo famulantur, oblatos videlicet, Conuersos, & Sacerdotes.

Hæc vt Pater Martinus Helenæ retulit, extemplò illa fraterna latifundia Brunonis Asseclis consignauit. A. 1584. die vndeuigesima Augusti, quorum postridiè nonas Aprilis possessionem adiere. Igitur optimis auibus initiata hæc mansio, licet rei domesticæ pænuria, suis in incunabulis laborauerit, tandem copiosis largitionibus impinguata, magnificentissimam structuram inchoauit A. 1621. quarto nonas Martij, Patre Michaele de Vera præfecto, molis verè sumptuosę encomium ab ipso Philippo quarto promerita, cum A. 1645. eam inuisit, & dignam regia habuit protectione, prout sub Dat. Valentiæ 26. Nouemb. 1645. omnibus notum Rex idem voluit. Distat ab ipsa Valentiæ Vrbe duabus leucis. à Cartusia verò Portæ Cæli tribus, & ab Eremo sub nomine Vallis Christi sex. Referunt præmissa Ioseph de Valle; & Pater Eusebius Nerembergius in vita Patris Martini Alberti.

CLII.

1587. *Cart. Scala Cæli Eboræ in Lusitania.* Cum Theutonius de Bragantia Gomez de Bragantia, & Ioannæ de Mendoza Bragantiæ Ducum ex thoro genitus aliquot diebus in Catalanna Scalæ Dei Eremo hospitaretur, allectus sanctitate Monachorum illius Cœnobij, vita, humana sublimiori nunquam non viventium, animum adiecit propagando per Lusitaniam proposito, cuius consuetudines totidem videbantur perfectionis gradus, Asceras suos compendiosa in Cælum scala inducentes. Renuntiatus igitur Eborensis Antistes ædificare aggressus est domum, amplitudine suæ opulentiæ consonam, & titulo Scalæ Cæli præseferentem opinionem, quam de sanctitate huius vivendi normæ conceperat. Pater Ludouicus Telm præmemorati Catalauni secessus moderator, regimine illius abdicato, transfretauit in Lusitaniam, Socijs secum delectis, quibus recenti in hac statione præesset D. Francisco Monroig, D. Hieronymo Ardio Sacerdotibus, & FF. Siluestro, & Ioanne Velis Conuersis, ac Ioanne Incosa oblato. Septima Nouembris dies A. 1587. consurgere vidit fundamenta splendidissimi Claustri, cuius moles absumpsit scutorum centum, & octoginta millia. A. 1588. Comitia generalia adiecere hanc propaginem Conuentibus Prouinciæ Cataloniæ, à qua posteà distincta est, cum idem Patrum Senatus in eam sententiam abijt, ex ipsa, & altero sub nomine Vallis misericordiæ Collegio Vlyssipone molito, de quo infrà, vna erigeretur Prouincia Lusitaniæ nuncupanda. Quatuor passuum millibus secus Eboram surgit, quæ tamen distantia pijssimum Fundatorem nequaquam præpediebat, quin singulis ferè diebus ad eam inuisendam pergeret, immò Statione pro seipso Monachorum cellulis adiuncta, deponeret primatus Lusitaniæ maiestatem, humilisq; Monachus inter Monachos degeret, Altaria cum Sacrarij Præfecto ornans, Infirmorum cubicula euerrens, aliaque præbens pietatis monumenta, de quibus, & de Scalæ Dei Monasterio Nicolaus Augustinus in eius gestorum Commentario Vlyssiponæ, excuso, Georgius Cardosus Tom. 1. Agiologij Lusitani 25. Februarij annotat. 58.

CLIII.

1593. *Cart. Vallis Misericordiæ secunda Lusitaniæ propago.* Incœpit A. 1592. habuitque Instauratorem D. Hieronymum de Ataide, Comitis de Castambeyra filium, Philippi secundi maiorem in Portugallia Capellanum, & in Episcopum Visceensem tandem adlectum. Pater Ludouicus Telm, Scalæ Cæli Prioratu dimisso, onus suscepit regendi Monachos ex Catalonia ad fundandam hanc Coloniam transmissos, quemadmodum, & religiosam aptandi in mansionem ædes, quas Hieronymus obtulerat in Vico vulgo Pampulla.

Ab hac sede, vtpotè, experientia magistra, Cartusianæ obseruantiæ inepta A. 1598. commigrarunt in prædium Simonæ Godinæ Mulieris Æthiopissæ, quæ fortunæ bonis locuples nobili Lusitano in Insula S. Thomæ nupserat. Pia hæc mulier cum patrimonium suum sanctis operibus impendere apud se decreuisset, Xenodochium misericordiæ Vlyssiponæ erexit, dotauitque. Post cuius Institutionem cum opes satis lautas sibi superesse cerneret, testamentum condidit, administratores præfati sui Nosocomij eiusdem executores nuncupauit, eisque onus imposuit sacram deligendi Religionem, quam nouo domicilio ex suis bonis augerent. Fauit Cartusiensibus Philippus Hispaniarum, & Lusitaniæ Rex Catholicus, fauit & Serenissimus Cardinalis, vnàque Regni optimates, & præterquamquod Ordinibus Regularium cæteris, Cartusiani Prælati, copiosior eis census adiectus, vt iure merito confessus generalis inter decreta. A. 1594 istud ediderit: *Prouisionem nouæ plantationis domus, quæ Vlyssiponensi in Vrbe ex Catholica Maie-*

Maiestatis, & Serenissimi, ac Regij Cardinalis, aliarumque personarum illustrium, liberali voluntate incipit erigi, laudamus, & approbamus, &c. Surgit hæc domus ad oram maris Oceani, quatuor fecus Vrbem stadijs, amœnissimo in loco, vbi Godina fundatrix Cœnobij Palatiolum sibi ad delitias construxerat.

CLIV.

1359. *Cart. Tolosana*, quæ diù inter Prouinciæ Franciæ domos florentissima, ruinosa postea, Anno 1602. restaurata fuit, mox à Caluinistis igne admoto consumpta, Anno 1605. iterum Moissaceno in Collegio reparata, & Cœnobio Belli visus apud Castras incorporata est, à quo modo distincta, & noua sartatecta pristino ædificiorum splendori restituta, propriam familiam propè diem expectat.

CLV.

1607. *Cart. Burdigalensis, B. Mariæ nuncupata.* Franciscus de Escobleau Card. de Sourdis Archipræsul communibus cum Ambrosio Guasco expensis eam instituit. Paulò post idem Franciscus suis cineribus conditorium ibidem posuit, Ambrosius, quod vitæ supererat sanctiùs absoluendæ, in Calabriam descendit, vbi Brunonis cucullum induit in Cœnobio eiusdem, & Protomartyris Stephani nominibus inaugurato. Itaque vno eodemque tempore ille Purpura Romana redimitus, hic verò sexcentos præter titulos à militiæ honoribus, Regumque beneuolentia summoperè commendandus, qua fauendo, quà æmulando Cartusienses, æternæ gloriæ conquirendæ sanctissimum excogitarunt Consilium. Ille habitaculo Dei famulis moliendo, temporales opes impendit, hic honorum fastigio in Aulis Principum prætulit abiectionem in Domo Dei. Eminentissimus Princeps sua, generosissimus Eques, & sua, & semetipsum Brunoni initiauit; Alter deposuit mortales exuuias apud strenuos rerum caducarum contemptores; alter peregrinationis reliquum inter septa eorumdem septa expleuit. Illi placuit in resurgendo euocari ad gaudium Domini cum bonis, & fidelibus illius seruis, huic libuit eum viuendo, tum vita functo præstolari salutare Dei inter eosdem.

CLVI.

1624. *Cart. B. Mariæ de VII. Doloribus.* Filiorum familiarumque suarum incendia, exilia, cœdes deflebat hac tempestate Diuus Patriarcha Bruno, quando hæreticus furor Zelandiam, Hollandiam, & Trans-Iselaniam barbara planè sæuitie vastauerat, & Cartusias in eisdem Prouincijs opulentas solo æquauerat.

Si mihi fas sit flere meos, aliosque fugatos
Flere velim: nec me pigeat (nisi mors adempta
Conditio, vel fata vetant) occumbere morti,
Vt liceat tantum saluis tot plebibus esse.
His Deus excitus singultibus, ocyus aurem
Blandior inclinat: tum maiestate verendus
Sicut erat nixus solio, virgaque cacumen
Protendens, libare iubet dein oscula virga.
Tum placidus sic infit: Habes o Bruno, quod optas:
Dic vt templa tuus Vasseur recidiua reponat.
Occidat, occideritque finas Batauia tota,
Et tu desine velle preces effundere plures.

Hæc lepidè pangebat Vates musis amicus, plaudebatque Ioanni Vasseuro Domi-

Domino de Rabodengnen, & de la Boutillerie, qui tot Batauiæ Carrusiarum excidijs compatiens, statuit congregare in vnum dispersiones Israelis, constructa eorumdem Domo in suo Dominio prope Insulas Traoscaldianæ regionis, in qua Monachos profugos in nouum cogeret cœtum, & septem Mariæ Dolores, cum totidem Cartusijs in præfatis Prouincijs dirutis componeret. Claustrum igitur, illudque amplissimum absoluebat hoc Anno, cui impositum nomen B. Mariæ de septem Doloribus, meruitque à Raissio nuncupationem opusculi de Orig. Cart. per Belgium, in quo censum, elegantiam, & Ascetas Cart. Dolorum Encomiastico Epilogismo concelebrat.

CLVII.

1624. *Cart. Aurelianensis* non tantùm studio, sed, & Ordinis ipsius sumptibus nostra hac Ætate inchoata, & fere Apice imposito consummata.

CLVIII.

1627. *Cart. Assumptionis B. Mariæ*, alias *Castrum B. Mariæ* prope Vualditz in Bohemia. A moderno eius Præsule D. Hugone Hartioger hæc de eius institutione rescivi. Fundata, & dotata est ab Alberto Duce Megapolitano, Fridlandiæ, & Sagani, Vuandalorum Principe, aliarumque Ditionum Domini; Sac. Cæsareæ Maiestatis Generali A. 1627. Exinde vsque ad Ann. 1632. Prioralium, & Cellarum meridionalium ædificia incrementa sumpserunt, quo Anno, die verò 30. Iulij primus Ecclesiæ lapis fundamentalis locatus est, consecratus fuit ab Eminentissimi Cardinalis, & Archiepiscopi Pragensis Ernesti de Harach Vicario in spiritualibus ex commissione. At verò ædificia interrupta sunt, fundator quippe de rebellione contra Cæsarem suspectus, Egræ, quæ est Ciuitas Bohemiæ, missis ab Augustissimo Imperatore Ferdinando Commissarijs horrendum trucidatur, corpore, absque vlla sepulcrali pompa recondito in tumolo, quem viuens sibi in hac Cartusia delegerat. Eo è viuis sublato omnia bona propria, immo, & Cartusiæ nostræ fisco applicata sunt. Sed hæc Imperator Ferdinandus Secundus restituit hac conditione, vt ipse pro fundatore haberetur, qua conditione accepta residuum fabricæ ad formam, & decorem præcedentis completur.

Censetur hæc Cartusia in Prouincijs Germaniæ magnificentissima, adeo enim sumptuosæ, speciosæque Architecturæ est, vt oculos intuentium mirum in modum oblectet. Dedicata est Ecclesia B. Virg. Mariæ in Cælum assumptæ à Matthæo Ferdinando præconizato Pragensium Archiepiscopo, Legato Nato ritu solemni A. 1668. die 9. Octob.

At dum multis exantlatis laboribus, & sumptibus ei coronis imponeretur, ecce tibi A. 1676. die S. Marco sacrâ miserum in modum tota conflagrauit, relictis solùm muro, & Ecclesiæ Altaribus, cuius ignis origo vsque ad præsens momentum latet. Sed respexit prædilectum sibi Cœtum diuina clementia, & in tantum restaurata est, vt non sit videri ignis vllum vestigium, immo pulerior emerserit.

Situs loci est amænus, & ad plagam meridionalem. Pars Septentrionalis montes obijcit, ac prærupta; ad occiduam verò partem vno quadrante milliaris Germanici Ciuitas, Gitzinium dicta, videtur, à cuius ingressu Cartusiam versus tanto ordine quadrifariam arbores plantatæ conspiciuntur, vt simile quid in toto Regno non habeatur.

CLIX.

1632. *Cart. Antuerpiensis*. Domus in frequentissimo Orbis Emporio Ætate, quam terimus, sita, ab Anno 1466. exordium ducit, fuitque eo Seculo in Ollandt,

in

in Querceto, & in agro Vuchtensi, quibus nominibus veniunt situs positi in confinijs Syluæ-ducis, ab ipsa, trina metatione, occupati. Dionysius Rickelmius, eam primò locauit in Ollandt A. 1466. impensis Ludolphi, Vanden Vuater Canonici, multisque ibi laborantem incommodis tradoxit, Anno necdum completo, intra Querecetum, initiauitque S. Sophiæ ad mentem Caroli Audacis Flandriæ Comitis, qui supplici translationis libello annuerat subscriptione huiuscemodi: *Fiat, vt petitur, in honorem S. Sophiæ Constantinopolis Ciuitatis*, volens nimirum, vt Diuæ Virginis cultus, Byzantio à Turcis capta, in Græcia collapsus, huius Templi Inscriptione perpetuò apud Brabantos repararetur. In agro demũ Vuchtensi cõstituta est per Dionysij successores Anno ab eius extremis fatis primo, quemadmodum ipsi Dionysio Buscoduco Roermondam concedenti fuerat diuinitus reuelatum. Per eosdem posteros Antuerpiam migrauit, ædibus Vuchtensibus excisis, quæ in obsidione Buscoducensi Ciuitati propius sitæ, hostibus munimen præbuerant.

Quater porro innouata Sedes, quatuor recenset fundatores; in Ollandt Ludolphum Van Vuater Canonicum; in Querceto, Arnoldum Geldriæ Ducem, & Zutphaniæ Comitem; in solo Vuchtensi Alcydem Pieckiam, quæ Virginum Orthensium comparata domo, adiecit quæcumque bona immobilia in patrio Geldriæ solo possidebat, suumque consortem, octo cellas construeret, dotaretque adegit, & tandem Antuerpiæ cum ditiorum per Teutoniam suæ professionis Cœnobiorum largitionibus, piorum subsidia, quibus auxilijs nobiliores segregum à *Mundo* virorum recessus schematis maiestate, commodisque adæquat, vt iuremeritò Antuerpiensibus gratulemur, æquè splendidè eos complecti modò Cartusienses, ac olim in speciosissima exceperant suburbana domo, quam milite Rossemiano Vrbi ingruente, subiecto puluere tormentario, admotoque igne euerterant, combusserant ne hosti præsidio foret. Legendi de hoc Asceterio, eique aggregato Buscoducensi Raissius, & Vitæ D. Dionysij Rickelmij Scriptores.

CLX.

1634. *Cart. B. Marthæ ad Aquas Sextias in Prouincia*. Fundatorem habet clarissimum D. Ioannem Andream Aymard, Dominum Montis Sallerij, Regium Consiliarium in Parlamento Prouinciæ, qui A. 1623. 10. Decembris, suo testamento condito, decernit, & ordinat, quòd tota pecunia, quæ ex venditione prædicti officij Senatorij conflabitur, quæque summam æquatura est vnciès mille aureorum, in firmissimis, æquè, ac fidissimis Communitatibus constituatur, vt ex obuentionibus inde recipiendis exciteiur, & fiat domus Ordinis Cartusiensis intra, vel extra Vrbis *Mœnia*. In huius pij Legati exequutionem ab A. 1625. ad 1634. primi alumni consedere in villa, iuxta viam, qua itur ad Capellam S. Mim. sub regimine D. Gabriel's Oursel Administratoris. Sub finem verò *Anni* 1634. emerunt aream propinquiorem Ciuitati, in qua Ecclesiam sub inuocatione S. *Marthæ* erexere, & cellarum ambitum inchoarunt *Præside* D. Gabriele Magnati, professo Magnæ Cartusiæ, in Priorem renunciato. Alit Monachos ad octo, Conuersos duos, cum Priore vndecimo. Ita ex monumentis ab eadem Cartusia acceptis, & Sammartanis, qui in Elogio Card. Richelmij, Archiepiscopi Aquensis ex Ord. Cartusiano referunt *Aymarum* ad sacram hanc Eremum fundandam excitatum potissimùm adhortationibus pijssimi eiusdem ex *Monacho Archiepiscopi*.

CLXI.

1629. *Cart. S. Ioseph apud Molinas in Borbonio*, & Diœcesi Æduensi. Fundatricem

triécem habet Domum Bonæ Fidei, quæ in loco vulgo Chauueau appellato in suburbanis dictæ Vrbis sibi à Serenissimo Henrico Borbonio de Condè Galliæ Protoprincipe concesso *A.* 1627. hanc suis impensis construxit, & dotauit, & hæc translatio Domus Bonæ-Fidei ad supplicationem maioris partis Ciuium Molinensium facta est. Ordini incorporatur *A.* 1629.

CLXII.

1632. *Cart. Duacensis.* Cum hoc Anno Philippus Cauerel Abbas S. Vedasti Attrebatensis, qui Attrebati Collegium RR. PP. Soc. IESV construxerat, non minus in Cartusianos propensus eisdem Duaci voluisset ædificare Monasterium, Duacenses expertus eisdem aduersos, re infecta, decessit *A.* 1636. 1. Dec. Elapsis post Abbatis mortem aliquot Annis D. Nicolaus Loys Sacræ Theologiç Doctor, & Canonicus Tornacensis intermissum negotium repetens, Cartusianos Duacum, vnde oriundus erat, accire conatus est. Verùm cum præ tenuitate domestici census tali operi esset impar, in extremis positus, nobilem Domicellam Mariam Loys Sororem suam hæredem instituit, ea conditione, vt fraterna bona suis adaucta in Cartusiæ constructionem pariter impenderet. Superstes vnica familiæ puella A. 1654 die Ian. 11. naturæ debitum persoluens pro Cartusiæ fundatione legauit omnes suas facultates, quæ ad summam trium mille librarũ annui vectigalis ascẽdebant. Huic etiã nouæ cõstructioni manus porrexerunt auxiliatrices Cartusiani Valencenenses, Tornacenses, Gosnayenses, & Insulenses, qui singuli sex mille florenos contulere, negotiumque promouente V. P. D. Bernardo Pamart Priore Valencenarum, post multas difficultates exanthlatas, rebus feliciter stabilitis A. 1659. die 6. Iulij loci possessionem iniere.

CLXIII.

1633. *Cartusia Briuiæ, siue de Anicio, Diœcesis Podiensis in Velaunia*, sita in pago Briuiæ, flumini Ligeri adiacente, tertio Leucę quadrante ab ipsa vrbe discreto, ad instantiam tum Canonicorum, tum Ciuium à Reuerendo Domino Iusto de Serres ibidem Episcopo pro translatione Domus Bonæ-fidei A. 1628. Ordini concessa, & Anno 1633. Ordini incorporata, sumptibus Bonæ-fidei erigitur.

CLXIV.

1634. *Cart. S. Mariæ Magdalenæ.* PP. Villanouæ secus Auenionem Coloniam à suo gremio eductam, sub communis Massiliensium tutelaris auspicijs Massiliæ in Prouincia collocant. Lapis à Francisco de Zomeniæ eiusdem vrbis Hierarca primus in fundamenta demissus, his verbis legebatur distinctus.

Quod felix, faustum, sanctumque sit
Vrbano VIII. Summo Pontifice
Ludouico XIII. Rege Christianissimo

Huius ædis Carthusianæ D. O. M. Diuæque Deiparæ Virg. Mariæ Sacræ in honorem Beatissimæ Mariæ Magdalenæ (cuius felici appulsu vita, & prædicatione hoc sibi solum patentibus quondam signis diuina sanctificauit prouidentia) construendæ, & erigendæ Illustris. Nicolaus del Hospital, Marchio de Vitry, primus Franciæ Marescallus, Prouinciæ Prorex lapidem hunc capitalem à Reuerend. DD. Francisco de Zomenia Massiliæ Episcopo solemni ritu, & apparatu benedictum, promouentibus magnificis DD. Vignerie ac Consulibus, Gubernatoribus Ciuitatis, ciuibusque cunctis publicum attollentibus

gaudium deuotissimè, ac munificentissimè fundamentis aptauit, locauitque, Anno Domini M. DC. XXXIII. die 8. Septembris sedente in Carthusia totius eiusdem Ordinis Reuerendissimo Epistata Catholico Iusto I. in serie Generalium XLVII. Franciscus de Foresta palatij *Massiliensis* primarius Iudex primam cellam suo ære fabricari triennio post mandauit, cuius rei monumentum legitur penes Annales Prou. *Massiliensis* Auct. I. Bapt. Guesnay Soc. Iesus ad An. 1633. à quo deprompta est hæc ipsa Inscriptio præmissa. Alijs alijsque benemeritis faustè incœpta pijssimè prosequentibus, felicissimè coronidi accedit, quæ Cælo annuente, quantocitius eidem imponetur.

CLXV.

1635. *Cart. S. Annæ*, Nanceo in Lotaringia adsita, Carolo autem Lotharingiæ Duce eius Institutore.

CLXVI.

1639. *Cart. Via Cæli, & S. Ioseph*, in Regno Valentino, excitata à D. Thoma Pedros Equite Oriolensi. Reliquas Hispaniarum domos haud equat hæc Cartusia, si loci, in quo metata est commodum, aut ædificiorum splendorem, vel substantiarum opulentiam consideres, quas tamen virtutis exemplo instar se habet; si Incolarum constantiam in exanthlandis habitationis incommodis spectes. Eius incunabula hæc sunt. Iacobus Hispaniarum Rex Maumetanis fugatis, & Valentiæ Regno bellica virtute subacto Turrim erexerat ad maris oram octauo ab Vrbe Oriolensi lapide, & propè Turrim Religiosorum domicilium S. Ginesio inscriptum adiecerat, quo & Piratarum inuasionibus militi præsidio consuleret, & Ruricolarum pietati sacra Monachorum familia prospiceret. Elapsis aliquot annis Minoritæ loci Incolæ delecti eleemosinarum defectu, & Maurorum timore ex his sedibus abiere. Minoritis successere Patres Ordinis Prædicatorum, & Prædicatoribus Professores Ordinis B. Mariæ de Mercede, qui omnes eisdem affecti incommodis loco cesserunt. Thomas Pedros Eques Oriolensis de Cartusiensibus benemereri studiosus, eosdem suarum facultatum hæredes nuncupatos sacro in hoc secessu collocauit, cui Franciscus de Medina primus Antistes inauguratus D. Nostræ de Via Cæli nomen attribuit. Monachos incolas eadem exagitant incommoda, quæ prædecessores eiecere, ædium inprimis angustia, & squallor: & licet bis transmigrarint, nimirum A. 1654. & 1662. propiusque Vrbi accesserint, locum inhabitaturi, vulgari nuncupatione Torre di Masquefa dictum, tamen sancito generalis Patrum Senatus inde commigrare iussi, ad S. Ginesium de Campo hactenus perstant, eò nobiliorem in Cælo, quò humiliorem in terra habituri mansionem.

CLXVII.

1640. *Cart. Cæsaraugustana, Conceptio S. Mariæ à festo eius titulari denominata.* Opus solemne est Alphonsi de Villalpando, & D. Hieronymæ Zapettæ Contoralium initiata A. 1639. pridiè Nonas Maij inter Oppidum Alcannicense, & de Castellsera propè Dertusam, & A. 1651. Cæsaraugustam ob bellorum discrimen translatum, erectumque in prædio eiusdem Hieronymæ Zapettæ duobus passuum millibus à Ciuitatis propugnaculis dissito. Domus Aulæ Dei Alcannicensi ædificio, sicut, & Cæsaraugustano incolas dedit, nimirum illi D. Laurentium Clauericam Priorem, cum Francisco Albiol Vicerectore, D. Ioanne Saluatore de Sola Procuratore, & D. Francisco Pueyo Sacrarij Præfecto; Huic verò Didacum de Villaroya Priorem, D. Michaelem Ripoll Vicepræfectum, Franciscum Albiol Procuratorem, D. Ioannem Anadin rerum sacrarum custodem. Situs proprior est Vrbi, quàm secessui Cartusiensibus indicto par sit.

par fit. Verùm ne aliò transferatur fundatrix cauit, ædibus, & patrimonio PP. Soc. Iesu subiectis, quandocumque Cartusienses de transmigratione agant.

CLXVIII.

1648. *Cart. Annunciationis B. Virg. Mariæ* in amæno Collengij Oppido, quod ad nobilissimæ Prouanæ familiæ Comites spectat, & Taurino Pedemontij Principum, Sabaudiæ Ducum Methropoli ad tertium lapidem distat. Christina à Francia Regis Christianissimi filia, Victoris Amedei huius nominis primi consors eam à fundamentis eduxit, cum, eodem Amedeo è viuis erepto, Sabaudæ coronæ regimen inijt, voluitque lepido, magnificentissimoque huiuscemodi monumento perennare apud posteros memoriam suæ erga Dei genitricem pietatis. Guicenonius Probat. Regiæ Sabaudæ Domus pag. 586. depromit Epistolam circularem ad suæ Ditionis nobiles, inferioresue eodem tempore datam, qua inquit, celebrationem solemniorem diei mysterio Virg. ab Angelo inuisæ recolendo sacræ sibi in votis esse, sub cuius nimirum festiuitatis auspicijs Amedeus iampridem instituerat supremum Aulæ suæ Equitum Ordinem ab Annunciatione ipsa nuncupandum, & torque decorandum aureo, cum appenso numismate Paranimphi cælestis, Mariam sui Conditoris futuram genitricem, alloquentis. Mandat proinde omnibus, & singulis Ciuitatibus, & Oppidis, vt ad exemplum faceri Apparatus, quo processionem publicam Taurini ipsa celebraret, eamdem, & ipsi diem perpetuis temporibus sacrosanctè transigerent, Templis ad æmulationem quàm sumptuosiùs ornatis, nulloque Ordine aut Ecclesiastico, aut Laico ad Cœtum publicum non coacto. Sabaudi Sceptri maiestatem, Maria protegente, florere, cui ideo scirent, se Regiam Sobolem, Domum, Dominiumque, inuiolabili huius solemnitatis Sacramento, deuouisse, nec suis fortunis aduersi quidpiam ipsi vererentur, ea in Patronam accersita, quam qui inuenit, vitam inuenit, & haurit salutem à Domino. Vtque clariùs effulgeret, quo Virginei cultus Zelo hæc iuberet, subdit: *Eiusdem Virginis Annunciatæ sub titulo Monasterium Ordinis S. Brunonis fundauimus prope Taurinum, vbi optimi Religiosi, quorum Angelicam conuersationem, cum nuper Sabaudiam lustraremus, in ipsa caterarum matre Gratianopolitana Domo, inspeximus; iugibus ad Deum precibus nostræ incolumitati prospicient.*

Primus lapis fundamentis aptatus est Ducissa ipsa; Proceribus circumstipata, adstante A. 1648. die verò decima Mensis Augusti, & tenor inscriptionis ad perpetuam rei gestæ memoriam eidem incisæ est, vt sequitur.

I E S V S M A R I A.

Deiparæ Annunciatæ Virgini
Humani generis Seruatrici
Ob Regiam seruatam Sobolem
Diù seruaturæ
Christina Francica Caroli Emmanuelis Parens, & Tutrix
Ex grati animi voto, Populorum plaudente pietate
Templum hoc primo à fundamentis imposito lapide
donat, & dedicat
Ord. Cartus. Præposito Generali D. Leone Tixier
Priore D. Laurentio de Sancto Sixto
Anno Domini M. DC. XLVIII.
Augusti die Decima

 Ea-

Eadem die largiflua fundatrix constituit familiæ Gratianopoli euocatæ plurima agri, nemorisque iugera in patrimonium, præter argenti scuta mille deluenda annuatim ex Regijs prouentibus in Marchionatu Salutiarum. Generalis quoque Ordinis Archimandrita solemni hac fundatione opidò exhilaratus, ad eam promouendam conuasare iussit inquilinos Cartusiarum S. Saluatoris de Monte-brachio secus Villam-francam in Marchionatu Salutiarum, & Bandæ in agro Segusiæ inter Pagos S. Iorij, ac Villaris-Focardij ad Taurinensem hanc, cum suppellectili, bonisque omnibus commigraturis, quarum Domorum, ne omninò memoria depereat, paucis indicabo: Montem-brachium Diœcesim agnoscere Salutiensem; incunabula ad Ann. 1555, annonam verò à Georgio Salutiarum Marchione; alijsque censsus propagatoribus. Bandam autem, opulentiam referre ad redditus sibi applicatos aliarum trium Cartusiarum longè antea in confinijs Segusiæ conditarum nomine de Loze, Montis Benedicti, ac Auilianæ, quæ tamen nequaquam tres, sed vna duntaxat consenda domus. Nam PP. A. 1191. collocati à Thoma I. Sabaudiæ Comite in loco dicto de Loze, A. 1200. eodem commodiorem ad sedem illos transferente, nomenque Sedi ipsi imponente, migratunt ad Montem-Benedictum, è quo ob hæreticorum vexationes A. 1498. recedentes, concinnarunt sibi in domicilium Grangiam sui iuris, Bandam appellatam, e qua licet castrametati, concessissent Auilianam, inducti in lepidas Ord. Humiliatorum Ædes sub Sacrosanctæ Trinitatis inuocatione extra, & prope Oppidum sitas, & à Clemente VIII. Anno Iubilæi 1600. in possessione constabiliti fuissent, tamē 1630. Bandam iterū inhabitauerant, Auilianæ valedicentes, vbi pulcherrimam stationem, incumbente proximi belli strepitu, demolitam, amiserant.

Trinas domos Taurinensis vna complectens sumptuosissimè assurgit, cuius peristilijs, cellulisque ad stuporem luculentis coronidem breui imponet intimus meus Petrus Antonius de Loche, nuper ex Trisultana ad eamdem Prioris nomine moderandam adscitus, quam olim Procuratoris titulo administrauit.

CLXIX.

1640. *Cart. Gidlensis in Polonia*, cuius instauratricem D. Susannam Prziemskam Succamerariam Regni Poloniæ viduam verò eiusdem Archicamerarij Ioannis Oliescki ad tumulum delatam altera Martij die 1662. liquet ex Actis Generalis Patrum Conciliorij celebrati A. 1664. in quibus religiosissimæ eiusdem munificentiæ suffragia decernuntur.

CLXX.

1649. *Cart. S. Crucis miraculosæ in Lithuannia propè Berezam*, ab Illustrissimo Domino D. Casimiro Leone Sapiea Procancellario magni illius Ducatus, & Christina Theodora eius cōthorali, quos fundatores, marito Sponsæ suæ bien nio tātū superstite, fatis concessisse 1654. 26. Octob. & 1656 19. Ian. Liquet ex Act. Comitiorū General. Ord. in quibus pij vtriusque decessus denunciātur singulis per Orbem Monasterijs, & animæ solemni sacri oblatione expientur, mandatur. Est Cartusia planè decora, siue officinas spectes, siue Ecclesiæ turrisque campanariæ affabre elaboratæ, ornamenta, siue Monachorum domicilia, aut duplicem, murorum ambitum, quo ad venustatem simul, & munimen, fortissimi ad instar propugnaculi circumstipatur.

1664.

CLXXI.

1664. *Cart. S. Iuliani.* Prioratus Benedictinæ viuendi normæ, eiusdem asseclis ab hæreticis sede exturbatis, subijcitur Cartusianæ Institutioni ab Henrico IV. quæ tamen pacificam eius possessionem tunc duntaxat inijt, cum à Benedictinis ipsis ad sua claustra postliminiò reuertentibus, cessionem impetrauit ea lege, vt redditnum portionem sustentationi congruam perciperent, communemque haberent Cœnobij inhabitationem, quandiù deposito habitaculo terreno euocarentur ad supernas mansiones. Est autem Prioratus hic S. Iuliani prope Rothomagum, & Prior Claustralis Franciscus de Auteuuille animam efflauit Anno à Deo abbreuiato *1666.*



AP-

APPENDIX
DE
NONNVLLIS CARTVSIIS
ORDINI ABLATIS
Aliisque ab Ordine Suppressis.

I.

1115. 

ART. Excubiarum in Delphinatu propè S. Marcellinum. Alia est Coloniarum,quibus S. Hugo Gratianopolitanus Præsul Ordinem Cartusiensem suæ pietatis in gremio adolescentem propagauit. Grati animi ergo scripsit in eius vita Surius, *vt enim taceamus quæ Clero pariter, & plebi per eum bona prouenerunt, Eremus Cartusia, Calesiensis Abbatia, Excubiarum Eremus ipso adnitente cæperant*; iterumque loquens de Sanctissimi Antistitis conditorio ait: *Aderant ex nostris,& Calesiensibus,atque Excubiensibus plures Conuersi Sanctissima Gleba custodes assidui.* Raymundus, & Guigo de Lens Equites, benemeruere de eodem loco, recenter excitato, S. Hugone comprobante. Sanctimonialium erat sodalitium, quarum Præfecta Agnes ex familia de Bressieu, virtutibus decorata ad sponsum migrauit. A. 1410. Ord. ibi desinente, transijt hæc domus in ius decani Canon. Eccles. Gratianopolitanæ. Chorier. P. 2. l. 11. §. 11.

II.

1116. *Cart. Bertaudi*, de qua in origine Cart. Durbonis A. 1115

III.

1133. *Cart. Calesij.* Hanc condiderat S. Hugo Gratianopolitanus Pastor, ea mente vt assurgeret in caput Cong. Ord. Diui Bened. quæ totum per orbem ampliaretur. Magnis creuit exordijs, digna habita à cuius erectione publici aliquot actus eo Anno signarentur. Conu. de Boscodon à Guillelmo Ebredunensi Archiep. ac Laotelmo de Beneuent erectus. A. 1120. ipsi adijcitur, sanctiùs instituendus, verùm paulo post, aduerso rerum euentu, S. Fundatorem impulit, eam Cartusiæ maiori, à qua vna tantùm leuca distabat commendare, cui tandem integro iure patuit. A. 1133. Canonicis ad Coloniam Boscaudunensem commigrantibus, quam in princeps suæ Congregationis Asceterium extulere. Quod si incidat Lector in tabulas multis post annis in fauorem Canonicorum Calesiensium exaratas, caueat Boscaudenses diù Calesiensium nomen circumtulisse, non quidem ab occupato tunc Calesio, sed à Cætu ibidem primitus initiato. Testem proferam Guillelmum Forcalquerij Comitem in confirmatione Prioratus de Lura iuxtà Manuascum: *donaui, inquit, locum de Lura ad ædificandum ibi Ecclesiam, in honore Domini Nostri Iesu Christi, & gloriosæ Virginis Mariæ,*

riæ, ad instituendam ibi Abbatiam secundum Ordinem Calisensium à S. Hugone Gratianopolitano Episcopo quondam Institutum. Facta fuit donatio, seù confirmatio ista Anno ab Incarn. Domini 1191, Mense Nouembris; & tamen antè Hugonem è medio sublatum, iam Cartusienses inhabitabant Calesium, vt proindè Surius, ex Guigone Hugoni coæuo, dicat: Eremus Cartusiæ, Calesiensis Abbatia, Excubiarum Eremus, ipso adnitente, cæperant. Et infrà addat ad tumulum propagatoris amplissimi excubasse iuges Conuersos Cartusiæ, eos imprimis quos in Excubienses; & Calesienses cellas induxerat. *Aderant ex nostris, & Calesiensibus ac Excubiensibus plures Conuersi sanctissima gleba custodes assidui.* Cessat modo hæc Cartusia primario Ordinis Cœnobio adiecta per Generalem, per quem administratur. Euoluat Lector Honoratum Bouche, Hist. Prou. P. 11. pag. 118. Nicol. Chorier Hist. Delphinatus P. 2. lib. 1. §. 10. lib. 2. §. 9.

IV.

Cart. in Ducatu Aquitaniæ prope Vrbem Nannetensem in loco nomine Alaunus, quam Guigone V. Generali satagente erectam edisco ab eius vita in Codice S. Remigij Remensis à P. Labbe typis supposito.

V.

1130. *Cart. S. Sulpitij.* Eius Meminere accuratissimus Guicenonius in Hist. Beaugesij, & Bressiæ, & Guigo huius nominis primus Generalis Ordinis Prior, statuta Ordinis recenter à se conscripta nuncupans Bernardo Portarum, S. Sulpitij, & Miloni Maioreui Prioribus. Alijs erat in Diœcesi Gratianopolitana, alijs verò in Belliceensi propè Abbatiam S. Sulpitij Ordinis Cisterciensis, quam ideò ab indigenis Cartosam vocari inquiunt. Curiosus Lector expendat Chifflectium in Prolegomenis ad epistolam Stephani de Calmeto ad Nouitios S. Sulpitij Ordinis Cisterciensis.

VI.

Cart. Plantaneti pijssimus Virginum secessus in Delphinatu inter Fontanetum, & Prioratum S. Roberti, Annoque 1300. reste Nicolao Chorier, eidem Prioratui S. Roberti vnitum.

VII.

1136. *Cart. Vallonis* vnita domui Ripaliæ, & in eiusdem Ripaliæ origine descripta.

VIII.

1180. *Cart. Vuitamensis.* Prima Ordinis in Anglia propago, collocata in Agro Somersetensi, Deiparenti, eiusque Præcursori inscripta, & sub regimine S. Hugonis primi eius moderatoris florentissima. Conditur Henrico Secundo pietatem in Anglia promouente; deficit Henrico octauo pontificiam auctoritatem eisdem ex Regnis euertente. Auctores Pandectarum Monasteriorum Angliæ edidere tabulas eius fundationis, de quà etiam agunt abundè Vita S. Hugonis, *Pitsæus*, & Balæus de Scriptoribus Britanniæ Cent. 2. cap. 63.

IX.

1191. *Cart. de Loze* in Pedemontio. Vide vbi de Cartusia Taurinensi, seù Collengij ad Annum 1640.

X.

1200. *Cart. Montis-benedicti* itidem in Subalpinis. Lege ibidem.

XI.

1212. *Cart. Correria* in Delphinatu. Correriæ Vocabulum in Ordine Cartusiensi frequentissimum est, pro quo venit Domus inferior, seù Domus Conuersorum seiuncta à Clericorum septo, & recta per Procuratorem. Insigniores Car-

tusiæ

tusiæ Correriam omnes habent adnexam. Hic tamen pro Correria accipiendum est Monasterium in Delphinatu situm, & intrà limites Cartusiæ in Ordine Principis, à qua licet suis à crepundijs distinctum fuerit, modo dependet, quòd Priorali dignitate in eodem extincta, ab ipso Generali Antistite administretur. Distat vna circiter leuca ab eadem maiori Cartusia, & cum Superiores singulorum Cœnobiorum ad generalem Consessum confluunt, seruos, & iumenta ibi sinere debent, soli ad Comitia ascensuri. Penès Historiam Delphinatus Nicolai Chorier fundatur 1212. impensis Amblari Entremontij Domini, posteà Mauriaceensis Episcopi.

XII.

1230. *Cart. Prati baionis* fœmineum Claustrum, cui B. Ioannes Hispanus Constitutiones præscripsit, & Amblarus ex Episcopo Diniensi huius viuendi normæ alumnus, quamplurima beneficia contulit. Ex rebus gestis eorumdem B. Ioannis Hispani, & Amblari Episcopi Diniensis.

XIII.

1230. *Cart. Poletarum* nuncupata *Cella B. Mariæ* in Bressia, fundatrice Margarita de Bauge *M*irabelli Domina. Cartusia est Sanctimonialium, quarum Colonia deducta fuit ex Parthenone *P*rati baionis, dudum relata, *sed* modo incolis deserta, Cartusiæ Lugdunensi vnitur. Ex Schedula fundationis apud Guichenonium *P*. 4. Hist. Bressiæ. Duchesne in Genealogia Dominorum de Bello ioco in regione Dombensi non Bressiensi eam ponit, sed malè.

XIV.

1241. *Cart. Henteniensis* in Agro Vuiltoniensi *Locus Dei* nuncupata, & ad honorem Dei, ac B. Mariæ, Sanctique Ioannis Baptistæ ab Ela Comitissa Sarum instituta. Henricus Tertius Angliæ Rex sub Dat. Anno 24. Regni sui confirmauit erectionem huius Sodalitij, prout liquet ex transumpto confirmationis apud Pandectas *M*onasteriorum Angliæ *P*. 2., vbi extant & alia diplomata ad hanc Cartusiam spectantia.

XV.

1259. *Cart. Parmeniarum* in Delphinatu propè Oppidum Tollins. *A*liàs Augustini legibus viuens, Brunonis Instituti panditur Falcone Gratianopolis Antistite arctiori vitæ fauente. Episcopis olim fas erat professores strictioris obseruantiæ subrogare solutiùs conuersantibus, in Conuentibus suæ Diœcesis. Conuentiones firmatæ sunt cum Ep. 5. Septembris huius Anni, fueruntque vndecim Sanctimoniales educendas ex Claustro Pratimollis ad vacuas sedes implendas, septemq; ex Choro addictis, & quatuor ex ordine Cōuersarū deligendas, nomeoq; Parmeniarum in aliud *Montis S. Mariæ* commutandum, licet antiquior nomenclatura nunquam exciderit. Alia quoque conditio apposita est, nempè ædificium, & dotem deuoluendas ad sedem Gratianopolitanam, quotiescunque contingeret Sorores indè reuocari, quod euenit. A. 1566. referente Delphinatus Historia passim laudata *P*. 2. l. 4. §. 19.

XVI.

1269. *Cart. Maresmensis* S. Paulo inscripta, sita septimo extrà Barcinonam milliari, ex Benedictinorum domicilio, Cartusianorum sedes beneficio Guillelmi de Mongrieù. Ab *A*nno 1454. transijt in rem Cœnobij Montallegrensis, vbi de ea.

XVII.

1300. *Cart. Lapis refugij dicta* in Hungaria.

XVIII.

1300. *Cart. Vallis S. Mauritij* in Gyrio Slauoniæ.

1300. *Cart. Vallis-auxilij* in Tarckman apud Agriam in Hungaria. Tres istas Cartusias Ordini adauctas Anno sæculari 1300. ex multorum testimonio Scriptorum comperio; præcipuè ex antiquioribus Cartusiarum Elenchis, quarum bona à Sæcularibus occupata, ab ijsdem postliminiò repetere hoc opus hic labor est.

XX.

1300. *Cart. Vallis S. Antonij* apud Legnitz in Hungaria. Eius Ædes, & Templum ruinosæ tamen adhuc conspiciuntur. Facultates possidet Filia Principis Rakochij, ex hæreditate, quæ cuidam Georgio Erdodij Comiti nupsit. Annis proximè elapsis *Visitatoribus Prouinciæ Alemaniæ* superioris Visitatoribus, actum est de eius restitutione, quam tamen perturbata rerum Hungariæ conditio prohibuit. Ita monuit P. Hugo Hartingier *Prior* Vualdicensis.

XXI.

1318. *Cart. S. Annæ Brugis* in Flandria, florentissima cuius incunabula euersionemque bellorum feritate insequutam exhibet descriptio recentioris ad Burgum antiquum Brugensem conditæ, vbi A. 1612. Ecclesiam inchoatam vidit, & apice imposito consummatam. Vide partem præcedentem sub *A.* 1318.

XXII.

1320. *Cart. Cellæ-Robaudi* in Diœcesi Foro-iuliensi ab Elio de Villanoua magno Rhodiensium *Magistro* condita, in gratiam Rosselinæ Sororis suæ, cui placuit sub Brunonis Vexillo *Altissimo* ibidem militare. Modo inhabitatur à Minoritis obseruantibus, quos Recollectos in Gallia vocant, vtrumque de ea Auctores prælaudati in Elogio B. eiusdem Rosselinæ sacros inter fastos A. 1329. relatæ. Ioannes Baptista Guesnai è Soc. IESV, in *Annal. Massil.* Instaurator Originum Seraphicarum, vbi de *Prou.* S. Ludouici, & Honoratus Bouche in Chorographia Prouinciæ lib. 4. cap. 2. § 6. vbi ait: In territorio Castri de Arcubus, les Arcs est Conuentus S. Catharinæ Minorum strictioris obseruantiæ, alias *Mon.* Ord. Cisterc. nonnulli volunt Cartus. antiquitus nuncupatus Cella Robaudi, & per sincopem, & idiomatis corruptionem de Sallabeau, prout in Curtis Geographicis Prouinciæ editis à Bompar. Quandiu fuit Sanctimonialium, Ecclesia consecrata fuit S. Iulij A. 1306. & non 1206. quod ego planum feci in Historijs in fine vitæ Caroli II. Comitis Prouinciæ, sub inuocatione Dominæ nostræ de *Monte* Sion per Elziarium de Villanoua Ep. Diniensem.

XXIII.

1330. *Cart. Hortus B. Mariæ* Pragæ in Bohemia à Ioanne cæco Bohemiæ Rege erecta, à Ziska Vssitarum nequissimo solo æquata, quemadmodum parte antecedenti disertiùs videre licet in origine Cartusiæ Treuirensis à Balduino Ioannis fratre Ordini adiecta.

XXIV.

1331. *Cart. apud Insulam mortui maris in Lemouicibus* Institutore Petro de Mortemar 69. Episc. Autissiodorensi S. R. E. Card. qui ibidem, & alias Religiosas familias collocauit, Carmelitanam, Augustinianam cum hospitali, & Collegio ad alendos 12. pueros. Ita eius Cœnotaphium.

Hic iacet Reuerendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Petrus moribus, & sanctitate decoratus, qui fuit Episcopus Autissiodorensis, & Viuariensis, ac Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbiter Cardinalis; qui de mortuo Mari suam originem traxit, & in præsenti loco, vbi natus est, ibi, & sepultus; in quo tres Ordines fundauit, Cartusienses, Augustinenses, & Carmelitas, & vnum Hospitale ad recipiendum pauperes, & nume-

numerum duodecim puerorum instituit, & obijt in die Veneris Sancti hora nona, 14. *Aprilis, Anno Domini* 1535. Ex monumentis domesticis Carmelitarum habetur illorum Ædem constructam An. 1331. Vide P. Lezanam Annal. Carmelit. Tom. 4. Sammartanos Tom. 2. Gall. Christianæ vbi de Ep. Autissiodorensibus. Desijt hæc Domus Cœnobitis iussu Cap. General. inde reuocatis.

XXV.

1331. *Cart. Gertrudo Bergensis*. Gertrudo-Berga Oppidum est ad Lacum in quo se Rhenus Mosaque spargunt, Gallici quidem littoris, sed ditionis Hollandicæ nobile olim, cum Gertrudis Pipini primi Brabantiæ Ducis filia, ab Honorio III. ob sanctimoniam vitæ Diuarum Catalogo adscripta hæreditario iure in eo principaretur. Ioannes Duuenuordius Eques, Dominus de Dongheno de Oisterhout, ac Præfectus Ærarij Guillelmi Boni Comitis Hollandiæ A. humanitatis à Deo assumptæ 1331. hoc oppidum nobiliùs effecerat, eximia arce ibidem exædificata ad Hannoniæ Principes, cū in Hollandiam se conferrent, excipiendos, & Asceterio, in quo Cartusienses collocauit. At religiosissimum hoc septum diù sanctitate florens, præcipuè sub rectoratu Guillelmi Bibaucij indè ad Generalatum assumpti, Castro ad manus Ordinum redacto, excisum est, licet quòd merito mireris, aliqua in ipsis euersoribus vigente pietate, permiserint Monachos dispersos, quandiù superessent, annuam percipere pensionem. Eorum postremus Cornelius Iansonius decubuit. A. 1623. Ex Petro Opmeero Martyrum Bataviæ Decad. 2. l. 4. & Raissio in orig. Cartus. Belgij.

XXVI.

1335. *Cart. Montis S. Mariæ Argentoratensis*, Molshemium quæ migrauit, ideoque in recentiori hac tantùm superstes.

XXVII.

1335. *Cart. S. Saluatoris de Monte bracchio* propè Villamfrancam in subalpinis. Condita hoc Anno à Georgio Saluciarum Marchionis nato; *Anno* 1641. Subijcitur Cartusiæ Taurinensi.

XXVIII.

1339. *Cart. S. Ioannis Ianua Paradisi* in Oppido Guillonisij Regni Neapolitani, Fundatrice Agnete Ducissa Grauinæ, & Duracij. A. 1422. bullatis litteris Martini quinti incorporatur Cartusiæ Neapolitanæ.

XXIX.

1341. *Cart. Purificationis B. Mariæ de Belriguardo* Senis in Tuscia. Impinguat suis facultatibus Eremum Pontinianensem, ideòque genesim eiusdem Domus operæ pretium est repetas Lector, quo spectantia ad hanc de Belriguardo condiscas.

XXX.

1342. *Cart. B. Mariæ de Arnhemio* à Reynaldo, & Eleonora Gelriæ Ducibus posita amplissimèq; dotata, adeòut Prouinciæ Teutoniæ Asceterijs præesset omnibus, & iure meritò Monichusem, siuè Monachorum Domus Antonomasticè appellaretur. Siquidem Cœnobium fuit Ciuitatis nomine dignum à Rure domestico, à lucis, à saltibus, à porticibus amplis, & Hypætris, seruata tamen vbique ratione ideali, & archetypo ad quod omnes Ordinis Domus molliri debent.

Quandiù Cartusiani occuparunt hanc sedem angelica puritate perbellè eiusdem condendæ auspicijs, facibus nempè ardentibus, Angelorum agminibus, cælestis armoniæ modulis, quos in agro locandis fundamentis delecto, crebrò se inspexisse, & audiuisse longeuæ probitatis senex Reynaldo Auctori referebat,

eius

eius narratione hac voce, cælitus delapsa, comprobata. *Hunc ego locum Deus elegi:* Verum ò dulces Domus dum fata Deusque sinebant. At nunc liceat mihi cum Raissio deflere, euersæ sunt, & conuolutæ, quasi tabernacula pastorum. Euersum est Templum illud tot Ducum Geldriæ tumulis nobile, totque cellæ Sanctorum, sed illa præcipuè Gerardi Magni, cuius vitam, & solitudinem descripsit Thomas Campensis, qui, & pro magno duxit, quòd locum hunc sibi videre, & venerari licuit, in quo lucerna illa Dei, & amicus Omnipotentis ad tempus latuit. At Euersoribus congrua reddita merces. Cum enim Annum circiter 1587. delectus militum haberetur in ea planitie, quam olim occupabat hæc Cartusia, & militi puluis tormentaria viritim distribueretur, incidit scintilla è fomite funali in cadum pulueris, ibique correptus incendio Comes Nuenarius miser inter cæteros exustus est, qui antè annum, eodem planè die, cum conspicatus fuisset in præfata planitie semidiruta quædam adhuc extare Cartusiæ ædificia, supposito puluere nitrato funditus euerti iusserat. Laudibus extollitur hæc Cartus. Arnhemij à Lindebornio in monumentis historicis Ep. Dauentriensis, qui & dotis ei assignatæ tabulas depromit, pag. 179. Lexicon Gelrico scriptas; ab Isacio Pontano, Hist. Gelricæ lib. 7. pag. 211. iterumque 227. & 243. ab Enrico Aquilio, in Chronico Gelriæ; à Thoma Campensi, in vita Gerardi Magni cap. 7. ab Auct. Magni Chron. Belgicis tandemque, & à Raissio in Orig. Cart. Belgij.

XXXI.

1343. *Cart. Pulcræ-vallis*, in agro Notingamensi, in Parco de Greyseleye, Fundatore Nicolao de Cantilupo Domino de Ilkeston, cuius fundationis carta lectori patet per extensum *P.* 2. Pandectarum Mon. Angliæ.

XXXII.

1347. *Cart. Vallis-Paradisi* Terracæ, in Catalonia expensis D. Blanchæ Cencellas locata, & S. Iacobo sacra, è qua Monachi A. 1412. migrarunt ad *Cartusiam* Mont-allegrensem. Repete præmissa in erectione celebris de Mont-allegre Cœnob.

XXXIII.

1350. *Cart. apud Leul in Hungaria*, nunc diruta, alias insignis, & sub protectione S. *Michaelis* Ecclesiæ titularis florentissima.

XXXIV.

1362. *Cart. Londinensis* sub appellatione Salutationis B. Mariæ Auctore Vualtero de Mannis, benefactore verò amplissimo Vrbano V. qui fundationem promoturus, eius censum impinguauit vnione aliquot beneficiorum Ecclesiasticorum sub Dat. inaugurationis suæ in *Pont. Max.* Anno I. Eius vices verè luctuosas Surius deflet in Chron. Rerum in Orbe gestarum. Quæ enim militem conditorem olim habuit, militi incolæ modo patet, Cœnobio in *Palatium*, & Ecclesia in triclinium conuersa, postquam diu armamentarium Regium fuit. In ipsis sacris aris choreæ ductæ, & aleis lusum. Diuorum quorumlibet, quin immo, & ipsius Saluatoris imagines abrasæ, pedibusque ad calcandum subiectæ. De eius Monachis exquisitis supplicijs ab Henrico VIII. sublatis luculentum edidit Commentarium Mauritius Chamneus, vnus ex reliquis, quos vita donatos idem Rex in Flandriam dimisit.

Pitseus de Scriptoribus Angliæ sub A. 1458. & Io. Antonius de Vuanderlindem in scriptis Medicis agnot de quodam Andrea Bronde, seu Borda, qui ex alumno huius familiæ, cum fidem ementitus in Galliam eodem tẽpore traiecisset, & rei medicæ operam Pessulano in Lyceo nauasset egregiam, scripsit: Prom-

ptuaria Physica 2. Prognostica quædam 3. De iudicijs vrinarum, quibus elucubrationibus addidit Declamationes in Sacerdotes castitatis violatores, licet enim fidem abiecisset, memor tamen vnde exciderat, morum candorem ad extremam vsque senectam intactum seruauit.

XXXV.

1362. *Cart. S. Crucis in Hierusalem* Romæ in ædibus Sessorianis. Fuit prima Patrum in Vrbe mansio, è qua cum ad S. *Mariam* Angelorum in Thermis Diocletianis migrarint, quæ antiquiorem hanc sedem tangunt elogijs illius recentioris inserui.

XXXVI.

1363. *Cart. S. Mariæ de noua luce iuxta Cataniam* miraculosa Virginis Icone, prodigiosaque luce, qua graui in discrimine spes salutis Ciuitati affulsit, hunc titulum suggerente, sic dicta. Artalis Alagona è Calabria Cartusianos ad colendam hanc sedem inuitauit, qui breui, nempe Annorum quindecim decursu locum cessere Monachis Benedictinis. Meminit huius Monasterij in Sicilia Io. Baptista de Grossis suæ Cataniæ sacræ Modulo 6. pag. 130. addens, ostio superscripta adhuc legi carmina, quæ indicant Cartusiensium domum fuisse.

Catania nona lux oritur, Siculis noua surgit
Regula, par Eremo prior aurea vita resurgit, &c.

XXXVII.

1370. *Cart. Rubi B. Mariæ* in Bohemia. Transijt primò ad Villam, Dolam nomine rus Cartusianorum eorumdem prope Olomucium, & deinde intra ipsam Olomucij vrbem firmam nacta sedem A. 1437. prout ad A. 1406. in Descriptione Cart. Olomucensis.

XXXVIII.

1377. *Cart. S. Michaelis* in agro Eboracensi super Null, Kingtoniensis etiam dicta, fundatore *Michaele* de la Pole Domino de Vuinfeild, quæ, & ipsa *Monachos* amisit, cum Anglia debitam *Pontifici Maximo* obedientiam abiecit, eiusque fundationis, & lauti census tabulæ leguntur Tom. 2. pag. 966. Monast. Anglicani.

XXXIX.

1380. *Cart. Passionis Iesu Christi* apud Legnitz in Hungaria.

XL.

1381. *Cart. S. Annæ iuxta Conuentriam*, quam hortante Anna Angliæ Regina Richardus huius nominis secundus excitauit, & amore *Annæ* Bolenæ seductus Henricus VIII. euertit. Sæpius commemoratæ Monasteriorum Angliæ Pandectæ antiquæ eruditionis indagatoribus plura exhibent monumenta ad hanc Conuentriensem Cartusiam pertinentia, quæ facilè reperient Tom. 2. pag. 963.

XLI.

1385. *Cart. sub inuocatione S. Spiritus* à Maria de Luna in agro de *Moruiedro* in Regno Valentiæ pro Sanctimonialibus huius conuersationis instituta, in qua cum illæ diu perseuerassent, frequentioribus *Maurorum* excursibus coactæ sunt claustro tutiori sibi prospicere, & hoc septo Minoritis S. Francisci attributo, se recepere intra Vrbem Valentiæ, communem incolentes Partheniam cum Virginibus Clarissis S. Guillelmi dell'Arraual dictis, modo à S. Trinitate, variato Templi titulo, nuncupatis, quarum tandem & legibus se subiecere. Fides est penes Ioseph de Valle.

XLII.

1385. *Cart. in Insula Gorgona* eo tempore, ijsque auspicijs à Monachis huius obser-

obseruantiæ inhabitari cœpta, & demum dimissa, quæ exprimit origo Cartusiæ Pisanæ, eius bonis adauctæ.

XLIII.

1387. *Cart. de Mounnt*, Graccensis, in agro Eboracensi, dotata à Thoma de Holland, sub inuocatione Virginis in Cœlum assumptæ, vt habet ex diplomate relato. T. 2. pag. 968. *Pandectarum Monast.* Angliæ, in quo Richardus Rex Anno post conquestum Vigesimo, & fundationem Thomæ comprobat, & eamdem sub regia protectione constituit.

XLIV.

1387. *Cart. Eppeuuorthensis*, infra Insulam de Axiholme, initiata A. 1587. & *Visitatio Matris Dei* articulata à Thoma Comite Notingamiæ Angliæ *Marescallo*. Regiam Richardi II. approbationem sub Dat. apud Vuestmonasterium Auctores Monasticon Anglicani rescripsere T. 2. pag. 970. vbi adijciunt amplissimam Bullam Bonifacij Papæ noni, qua Summus Pontifex decorat Ecclesiam huius Cartusiæ amplissimo Iubileo Basilicæ B. *Mariæ* de Portiuncula, instante Diuo Francisco, impertito.

XLV.

1390. *Cart. S. Mariæ de Palatiolo* in agro Albanensi Benedictionorum primo, deinde Regulæ Augustinianæ, postea Monachorum Cisterciensium Sedes, & à Cisterciensibus ad Cartusianos translata, ab ijsdem Franciscanis de Obseruantia conceditur, facultatibus Cart. S. Mariæ de *Angelis* in Vrbe applicatis, de qua ideo agunt Annal. Cistercienses, Origines Seraphicæ, monumenta Cartusiana, & quæ ad A. 1566. præmisi in elogio relatæ Cart. Romanæ.

XLVI.

1392. *Cart. Vltraiectina.* Saluator noster Dei filius amictus lumine sicut vestimento, & candor lucis æternæ in cor nobilis viri Zuuederi de Abconde Domini de Ghaesbeke, de Putte, & de Strien, occultæ inspirationis suæ radijs voluntatem immitit ædificandi Cartusiam in Valle Florum in Eoghe secus Vltraiectum Archiepiscopalem in Batauia Ciuitatem, Cui *S. Saluatoris de noue luce* imponendum nomen edocuere luminaria antè inchoationem, immò, & postquam inhabitata in eodem loco discurrere nocte visa. Conueniunt in hoc Auctores, Chron. Magn. Belgicum, *Petreius*, Io. Lindebornius, Vuilhelmus Hyde, Arnoldus Bachely, Ghysterus Ruttembergh, sicut & perfectam à Vuilhelmo Zuuederi Fratre, consilio Tidemanni Graunetani primi in ea Rectoris, cum ipse peregrinationem ad limina Apostolorum aggressus, in Alpium descensu hominem deposuisset, corpore tamen ad suam hanc Cartusiam delato, vbi domesticis fastis inscriptus est subiectis hisce carminibus leoninis, ob antiquitatem, quam redolent, digna quæ hic exscribantur.

Hic Baro sincerus Ghasbeke, Putte, Stryenque vocatus
Post mortem, cuius nondum domus ista peracta
Plenius, & huius per fratrem postea facta,
Hic Abcondensis dominus fuit intitulatus
Et Durnstedensis Vuilhelmus ipse vocatus.
Hinc hi laxatis pœnis ad gaudia crescant,
Et cum Cognatis in pace Dei requiescant.
Anno milleno nonagenoque secundo
Ac triceniteno, fosso prima vice fundo
In Maio lapidem vicena dies quoque primum
Et bis quarta quidem nouiter, suscepit in imum.

Gloriæ

Gloriæ huius Domus fidem faciunt quæ supersunt supellex sacra, & 120. aureorum millia adhuc à possessoribus nouæ fidei in singulos Annos exacta. Euoluantur vigiliæ eruditissimæ Auctorum, quos supra recensui, Syllabus Hæreticorum Petrei, Notitia Episcopatus Dauentriensis, Tractatus de Ep. Vltraiectinis pag. 263, Chron. MS. huius Domus.

XLVII.

1393. *Cart. Portus salutis dicta, & S. Andreæ facta iuxtà Amstelrodamum.* Hoc Claustrum modo ab Hæreticis occupatum, primordia sua attribuit Guillelmo Palatino, modo tamen quem Petrus Opmecrus exsignat in Chron. vniv. Orbis ad A. 1393. *Guilielmo quippe mente capto, euocatus ex Germania Albertus Bauarus Amstelrodamum appulsus in Gubernatorem Prouinciarum fratris publico Decreto fuit constitutus Kal. Martij. Vir singularis prudentia, & religionis amantissimus, solitus in diplomatibus suis Cartusianos suos vocare Sacellanos. Ille igitur nomine fratris, quia quod conceperat propter deliquium mentis perficere non potuit, in Amstelrodami suburbanis, via Harlemensi Cartusiam hanc Portus-salutis extruxit, cellatis in eius subsidium agris, & Insula Horna ad canam fossam, in sinu lacus Australis, à colonis cum septem familijs habitari solitam: mortuo verò fratre sine liberis, et succedit in Principatu, qui sicut Oppidum ipsum Amstelrodamum varijs priuilegijs ac prarogatiuis decorauit, ita & Creaturam suam Cartusiam hanc opportunis semper fouit auxilijs,* exẽplo optimæ Coniugis suæ Heroinæ Mariæ Comitissæ Hannoniæ ad hoc ipsum acriter incitatus. Primum initiatorem huius Domus, & Priorem Domnum Ioannem Versarenum Virum magni nominis in diebus suis, & lucem suæ generationis ac Prouinciæ Visitatorem exceperunt in regimine alij plures virtutibus clari, quorum passim in Kalendarijs mentio occurrit, sed scriptorum incuria perierunt exempla eorum conuersationis antiquæ, ad quam alij poterant se modo erigere. Sed quid dolemus haud superesse Rectorum monumenta, cum ipsiusmet Cartusiæ nonnisi deflenda occurrat memoria? cum profunda malorum abyssus hæresis Amstelrodamum ad vitiorum ima detraxit, nequijt ipsa, inaniter Portus nomini confisa, naufragium effugere. Iacet, iacebitque acrioris procellæ fluctibus mersa, donec cælestium humanarumque rerum arbiter, ventis ac mari nouatorum imperet cessationem, & reddita Ecclesiæ tranquillitate à ruderibus emergat.

XLVIII.

1401. *Cart. Arnsbokensis* in Saxonia, asserente Krantzio Saxonicæ Hist. lib. 9. B. Mariæ initiata, & tradita Virginibus Deo famulantibus à Nicolao Comite Holsatiæ, & postea, iisdem recedentibus, in Brunonis Collegium erecta, annuente Gerardo Duce, & prouentus augente Aubetto Rodembergh Canonico Lubecensi.

XLIX.

1405. *Cart. sub nomine Riuuli B. Mariæ* infra Siskum Oppidum Diœcesis Treuirensis A. 1477. cum facultatibus, & alumnis ad Rutilanas S. Sixti ædes transplantata.

L.

1406. *Cart. Vallis S. Margaritæ* in Vrbe Basileensi, quam Iacobus Zyebel in Senatu Basileensi Tribunus plebis suis impensis construxit, ibi denique diem clauxit extremum. Huius Cartusiæ speciale Chronicon scripsit celebris vir Henricus Arnoldi, qui Notarij munere, in Concilio Basileensi egregiè functus, Cartusianis nomine dato, hoc Monasterium diù prudentissimè rexit.

LI.

1417. *Cart. Domus IESVS de Bethleem* ab Henrico Quarto in agro Surregiensi fundata. Eius originem in Anglia, & migrationem Neoportum in Flandria pete ex parte precedenti ad A. 1417.

1420.

LIII.

1410. *Cart. Montis Zyon apud Zirizeam* Zelandiæ oppidum. Traditurus quoque de hac Cartusia ex varijs hausi, ortum prodam, & excidium. Ioannem Liuinum, & Nobilem Dominam Direuuij, Dominam do Zyl Auctores habuit, A. 1410., euersores verò primos motus hæresis per Zelandiam debaccantis. Tunc enim repetere licuit, quod de sui Æui Ecclesijs Optatus Mileuitanus aiebat. Vota, & desideria hominum ibi cum ipsis Altaribus confracta sunt, vbi ad aures Dei conscendere chorus, & coetus solebant, vbi cantica montis Syon vocibus dulcisonis personabant, ibi nunc iustitium vocis est, & ne ad Deum supplicatio de more solito ascensum haberet, scalam subduxerunt.

LIII.

1430. *Cart. Parthenana, seu Vallis virtutum in Scotia.* Iacobus primus Scotorum Rex cupiens pietatis suæ extare monumentum, cænobium hoc extruxit. Erant, inquiunt Scotiæ Annales, tunc Cartusiani instituti sinceris viri moribus, ac inter eos *Osualdus Anglus genere, vir multam præ se sanctitatem ferens. Horum itaque Religionem præ alijs eligens, in Suburbio Perthano Monasterij iecit fundamenta, ac Osualdum connocatis Monachis, quo exemplo suo reliquos in eamdem duceret pietatem, præfecit.* De hoc Osualdo refert Pitsçus, Brunonis institutionem propagasse non modo per Angliam, & Scotiam, sed, & per Hiberniam. Ego verò quam Hibernensem propaginem in medium proferam non habeo, cum accuratissima amplissimi Regni Monasteriologia perlecta, nullibi Cartusiensium cellam offenderim. Cæterum Scotica familia primum accensebatur Prouinciæ Picardiæ remotioris, & processu temporis immediato regimini Prioris generalis subiecta est, & incorporata Prouinciæ Gebennensi, donec per hęreticos vastata est, immissoque igne confragrauit. His omnibus adstipulantur Hectoris Boetij Scotiæ Hist. lib. 17. Lesleus lib. 7. Pitsçus de Angliæ Scriptoribus, Monasteriologia Hiberniæ Auct. Io. Vuareo equite Aurato, & Raissius in Orig. Cart. Belgij.

LIV.

1430. *Cart. Passionis Christi apud Legnitz* in Slesiæ Ducatu, Institutore Ludouico Duce Legnizensi, & Brigensi, cui etiam Cart. Erphordianam Monachos primò incolas dedisse penes Miræum, aliosque certis ex monumentis liquet.

L V.

1430. *Cart. Pletriacensis in Slauonia.* Appellabatur *Thronus Sanctissimæ Trinitatis*, consurgebatque apud Ciliam, erectorem agnoscens Hermannum Ciliæ, ac Sagonis Comitem. De ea Loquuntur Miræus, & alij veterum Cartus. Nomenclatores.

LVI.

1439. *Cart. B. Mariæ Boni Lapidis apud Vrachiam* Ducatus Vuittembergensis Oppidum, ex Præpositura Ord. Diui Benedicti dependente à Monasterio Zuuifaldensi in Diœcesi Constantiensi, Brunonis alumnorum mansio fauore Ludouici, & Vdalrici Ciuium Vuittembergensium, prout Gaspar Bruschius in Chronol. Monast. Germaniæ.

LVII.

1440. *Cart. apud Isnacum in Türingia* sub inuocatione S. Elisabeth à Monachis Cart. Erphordianæ instaurata, & postmodum ab hæreticis diruta.

LVIII.

1442. *Cart. Annunciationis B. Mariæ* secus Valentiam à Iacobo Persera condita, ea tamen facultatum inopia, quæ incolas infra triennium solum vertere coegit. Eius meminit Ioseph de Valle.

1442. *Cart. Montis* S. Io. Baptistæ in Vogelsberch. Langrauio Hassiæ iubente Moniales quædam indecorè viuentes hinc eijciuntur, & accersitis ab Erphordiana Eremo Sanctioris conuersationis Ascetis, eorum viuendi normæ locus accommodatur. Ex Chron. Cart. Erphordiensis in rebus gestis Io. Rodas Nurimbergensis Prioris octaui.

LX.

1443. *Cartusianos Italis* omnem admouisse lapidem vt Cœnobium molirentur in aptissimo situ Diœcesis Spoletanæ, apud Ecclesiam S. *Mariæ* de Ripidà loco in Monumentis Congreg. B. Petri Gambacurtæ de *Pisis*, auct. Io. Baptista Cecolino, & MS. in Archiuio S. Onuphrij de Vrbe, eiusd. Congreg. Patres, cum dictam Ecclesiam huic Ordini concessissent, postea lite intentata, eam iterum sibi vindicarunt.

LXI.

1466. *Cart. Buscoducensis* in Brabantia cuius infantiam, translationes, & demum euersionem, Buscoduco ab Ordinibus foederatis capta, habes lector in fundatione Cartusiæ Antuerpiensis huius fortunis locupletatæ.

LXII.

1470. *Cart. S. Bartholomæi in Hierusalem* apud Delphium Batauorum. Centenaria fuit hæc Cartusia; nam à Francone Borsalio Comite Osteruantij, vltimo Iacobæ Comitissæ Hannoniæ, & Hollandiæ consorte exedificata quingentis fermè ab Vrbe passibus, sæculo posteriori eodem pene anno concidit. Et Senatus quidem Delphiensis, nobili hac domo in cinerem abeunte profugos Patres intrà Vrbem exceperat, & Nosocomium publicum, recenter erectum in Monasterium conuerti decreuerat. Verùm Lummæus hæreticorum Antesignanus, præpotenti fæderatorum manu stipatus leuior., & fortior Vrbi incumbebat, quam tutum se nactos domicilium Monachi confiderent. Itaque ad vnum dilapsi sunt, benignum quæsituri receptorem.

LXIII.

1477. *Cart. de Reinschaun in Misnia.* Cœnobium Transfigurationis Iesu Christi de Reinschauu propè Zuuickauu in *Misnia*, Saxoniæ Duces fundasse circa A. Dom. 1477. perhibentur. De quo tamen in annalibus Cartusiæ Erphordiensis hæc ferè totidem verbis leguntur. Sub Priore decimo octauo Erphordiensi D. Iodoco Kristein viro eloquentiæ singularis, magnæque industriæ nouellis surculis cæptum est prouideri domui Transfigurationis, abductis ex Cartusia Erphordiana quatuor Religiosis. Ordini verò dicta domus, cooperante Domino Ottonio, Præposito Canonicorum Regularium, qui eam priùs incoluere, accessit. Ipsius enim, & suorum pari consensu effectum est, vt per Sedem Apostolicam Ordo Cartusiensis ibidem erigeretur.

LXIV.

1484. *Cart. S. Martini in Monte Solis apud Campos Transiselaniæ* Diœcesis Dauentriensis. Suam molem debet deuotioni Ciuium, nam Vxor Gereonis fundauit tres cellas, & dotauit. Otthouan Heyden Ciuis Dauentriensis vnam cellam dotauit. Domina *Mactildis* vnam, Lambertus Van Houe, Euerardus Van ArKo benefactores habentur. Domus Vltraiectensis personas, & media suppeditauit. Verùm tot benemeritorum subsidia, Patrumque sudores sacrilega hæreticorum ingluuies absorpsit, vt postremus eius Prior, diem suum obiturus, prædixerat. Ità Raissius in Originibus Cart. *Belg.* Lindebornius, Notitiæ Ep. Dauentriensis cap. 6.

1488.

1488. *Cart. B. Mariæ Annunciatæ, in Conradsburg apud FalcKenstein* in Diœcesi Halberstadiensi, fundata fuit à CL. Dom. Vuernero Baldequin IV. Doctore, qui obijt in habitu Cartusiano an 1488. 17. Maij. Inter præcipuos etiam benefactores fuit R. D. Otto Pastor S. Catharinæ in Brunsuic, qui obijt An. 1479. ant præcedenti. Post hæresim sparsim domus à Lutheranis occupata est, quam Ordo reposcet.

LXVI.

1498. *Cart Banda* in Subalpinis, cuius statum edocent incrementa Cartusiæ Taurinensis sub an. 1648.

LXVII.

1506. *Cart. Seuticensis* in Regno Legionis à PP. Cœnobij del Paular instructa & ab ijsdem Anno 1513. translata Granatam.

LXVIII.

1528. *Cart. Tarentina, seù apud Tarantum* in Salentinis Regni Neapolitani Prouincia, quam auspicijs Antonij de Sancto Seuerino S. R. E. Card. Archiepiscopi cæpit circa hunc Annum construere D. Nicolaus de Muro, ex Præfecto Cart. Romanæ, domus Padulæ Moderator, sed Cardinali è viuis sublato ante absolutionem, sumptuosis excidit ab inceptis, referentibus D. Seuero à Neapoli, & D. Ioanne Baptista Palumbo in serie Priorum Cart. Romanæ, & S. Laurentij de Padula.

LXIX.

1569. *Cart. Ilerdensis in Catalonia* sub appellatione *Aræ Cœli* à Fratre Petro Berengario Monacho Scalæ Dei ædificata, Monachos, vrgente dotis inopia, huic sedi valedixisse testem profero Ioseph de Valle pag. 485.

LXX.

1588. *Cart. In suburbio Ciuitatis Vuesaliensis*, è qua Patres migrasse ad inhabitandum Cœnobium Monachorum S. Dominici intrà eamdem Vrbem, haud repetam, cum iam illud præmiserim in origine eiusdem Domus.

LXXI.

1595. *Cart. S. Trinitatis de Auiliana* in Pedemontio, inhabitata, & Monachis destituta, ac vnita Cartusiæ Taurinensi, prout suprà.

LXXII.

Sunt & aliæ Cartusiæ Annis incertis conditæ, & omnes propemodum ab hæreticis euersæ, nimirum.

LXXIII.

Cart. Cella B. M. apud Norimbergam fundatore Marquardo Mendelio.

LXXIV.

Cart. S. Paulæ Porto-Montis apud Bernam.

LXXV.

Cart. Pacis B. Mariæ in Regno Suetiæ.

LXXVI.

Cart. Pacis Dei in noua Marchia apud Schiuelbein.

LXXVII.

Cart. B. Mariæ in Pomerania.

LXXVIII.

Cart. Francofurti ad Oderam sub titulo Misericordiæ Dei.

LXXIX.

Cart. Gratiæ Dei apud Stetinum.

LXXX.

Cart. S. Loci de Lancea ab hæreticis Bernensibus occupata, quippe quæ in eorum ditione.

LXXXI.

Cart. Angionis.

LXXXII.

Cart. S. Andreæ de Ramerijs subiecta Ep. Vasionensi, quemadmodum in Serie Antistitum eiusdem Sedis Io. Columbus Manuacensis è Soc. Iesu, & Ioseph Suaresius asseuerant.



APPEN-

APPENDIX AD THEATRVM CHRONOLOGICVM SACRI CARTVSIENSIS ORDINIS,

Eorum videlicet, quæ eiusdem Præsulum, Scriptorum, nec non, & pietate Illustrium in elogijs Adduntur, vel emendantur.

APPENDIX AD INFVLAS.



1472. VALTERVS, cuius promotionem pag. 65. numeroque 12. reieci inter incerta, & forìè Episcopum dumtaxat in partibus pontificia munera Herbipoli gessisse dixi, fuit Pastor Diagorgaensis, & annis terdenis Vicarius in Pontificalibus Antistitis Bambergensis, & Herbipolensis; Quique ex Dominicanis ad Cartusianos transmigrarat, in Horto Angelorum solemni secus Vuirceburgum Franconiæ Metropolim; huius professionis cœnobio floruit, pijssimèque mortem oppetijt, quemadmodum edisco, à Laurentio Byerlinch in Descriptione Cartusiarum Alemaniæ Superioris.

1606. *Antonius de Cea Episcopus Foncallensis.* Eius elogio addendum. Decessit Matriti 1607. septimo Idus Augusti, & humo conditus apud Carmelitas nudipedes, anno 1614. transfertur ad suam Aniacensem domum, appositus ad Patrum cineres in communi eorumdem Dormitionis loco.

MANTISSA AD APPENDICEM *Infularum à nonnullis Auctoribus cum probatione indubia minori Ordini Cartusiensi adauctarum.*

1203. GVillelmus de Venetan Episc. Vticensis, Conditor fuit Cart. Vallisbonæ, in cuius monumentis habetur, depositis pontificijs insignibus Monachum in eadem Eremo induisse, & postquam ad profundum vsque senium æuum propagasset suum, laudabili mortalitatis clausula ad æternitatem se composuisse. Verùm eius Monacatus Nomenclatores Episcoporum Galliæ hactenus latuit.

